E 669/56

B 34

Rec. Francae

E 669/56

ריב יהוה עם יהודה

SIVE

THEOLOGIÆ IVDAICÆ

PARS PRIMA

DE MESSIA.

Eaque Κατασκευαστικὴ doctrinæ Judæorum, ex verbo Dei confutatæ. Addito breviario locorum Scripturæ, quæ à vanis Rabbinorum gloſſematis repurgata, veritati reſtituuntur.

AUTHORE

ANTONIO HULSIO

Eccleſiæ Gallo-Belgicæ quæ Bredæ eſt, Paſtore & Linguæ S. Profeſſore.

PROV. FRANC.

אויביו אלב

BIBLIOTHÈQUE S. J.
Les Fontaines
60 - CHANTILLY

BREDÆ

Typis ABRAHAMI SUBBINGII.

Anno clɔ DC LIII.



Illustrissimæ ac Celsissimæ

HEROINÆ

AMELIÆ de SOLMS

PRINCIPI ARAUSIENSI.

DOMINÆ in Sevenbergen & Turnhout. &c.

Dominæ Suæ Clementissimæ æternam Pacem & Fælicitatem precatur

ANTONIVS HVLSIVS

CELSISSIMA PRINCEPS.

Sæpius mihi in mentem venit scitum illud veterum Hebræorum allegorema בירא דשתית מניה לא תשריביה קלא In fontem, ex quo semel bibisti, ne proiicito glebam. *Sententia ingratitudinis probro vitando accommodata. Siquidem limum aut pulverem in limpidum fontem, ex quo sitim modò restinxerit, proiiciens, hominis ingrati, beneficiorum largitorem aspernantis & pedibus proculcantis emblema est. Huius infandi criminis, quod vel ipsa immanissima barbaries detestatur, notam, ut non tantum omnibus modis à me amolirer, sed & me amolitum esse, publico documento testarer, Illustrissimum CELSITVDINIS VESTRÆ Nomen fronti huius operis præfigere ausus sum. Quippe quod non eo à me factum consilio, ut inde vel tantillum Illi, Gloriâ jam saturo, accederet decoris: quid enim hoc aliud esset, quàm Soli facem accendere? Neque ut longum aliquod Heroicarum virtutum syrma contexerem: tametsi enim hic ampliorem quam fortè alii dicendi campum nactus sim, eum tamen ingredi me vetat C.V.*

Prudentia & Modestia, Cui importunum illud genus hominum, qui aulicis assentationibus, infami favoris & beneficiorum aucupio, Magnatum aures obtundunt, quàm maximè exosum esse novi. Nec personato schemate mihi opus est, ut multis verborum lenociniis in subjecto, cui, quas celebrem virtutes & merita non re sed spe insint, deprædicando luxuriem: quam gnathonicam artem, utpote à vocatione mea alienam, mercenariis calamis relinquo. Quid verbis opus est, ubi rerum testimonia adsunt? Facta hic & ingentia C.V. erga Rempublicam & Ecclesiam merita loquuntur, quæ grata mente recolere, quàm verbis otiosis extollere præstat: siquidem recordari celebrare est, verbis tamen & scriptis meminisse, gratitudinis argumentum est. Hoc itaque animo humilem hanc orationem ad C.V. dirigo, beneficiorum utique, quibus BREDA *quondam C.V. auspiciis gavisa est*, testis & particeps. *Quoties verè Maternus ille erga civitatem hanc affectus, erga Rempublicam cura, erga ecclesiam pietas, erga viros bonos favor, erga alloquentes benevolentia, erga salutantes in publico vultus blandus & mansuetus, erga privatos omnes gratia & benefaciendi desiderium: Quoties publicæ tranquillitatis & ordinis conservandi, ecclesiasticæ authoritatis vindicandæ, simultatis inter privatos, quæ bono publico fraudi & ecclesiæ offendiculo esset, componendæ ardens & indefessum studium: Quoties jucundissimum illud Bredani Athenæi, quod C.V.* Filiam suam primogenitam *vocare dignabatur, inaugurationis spectaculum, Serenissimæ Frontis in medio literatorum & perorantium choro per triduum præsentia, totius aulici Comitatus consessus splendidissimus, publicus omnium ordinum applausus & vota, ingens virorum doctorum, advenarum, florentissimæque juventutis undequaque ad C.V. conspectum & lætitiæ nostræ signa confluentium corona: Quoties, inquam, ista omnia menti meæ obversantur,*

Bre-

Bredanas delicias, Bredana Tempe, Bredanum aureum (non annorum sed vix mensium proh dolor!) seculum appello. Nec immeritò, misera enim civitas tot calamitatum procellis hactenus agitata, nunc Munificentissimæ MATRIS excepta gremio, mox & publica pace donata, non tantùm tranquillitatis suæ portum attigisse, sed & ad summum fœlicitatis fastigium evecta videbatur.

Tametsi verò laudatissimum illud de Republica bene merendi studium omnium civium commoda secum traheret, eo tamen C. V. non contenta, usque ad privatos insuper cùjuscunque conditionis & nominis, Clementiam suam producere dignabatur. Nemo erat, modò, quod imprimis inquirebat, vir bonus esset, cujus petitionē benevolis auribus non exciperet, cuiusque causa Ei non esset cordi. Verè in Eam quadrabat quod Titi Vespasiani cæsaris humanitati olim datum fuit, neminem à se tristem discedere passum esse. Cæterum frustra erant qui inanibus verborum phaleris palpum obtrudere & favorem eblandiri satagebant, singulari enim mentis sagacitate Prædita, non verba sed personam intuebatur, nec quàm bene aliquis diceret, sed quis & quid diceret, & justitiam causæ duntaxat attendebat.

Hoc non ita pridem statu fœlices Bredani seriò sibi gratulari incipiebant: nec sanè materia deerat, si bene cœptis successus respondisset. Sed vah! quàm subitò rerum facies immutata. FRIDERICO HENRICO Heroum Fortissimo, Principum Optimo, Patriæ & Bredæ suæ Patre, Protectore Invictissimo, Cuius memoria, quò temporum intervallo remotior, eò nobis indies amarior existit, tot beneficiorum fonte exstincto: mox & Celsissimo Principe GULIELMO, novo Sydere nobis affulgente, ex oculis nostris sublato: C.V. gemino vulnere & dolore, utroque acerbissimo prostratâ: Deum immortalem! quàm repentè Reipublicæ vires concidere, civitas jam

eremo quam urbi ſimilior ſqualere, civium ora & animi quaſi nervis inciſis diffluere, Illuſtris Auriaca precarium ſpiritum trahere, mox & in nihilum ferè redigi, adeò ut tam magnificæ ſtructuræ vix rudera hodiè ſuperſint, omnia denique in pejus ruere, ſolo C.V. affectu excepto, iſti viciſſitudini non obnoxio, ſed ſemper erga nos conſtanti & ſincero, utpote Quam inſtar matris fœtus ſui oblivi ſci neſciæ (ut ſacri vatis verbo utar) Bredæ ſæpius meminiſſe, bonorum civium fato animitus indoluiſſe, imò & aliquando illachrymatam eſſe novimus. Nec candida promiſſa priſtini favoris plena & aliquoties repetita defuere, in quibus damni reſarciendi ſpem hactenus unicè repoſitam habuimus: ſed & illa nunc exequendi facultate adempta, & infeſto caſu, ne non fatalis eſſet noſtra calamitas, ita ferente, nobis eſt præciſa. Quid autem hic temporum, in quæ incidimus, iniuriam, quid corruptiſſimos hominum mores, quid virtutis & literarum odium incuſamus? Quin peccata noſtra, quæ iſta beatitudine nos effecere indignos, ut præcipuam noſtri infortunii cauſam humili mente agnoſcimus.

Cum interim tanta meritorũ nubes & innumera benevolẽtiæ documẽta nos circumſtent, omnes, quotquot Bredanâ aura fruimur, C.V. in æternum obſtricti manebimus, meritòque ingratiſſimus (gravius enim quid dici nequit) ſemper audiet, quicunque receptorum beneficiorũ tenax, eorum largitricem impia & immemori mẽte contempſerit. Inter præcipuos autẽ C. V. debitores nomen meum profeſſus ſum, & etiamnum non voce tantum ſed & calamo profiteri nõ dubito, quod civi Bredano nemo niſi ingratitudinis infame patrociniũ ſuſcepturus vitio vertere audebit. Decennium enim jam fermè abiit, ex quo verbi Divini miniſterio in urbe alumna ſum defunctus, in quâ & ut eſſem & ut bene mihi eſſet, poſt Deum immortalem, qui cauſas ſecundas in poteſtate ſua habet, C. V. effecit.

ſiqui-

Siquidem vocatione mea ab Ecclesia Gallo-Belgica legitimo modo & unanimi consensu instituta, sed nonnullorum artibus, quorum occultis fortè studiis, uti in aulis fieri consuevit, inscius intercedebam, apud Celsiß: Principem sugillata & aliquamdiu suspensa, C. V. non mei causa, utpote quem nec de facie nec nomine noverat, sed quod Eccl: siæ quæ me vocaverat, erga quam pio affectu ducebatur, se gratificaturā intelligeret, communibus nostris votis assēsum benevolè impetravit. Postmodum verò quotiescunque vel Ecclesiæ vel privatā causam dicturus me sisterem, humile meum licet inconditum alloquium sereno vultu, solicitantis spem sustentante semper exceptum fuisse agnovi, usque adeo ut non vanis onustus promissis, quorum copiam in principum aulis haud magno mercari pretio proclive est, sed perbenignâ rei promissæ repræsētatione læto animo beatus recederem. Hæc in hominem peregrinum & advenam, nuperque duntaxat municipibus Bredanis adscriptum collata beneficia, argumento sunt, quam arcto observātiæ vinculo C. V. implicatos teneat, qui antiquiore Clementiæ Eius innutriti consuetudine universam fortunam Ipsi debent, qui nisi Quid & Cui debeant, non tantùm conscientiæ stimulo adacti agnoscant, sed & facto ultrò testentur, adhæreat lingua palato ipsorum, donec pœnitentia ducti nefarium crimen expiaverint.

Meo itaque, Omniumque Bonorum *nomine C. V. gratias ago immortales, qui iisdem votis certisque animi addictissimi indiciis in quæ erga Abeuntem & Redeuntem tota quondam civitas sæpius se effudit, etiamnum, tametsi nec Abeuntem amplius nec Redeuntem constanter prosequimur, & in debitâ nostra erga Eam observantiâ ad extremum vitæ halitum temporis præteriti totque beneficiorum memores persistimus. Eaque partim de causâ laborem hunc, quo communem & antiquissimum Christiani nominis hostem oppu-*

pugno, C. V. inscribere mihi proposueram, partim etiam, ut qualecunque hoc Scriptum ab Illustrissimi C.V. nominis splendore lucem mutuaretur, Ejusque patrocinio, utpote Quæ singularis sui erga literas & viros literatos affectus luculentissimum, totoque orbe celebratissimum testimonium apud nos perhibuit, frueretur. Quocirca institutum hoc quo devotissimus cliens gratum suum erga C. V. animum testari voluit, Ei non ingratum accidere, sed pro consueta sua benevolentia in bonam partem clementissimè interpretaturam, omnino confido. Cæterum Deum Opt. Max. ex intimo cordis affectu precor, ut C.V. salvam & sospitem conservet, quò tantarum virtutū, pietatis inprimis, prudentiæ, castitatis, sobrietatis, singularis modestiæ, optimique regiminis exēplar, cujus imaginem in totius aulici comitatus facie pulchré expressam cernimus, in multos annos Ecclesiæ sit ædificationi, Reipublicæ emolumento, bonorum omnium solatio & Illustrissimæ familiæ præsidio, tandemque fato suo in æternam animæ salutem glorioſè defungatur. Eidem Supremo Numini supplico, ut Principis nostri Teneri Surculi paternam, qua in terris destituitur, curam gerere dignetur, viris pietate, candōre, & probitate conspicuis latera Eius cingat, & ab adulatorum & atheorum peste conservet immunem, quò in timore Domini in spem publicam educatus, immortalem Maiorum suorum Gloriam assequatur & Ecclesia Iesu Christi publicum in Ipso præsidium inveniat. Nec minus pro Celsissima Principe Regia, *Cuius potestati nos venerabundi subiicimus & mandata amplectimur, preces fundo, ut spiritu prudentiæ & consilii, iuxta Illustrissimum* C.V. *exemplum, de Rep. & Ecclesia bene mereri, bonos amare, malos odisse, & perditissimorum hominum mores & pravas artes pernoscere ac detestari pergat. Ita ex animo voveo.*

Scriptum BREDÆ. Anno Sal. 1653. Die 20. Aug.

PRÆ-

PRÆFATIO AVTHORIS

Ad Christianum Lectorem.

De Natura & Principiis Theologiæ Iudaicæ, & Modo Disputandi contra Iudæos.

Inter tam varia sectarum monstra Regnum I. C. sive sub nominis Christiani larva sive eâ repudiatâ, infestantia, primum locum tenet IVDAICVM, non tam roboris, quo polleat, præstantiâ, quam nominis celebritate, dogmatum antiquitate, eorumque tenacitate, & innâta deformitate ab omni parte horrendum. Proindeque Hydram hanc omnium sectarum *matrem* meritò dixeris: quidquid enim Mahometismus habet nugarum, quidquid Paganismus inutilium rituum, quidquid pseudo-Christianismus superstitionis & pravi hæretici, totum illud á deformi istâ bestiâ habet originẽ, quæ veluti antiqua leæna viribus fracta innumeros Ecclesiam Iesu Christi lacerantes catulos in lucem produxit. Et sanè Mahometis Alcoranus, quid quæso aliud est, quá putidissimarum fabularum colluvies, è medio Talmude iudaico, satanæ cloacâ, & fœcium, quibus tota ferè orientalis plaga conspersa est, receptaculo emanans? Quinetiam tanta externorum rituum moles, qua paganismus laborat, â Iudæis derivata sit, & hi vicissim à Gentilibus horrendam idololatriam mutuati sint, nemini dubium est. Et quamvis eiusmodi quondam ritus secundum Divinæ Legis præscriptum externi cultus pars fuerint, ex quo tamen tempore omnis pietatis, religionis & veritatis cardo, in solo cultu externo, circumcisione, sacrificiis, aliisque ecclesiasticis ceremoniis verti cœpit, jam non nisi inutile, Deoque invisum pondus exstiterunt in Ecclesiâ: quippe præputii amputatione & sanguine pecudum, vero eorum scopo & usu ignorato vel neglecto, supremum Numen delectari aut placari, omnium hæresium stultissima est. Sed nocentissimum virus, proh dolor! in Ecclesiam Christianam effusum est. Siquidem Iudaismo jam idololatriæ causa acerrimè flagellato, & postmodum in aliud extremum, scrupulosæ nimir. superstitionis & ineptissimarum traditionum & fabularum sterquilinium provoluto, adeoque nullum non abominationum genus experto, quintam inde omnis immunditiei essentiã, quâ Domum Dei conspurcaret, extraxit satanas. Ni-

hil enim à Christianâ veritate alienum in Ecclesiam introductum est, sive traditiones fabulosas, sive ficta miracula, sive operosum ceremoniarum & rituum apparatum, sive universum superstitiosum & idololatricum cultum respicias: nihil, inquàm, est quod corruptum illum judaismum non redoleat.

Sed hic non substitit supremus ille humanæ salutis hostis, prævidens enim, illud Medusæ caput nimis esse incultum & agreste, ut evertendo Christi regno diu sufficiat, quin interpolatum fuerit, in ipsâ Ecclesiâ quadruplicem hæresiarcharum exercitum excitavit qui ei adornando & fulciendo omnem operam impenderunt. Primam aciem ducunt, qui S.S. *Trinitatis mysterium negantes, æternam Iesu Christi Deitatem oppugnarunt, hodièque oppugnant*. Hi autem duorum sunt generum. *Unum*, qui creatam Deitatis speciem aliquam ipsi affingunt, quâ, antequam nasceretur ex Mariâ Virgine, exstiterit, & primæ creationis instrumentum fuerit. Sic *Ariani* olim & *semi-Ariani*. *Alterum*, qui iis peiores omnem, ante nativitatem ex Maria virgine, existentiam ab ipso tollunt & nihil nisi nudam humanitatem agnoscunt: quæ fuit sententia *Ebionitarum, Cerinthianorum, Samosatenianorum, & Photinianorum*. Quos secuti sunt, qui ultimis hisce seculis horrendum illud Photinianorum dogma cum innumerarum blasphemiarum veneno recoxerunt, uti *Servetus, Valent. Gentilis, Blandrata, Socinus &c*. *Secunda* acie incedunt, qui Divinitatem Christi intactam relinquentes, monstra alunt circa Incarnationis mysterium, & hi diversorum quoque sunt generum: *Alii* enim contendunt, non Filium tantum sed & Patrem & Spiritum S. incarnatos esse, nec ullam inter eos personalem differentiam existere sed nuda tantum esse nomina: sic *Sabelliani*. *Alii*, Humanam Christi naturam carere anima, cuius vicem suppleat ipsa Deitas: sic *Apollinariani*. *Alii* corpus phantasticum ipsi affingunt ut *Manichei*. *Alii* ex duabus in Christo naturis duas personas constituunt, ut *Nestoriani*. *Alii* ipsi corpus, non de substantia virginis Mariæ natum, sed è cœlo allatum tribuunt, ut *Anabaptistæ*. *Alii* alia errorum portenta ex cavo suo cerebro excudunt. *Tertium* ordinem omnium pessimi constituunt, qui detestando Photinianorum dogmate pro fundamento posito, eoque omnibus viribus adstructo, aliud ei non minus abominandum, tanquam conse-

quens

quens adiungunt, quo salutaris illa, quam Christus morte sua pro nobis præstitit, *Satisfactio* negatur, & *Salvifica* seu *Iustificans* in Christum *Fides* in nudam obedientiam, quæ præceptis Christi cum fiducia gratiæ exhibetur, convertitur: sic ut iustificatio fidei iam non sit iustitiæ Christi, eiusque pro peccato satisfactionis applicatio, sed iustificatio bonorum operum sub conditione fidei seu fiduciæ in fœdus illud gratiæ, ita ut homo coram Deo iustus agnoscatur per obedientiam suam præceptis Christi præstitam, si modó isti obedientiæ firmam fiduciam addere possit, Deum cum ipso non acturum secundum rigidum antiquum fœdus operum, quod exactissimam obedientiam requirit, sed secundum novum fœdus Gratiæ per mortem Christi sancitum, & veluti appenso sigillo homini confirmatum: prout sigillum regium diplomati annexum, non consideratur ut antecedens aliquod & causa meritoria gratiæ in eo contentæ; nec quicquam ad eam conferendam conducit sed ut *consequens aliquod*, quod præconceptam gratiam confirmat subditis, eosque de voluntate regis certos facit. Hoc dogma nemo amplecti potest quin totum Christianæ religionis fundamentum evertat, simulque omnibus illis erroribus subscribat, per quos ad hunc ipsum veluti per gradus ascenditur. Hæc tertia acies est, quam sequuntur omnes illi, qui ex infausta Fausti Socini schola prodierunt, hodieque celebri nomine vocantur *Sociniani*. Sequitur *Quarta* & ultima, in qua disponuntur omnes qui circa *Gratiam & Liberum arbitrium*, illam deprimendo, hoc extollendo, linguam & calamum stringentes, celebre sibi comparare nomen conati sunt. Hi autem in duas classes dividuntur: alii enim sunt *Pelagiani* (á *Pelagio* antiquo hæretico sic dicti) alii *semi-Pelagiani*. Pelagianorum dogmatum summa hæc est. 1. Nullum esse peccatum originale i.e. peccatum primi hominis nec imputari posteris, nec eorum naturam inde esse corruptam, sed inclinationem ad peccandum ex prava tantum imitatione & consuetudine oriri, 2. Proindeque hominem habere arbitrium absolutè liberum, à peccato desistendi, ad Deum se convertendi, & ad bonum, quo Deo placeat, faciendum, nec ad id speciali divinæ gratiæ, præter dona naturæ, auxilio indigere, 3. Iisd. quoque naturæ viribus posse per fidem amplecti satisfactionem pro peccato & salutem in Christo oblatam, vitamque secundum istam fidem instituere, nec ullam ipsi adesse impotenti-

am naturalem, quæ eum ad hoc faciendum impediat, 4. & idcircò in Deo ab æterno fuisse voluntatem omnium hominum universaliter miserendi, omnes per Christum redimendi, & sub conditione fidei & conversionis quam quisque præstare possit, si velit, servandi Deumque eum in finem omnibus suam in Christo gratiam, sinon æqualiter per Evang. prædicationē, sufficienter tamen, mediis ad eam luminis naturalis beneficio ducētibus, subministratis, revelasse. 5. Vnde tandem concluditur, nullam in Deo particularem prædestinationem esse seu Electionem & ullius hominis præteritionem: & quicquid scriptura de ea tradit, id totum divinæ eius prævisioni esse tribuendum, quâ ad gratiam oblatam, hos malè, illos bene libero suo arbitrio usuros esse, ab æterno præscivit. Hæc theologia, quemadmodum ab omni parte est hæretica, sic plana est & simplex, nullisque ambiguitatibus intricata, quam solidè ex verbo Dei confutavit *Augustinus*. Postmodum autem aliud vesanorum hominum genus in Gallia subortum est, *semi-Pelagianorum* scil. qui mediam inter Augustinum & Pelagium viam instituentes, docuerunt, 1. Contra Pelagium, peccatum Adami, licet non imputetur posteris, corruptionem tamen in naturam humanam introduxisse. 2. Contra Augustinum, naturam non ita depravatamesse, quin remaneat in ea liberum arbitrium ad bonum quo Deo placeat. 3. Contra Pelagium, liberum arbitrium ad consequendam salutem operari non posse, quin accedat gratia quæ naturæ corruptioni medeatur. 4. Contra Augustinum, istam subiectivam gratiam esse universalem, adeoque omnem hominem, partim á natura partim á succurrente gratia, viribus esse instructum, quibus gratiam obiectivam fide amplecti possit, si velit. Sic semi-Pelagiani qui in reliquis capitibus non recedunt à Pelagio. Et hæc hæresis illa est quam magno apparatu recoquunt *Iesuitæ*, *Arminiani*, *Anabaptistæ*. &c.

Vide quanta miserorum mortalium turba, qui & Christiani audire volunt, manum operi admoverit, ut equus iste, non Trojanus sed Iudaicus, non milite sed monstris plenus, in sanctam Iesu Christi civitatem ad eam vastandam introduceretur. Non dico, eos Iudaicæ religionis protrocinium suscepisse, sed nullum hic esse dogma, quod vel judaismo non sternat viam, eique occultè faveat, vel saltem judæis arma ad Christianam religionem vehementer concutiendam non subministret: Siquidem nulla in toto terrarum orbe

hær-

hæresis magis ei contraria est quam judaica; unde sequitur, quo quis longius recedit à vero Christianismo, cò propius ad judaismum accedat necesse est, veluti ab uno extremo ad aliud directè oppositum: Hinc nihil non placet judæis, quod seu naturæ, seu officio Christi, seu absolutæ per solum Christum salutem acquirendi necessitati, vel minimum derogare videtur. Et sanè Socinianismum & Pelagianismum quod attinet, nihil ibi heterodoxi esse, quatenus à Christo abducit, quod non ambabus manibus amplectantur & suæ religionis esse, publicè profiteantur, nemo ignorat. Et quemadmodum primum Mobile inferiores sphęras ambitu suo comprehendit, sic Iudaismus incrustat Socinianismum, Socinianismus Pelagianismum, quicquid enim credit Pelagius, idipsum etiam credit Socinus, & quicquid credit Socinus idipsum etiam credit judæus: sed non vice versâ, nam certis gradibus in istum avernum descenditur; unaquæque hæresis suo se gradu subsistere profitetur, & in proximè sequentem se transformari non sinit. Hoc tamen non impedit, quominus, qui novandi pruritu abreptus, conscientiæ & orthodoxiæ cancellos semel egressus sit, istum descensum valde facilem inveniat; siquidem hæresis hæresi ancillatur & fundamenti loco substernitur. Cunctanti Pelagio manum porrigit Socinus, Socino judæus, qui non desistit, donec utrumque ad suas partes pertraxerit. In castris autem Pelagii tyrocinia poni solent. Gratia Vniversalis prima arena est, in quam descenditur, quæ speciosо suo titulo multos allicit. Nemo autem ista illecebra irretitus, facilè locum inveniet ubi pedem figere possit, cum non videat, quomodo Gratiam istam cum Electione particulari, gratiæ efficacis necessitate, ejusque aliquibus duntaxat conferendæ absoluto decreto conciliare possit. Nonnulli quidem operosis ambagibus, variisque distinctiunculis & subdistinctiunculis præter Scripturā excogitatis, Deoque humano more temerè affictis, rem confici posse existimant: sed sic ne quidem sibi ipsis satisfaciunt, nedum aliis. In hoc itaque lubrico constitutus, vel necesse est ut cum columba Noachi pedem in arcam referat, modò à pruriente cerebro hoc impetrare possit, vel ut cum innumera multitudine in semi-Pelagianismum ruat, & gratiam istam universalem cum gratiæ particularis dispendio, & absolutæ Electionis eversione tueatur, necesse est. Hic autem, licet campus sit apertior & statio firmior, non tamen, cui res admodum cordi sit,

potest esse diuturna: novis enim distinctiunculis opus est, ut spurios istos fœtus, *semi-gratiam & semi-naturam* à Scriptura reprobatos à se invicem discernat. Sed hic aqua ipsi hærebit, nec prius se expediet, quin vel retrocesserit, vel magistro Pelagio nomen dederit, omnique subiectiva gratia eliminata, omnia naturæ viribus in solidum transcripserit. Huc ubi devenerit, iam initiatus est Iudaismo & restat ut ad superiorem, Socini scil. academiam promoveatur. Hic autem transitus ipsi haudquaquam difficilis erit, iactis enim in schola Pelagii fundamentis de non-imputatione peccati primi, de servata naturæ integritate post lapsum, de absolutis liberi arbitrii viribus, sat progressuum habet, ut in primam discipulorum Socini classem pedem inferat, ubi prælectiones habentur de fide iustificante, quæ in sola obedientia & mortis Christi novum fœdus obsignantis intuitu consistit, de merito & iustificatione operum sub talis fidei conditione, de universalitate gratiæ obiectivæ, (subiectivâ iam modó sub Pelagio prorsus exturbatâ) eius sc. quæ non in Christo (uti vocabulum aliás sumi consuevit) sed simpliciter citra istum respectum homini offertur & in absoluta Dei misericordia consistit, tam laté, salvâ eius iustitia, patente, ut nulla satisfactione indigeat. His præceptis imbutus iam animadvertere incipit, quàm facilè toto Christo carere possit; siquidem toto salutis negotio absolutæ misericordiæ & humanarum virium cardini innitente, nihil amplius subsidii in Christo quærere necesse est, quam ut mors eius sit sigillum novi fœderis. Quod si verò vel tantillum abhuc Pelagiani pulveris libero arbitrio fuerit aspersum, quo homo absque isto sigillo fidem divinæ promissioni novo fœderi annexæ adhibere possit, quid iam amplius erit Christus ratione officii sui, quam Petrus vel Paulus. i. e. Pastoris eximii & præclari Martyris exemplum? Vltimus restat labor & is quidem facillimus, quo Socinus discipulum suum tot progressibus firmatum in castra magistrorum suorum Photini, Samosateni, Ebionis &c ad negandam Christi Deitatem perducit. Cui enim bono ista Deitas? si mors eius nihil aliud sit quam fœderis subsignatio tantum, ad quam nuda humanitas sufficit. Hæc suprema apostasias militia est. Et hunc Rubiconem qui transierit, jam Talmudis & Alcorani candidatus est. Trahit itaque hæresin hæresin, horologio haud absimilis, cujus appensum pondus continuo motu afficit libratorem, nec quiescere sinit,

donec

donec rotâ per momenta sua ordine circumactâ, punctum, quo sonus excitatur, attingat. Pari ratione, ubi hæresi fibula laxatur, libratorem intellectum tamdiu consequentiarum pondere exagitabit, donec mens per innumera rationum momenta circumrotata, tandem in apertam apostasiam prolabatur: quod plurimi æterno suo damno sunt experti.

Hinc liquidò constat, omnis generis monstra, quæ in corrupto Christianismo foventur, vel Iudaica esse, vel viam sternere ad Iudaismum, proindeque fortissimos athletas, qui quovis tempore, iis ex Ecclesiâ Christianâ everrendis insudarunt, per papismi, Pelagii, Socini latus ipsum Iudaismum antiquum & modernum confodisse. Hoc autem imprimis de pestilentissimâ Socinianorum sectâ, quæ proximus ad Iudaicam gradus est, dictum sit, quam feliciter & solidè confutandam aggressus est Clariss. & Doctiss. Vir *Iohannes Hoornbeeck*, in academiâ Vltrajectinâ Professor, cujus alterum confutati *Socinianismi* tomum avidè exspectamus. Etsi enim multa sunt, in quibus à se invicem adhuc dissident Sociniani & judæi, in salutis tamen fundamento, quod caput rei est, optimè conveniunt, siquidem utrinque duplex salutis principium constituitur, unum quod ipsis cum Pelagio commune, in homine & absolutis liberi arbitrij viribus, alterum, quod sibi peculiare habent, in absolutâ Dei misericordiâ & promssis, absque satisfactione pro peccato per alium præstita. Neutri itaque ad consequendâ salutẽ indigent Christo neque necesse fuisset ullam ejus jn negotio religionis habere rationem, nisi Deus eum toties promisisset, & maximam in eo spem collocassent prisci patres, uti satis apertè etiam liquet ex theologiâ R. *Ioseph Albo* sub init. hujus operis. Nudum itaque hominem isto nomine à Deo extra ordinem mittendum utrique agnoscunt, sed in doctrinâ de ejus Officio nondum consentiunt, fortassis velut in re minoris momenti aliquando consensuri. Iudæi enim talem exspectant, qui Iudaicas reliquias à servitute gentium liberet: semper parati, Messiæ honorem & titulum deferre ei; qui se huic beneficio conferendo viribus instructum ostenderit, sive albus sive ater fuerit. Sociniani autem, quod nec ex Iudæis sint oriundi, nec ejusmodi liberatione jndigeant, carneam istam fidem rejiciunt; ne tamen Messiam non credere videantur, aliud officii genus, quod propius ad salutis negotium accedat, excogitarunt, *Sigillatoris* scil.

qui

qui doctrinâ sua & morte novum gratiæ fœdus obsignet, quod contradistinctum a veteri legali, omnibus hominibus sub conditione ut isti obsignationi fidem adhibeant, proponitur ; & ut commune Christianorum, à quibus exiverunt, nomen retineant, Iesu Christo istud officium tribuunt, fortè illud aliquando in Mahumetem, si Turcæ rerum in toto orbe (quod Deus benignè avertat) potiti fuerint, transiaturi, vel econtra, si Iudæis faustum aliquod sidus affulserit, eo repudiato, ad antiquam Iudaicam legem, quæ gratiam etiam, licet obsignatore careat, non excludit, transituri. Ita enim cõparata est ista hæresis, ut ad utrumq; parata sit, ignavo militi similis, qui graviori, qua hostem cum suis sociis aggredi debebat, armatura abjecta, lumbos ad transfugium accingit, interim leviter velitando suæ parti adhærens, donec in adversam prorsus inclinare victoriam viderit Et hæc esse causa videtur, quod satan in ea præcipue mundi regione illam tam studiose foveat, per quam Christiano orbi maximum a Mahumetismo imminet periculum, spe fretus si metamorphosis acciderit, Christianam religionem faciliori negotio & minore cum horrore in tam deforme monstrum conuerti posse, si a semi-monstris in limine oblatis fiat initium. Sed Deus Ecclesiam suam benigne custodiet.

Hæc præcipua inter Socinianismum & Iudaismum differentia multas alias velut per necessariam consequentiam post se trahit, quæ utriusque faciem valdé diversam constituit, adeo ut licet Socinianismo confutato, judaica quoque fundamenta, quoad salutis acquirendæ media simul eversa sint, longé tamen alia judaismi habenda sit ratio. Quod ut cum supradictis fiat manifestius, simulque ad institutum nostrum propius accedamus, de *Principiis* theologiæ Iudaicæ præfari, necessarium duximus. Hæc autem ab iis accersenda sunt temporibus, quibus populi Dei religio, fundamento eius everso, in hæresin degenerare cœpit. Vltimus prophetarum fuit Malachias qui inter alia pia monita quibus dono prophetico in Ecclesia finem imposuit, & hoc, *Recordamini legis Mosis servi mei.* Mal. 4. 4. genti suæ reliquit. Hujus solius præcepti postmodum tam anxiè memores fuerunt judæi, reliquis omnibus insuper habitis, ut lege Mosis scripta, cujus recordarentur, non contenti, ei oralem Παραδόσιν addiderint; siquidem causam iræ divinæ contra decem tribus in exilium ablegatas & judaicam Babylonicâ clade de-

depressam concitatæ exquirentes, non tantum peccasse putabant majores suos, quod legem scriptam fuerint transgressi, sed nec oralis, multarum scil. constitutionûm & rituum, quos Moses in monte Sinai, non scripto consignandos sed oretenus propagandos acceperit, meminissent. Quapropter ab eo tempore studiosè imò superstitiosè conquirere cœperunt omnes eiusmodi orales traditiones unà cum lege scripta observãdas, ut ita duplici propugnaculo cõtra idololatriam majoribus suis exitiosam muniti, res suas deinceps in tuto habere possent. Hic fons & origo omnis depravationis exstitit. Interim Græcorum & Romanorum potentiâ & armis perpetuò lacessiti, adeo ut optata sub Templo secundo quiete frui non possent, Messiæ per prophetas multoties promissi adventum vehementer desiderare cœperunt; Sed jam obliti, cui bono Messias patribus promissus esset, sensu carnis abrepti talem exspectabant, qui se ab externâ hostium vexatione præstaret immunes. Atque hoc *modo fides de Messia*, ab eâ religionis parte, quâ de animæ salute agitur, quæque in lege & traditionibus constituebatur, quod illa corporalis duntaxat, hæc spiritualis nihil amplius commercii aut mutui respectus haberent, prorsus avulsa fuit, totaque religio elumbata & in inane spectaculum conversa. Hæc duo ingentia mala prophetarum tempore incognita, superstitiosa sc. legum oralium introductio & messiæ carnalis exspectatio, denuo vastare cœperunt ecclesiam Iudaicam sub templo secundo ante introitum Iesu Christi, quod idololatria fecerat sub templo primo. Fieri autem non potuit, ut nova ista & priscis inusitata Deum colendi methodus absque schismate omnibus probaretur. Aliqui quidem sana mente præditi sufficere putabant, si in sola legis scriptæ observatione, firma fide promissum messiam, qui non tam corpus quam animam (quæ veterum fides fuerat) in libertatem vindicaret, exspectarent. Sed horum numerus erat exiguus, carnalis enim liberationis uti spes ita & fides omnibus ferè communis evasit, quo falcinati præiudicio verum postea Messiam, cum venisset, repudiarunt, quæ tandem irreparabilis exitii causa exstitit. Verùm traditiones tam unanimi consensu, quam corrupta de messia fides, receptæ non fuerunt. Quamprimum itaque citra Scripturam sapere cœperunt Iudæi, ilico etiam peregrina dogmata spargere, de traditionum authoritate, legis scriptæ expositione, usu, fine disputare, de omnibus

quis

quisque suo modo, laxatâ fibula philosophari cœpit, populo interim tyrannide oppresso, præter carnalem messiam nihil sitiente nec quicquam præter consuetos circumcisionis & sacrificiorum ritus, eorum tamen scopo ignorato, intelligente. Hinc, cessante iam prophetiæ dono, cuius authoritate audax pruritus reprimeretur, triplex secta inter ipsos exorta est. *Prima Essenorum* (Hebr. חסידים *Pii*, unde Essæorum seu Essenorum nomen depravatum) qui vitæ monasticæ addicti 1. abhorrebant à matrimonio, 2. omnia bona habebant communia & coniunctissimi vivebant, valde hospitales erga socios sui ordinis in aliis civitatibus habitantes, 3. erga Deum summè religiosi, multis austeris ritibus quibus sanctitatem profitebantur assumptis, usque adeo etiam ut publicis sacrificiis cum vulgo non interessent, licèt dona sua ad ea mitterent, quod sanctioribus ceremoniis se incumbere dicerent. 4. Animarum immortalitatem constanter asseverabant, quas ex æthere subtilissimo conflatas corporibus immitti, post mortem autem denuo sursum tendere & ultra oceanum in locis, nivibus, imbribus & æstibus non infestatis placida commoratione frui dicebant; si sc. bonæ fuissent, improbas autem ad loca hyberna, procellosa, gemitibus plena ablegabant; de corporum resurrectione nihil tradentes. *Secunda Pharisæorum* (Hebr. פרושים quasi à communi vivendi genere & vulgo separatos dicas) qui 1. pleniorem divinarum legum atque traditionum notitiam profitebantur, 2. Deo & fato omnia tribuebant, relicto tamen homini libero arbitrio ad bonum & ad malum. 3. Animas quoque credebant immortales, earum sub terra iudicium fieri omnibusque præmia & pœnas secundum operum merita decerni, pias etiam in alia corpora migrare & corporum suorum resurrectione tandem fruituras constituebant. 4. Iustitiæ operum vehementer studebant, quam ingenti apparatu in externo cultu publicè ostentabant, legis moralis & paternarum traditionum observatores rigidissimi. Vnde secta hæc à Paulo Apostolo vocatur omnium *ἀκριβεστάτη exquisitissima* Act. 26. 5. quæ tanta pollebat authoritate apud populum, ut vix quicquam decerneretur á magistratibus, quod pharisaico calculo veluti perfectissima rerum agendarum norma, comprobatum non esset. *Tertia Sadducæorum* (à *Tzadoc* eius authore) quæ omnium impurissima 1. Fatum, animarum immortalitatem, corporum resurrectionem, angelorum existentiam negabant

bant. 2. Ad cultum Dei legem ſcriptam ſufficere aiebant, omnes traditiones reiicientes. Huic ſectæ pauciores quidem addicti erant ſed qui eam ſequebantur præcipui erant in populo, reges, dominatores, aulici. unde alio nomine dicti videntur *Herodiani* à rege Herode, quod magnatum animos hæreſi ſua infeciſſent. Hoc colligitur ex collatis ſcripturæ locis, Matth. 16. 6. *Cavete vobis à fermento Phariſæorum & Sadducæorum.* Marc. 8. 15. *Cavete à fermento Phariſæorm & fermento Herodis.* Marc. 12. 13. *Miſerunt è Phariſæis & Herodianis:* Vbi per Sadducæos, fermentum Herodis, Herodianos eadem ſecta intelligi videtur. Rabbini communiter ad Sadducæos quoque ablegant eos quos vocant קראים *Karræos*, quorum hodieque multi ſunt inter Iudæos. Agnoſcunt tamen author lib. *Coſri* & R. *Abrah. Sachut* in *Iuchaſin*, hodiernos Karræos à veteribus Sadducæis eſſe diſcernendos, quod in ſecundo duntaxat dogmate, traditionum ſc. & conſtitutionum talmudicarum reiectione conveniant (unde dicti Karræi quaſi *Scripturarios* dicas) non verò in primo. Vid. *Buxt. Lex. Talm. Rad.* קרא. Erant quidem adhuc aliæ inter Iudæos tum temporis ſectæ, ſed his ut præcipuis ferè ſubordinatæ, de quibus obiter. Hæc itaque ſiquis cum hodierno Chriſtianiſmo contulerit, omnem corruptionem ex antiquo Iudaiſmo pullulaſſe dixerit. Nam quoad *Doctrinam*, omnem hæreſin quæ à Chriſto Servatore unico, & divina gratia intrinſecus operante quovis modo abducit, cuiuscunque tandem ſit nominis, cum Iudaica non malè convenire: & quoad *Diſciplinam*, Monachos ab Eſſenis, Ieſuitas à Phariſæis, atheos, adulatores aulicos, & ſimile hominum genus à Sadducæis non multum differre animadvertet.

Hæc cum facies fuerit judaicæ religionis uſque ad vaſtationem templi ſecundi, ab eo tempore, omnibus judæorum familiis hinc inde diſperſis, iſtaque ſectarum compage ſolutâ, novam cataſtrophen facile paſſa fuiſſet, niſi R. *Iehuda Hakkadoſch*, qui circa annum Chriſti 150. floruit, maturè proſpexiſſet. Hic, ne tam variæ patrum traditiones, conſtitutiones ceremoniales & forenſes ad cultum Dei & legem Moſaicam ritè obſervandam ſpectantes, per Phariſaiſmum imprimis ſtudioſè inculcatæ, é judæorum memoria in exilio elaberentur, undequaque conquiſitis chartulis, eas omnes in unum corpus, quod hodie ספר משנית ſive *Textus talmudicus* vocatur, congeſſit. Super hoc textu variæ deinceps diſ-

putationes habitæ sunt in academiis eorum, quæ adhuc per tempus tolerabantur in Palestina, imprimis in Babyloniâ, ex quibus omnibus scripto diligenter consignatis, duo majora corpora, *Talmud* scil. Hierosolymitanum, quod minus est, & *Babylonicum*, quod aliquot ingentium voluminum mole constat, conflata sunt. In hisce libris tota politia judaica, aliquando per Messiam, si diis placet, restauranda, est abscondita. Continent itaque 1. omnes constitutiones forenses, quibus jus administratur à Magistratibus. 2. omnes constitutiones ceremoniales, quibus sacrificia, aliaque ad cultum ecclesiasticum spectantia ritè celebrantur à Sacerdotibus. Cum autem lex Mosis omnium istarum constitutionum norma sit, sunt isti codices in genere nihil aliud quam perpetua legis mosaicæ expositio. Quoniam verò istam Politiam seu forensem seu ecclesiasticam, durante exilio, exercere non possunt, sufficere pro tempore existimant, si aliquibus tantum ritibus (de quib. vid. ritualia judæorum) observatu facilioribus inde extractis, cultum in synagogis suis perficiant, donec in adventu Messiæ, restaurata Hierosolyma, universa ejus praxis restituatur. Eaque propter non tantum exhibent isti codices, qualis judaicæ reipublicæ status fuerit olim (hoc enim non nisi ad refricandum dolorem facere posset) sed etiam qualis ille denuo futurus sit, quando advenerit Messias; & quia prophetas istam restaurationem prædixisse opinio est, quamplurima etiam dicta prophetica ibi exposita reperiuntur. Modum autem docendi & disputandi talmudicis doctoribus usitatum quod attinet, aptiori similitudine vix eum exprimas, quam quæ à palude desumitur, in qua maxima ranarum copia est, quæ simul quasi contendere, & altiori tono alia alterius inconditum sonum corrigere videntur, & sic omnes certatim coaxant, ut à se invicem discerni nequeant; ubi verò aliquem transeuntem animadverterint, ilico omnes silent, nisi quod una vel altera sit, quæ dimidiam & abruptam vocem emittat. Pari ratione, homines illi confusis vocibus altercantur, alter alterum, antequam dimidium sensum expresserit, excipit, quasi magis appositè rem dicturus, sed multò ineptior est, tandemque totâ disputatione ad finem perductâ, nil nisi inanis coaxatio est, ridiculis fabulis conferta, omnique ratione destituta. Vbi verò in re alicujus momenti eos consulueris, quasi impositio silentio nihil dicent, vel quod superstitiosâ religione

ducti

ducti, rem dicere non audeant, vel quod alicujus, qui eam in judaicæ religionis præjudicium vertat, intereſſe exiſtiment; Et ſiquid fortè ab aliquo appoſitè dictum ſit quod valdè rarum, ejus ſenſus plerunque usque adeo obſcurus eſt & abruptus, ut explicatione indigeat. Hinc doctores poſttalmudici duorum ſunt generum, alii enim ſenſui S. ſcripturæ inveſtigando dant operam dicti בעלי פכוח, alii ſudant in explicandâ *Gemarâ*, (ſic vocatur rapſodia illa talmudica) qui labor cum magis arduus ſit & nobilior, etiam excellentiorem titulum meretur, unde doctores iſti גאונים *Excellentes* dicti ſunt; haud abſimiles illis qui in cryptis ſubterraneis verſantes in denſiſſimis tenebris ima terræ viſcera excutiunt, indeque plus luti & ſcoriarum quam pretioſi metalli extrahunt. Et quia ſenſus quem talmudici affingunt ſcripturæ, plerunque ineptus eſt, & à mente ſpiritus S. alienus, ne fruſtra & inepté magni iſti doctores loqui videantur, diſtinguunt inter ſenſum ſimplicem qui dicitur פשט, quem ſequuntur S. ſcripturæ interpretes, & allegoricum ſeu myſticum, dictum דרוש, quem ſectantur talmudici. Eademque diſtinctione eludere ſatagunt rabbini argumenta Chriſtianorum à talmudica authoritate contra judæos allegata.

His expenſis, theologiæ judaicæ definitionem talem eſſe colligimus: *Theologia judaica doctrina eſt ab hominibus in talmude tradita, cõſtitutionum forẽſium & eccleſiaſticarum, in politia Iudaicâ olim obſervatarum, & denuo eâ per Meſſiam reſtauratâ, ut judæi beate in mundo vivant, obſervandarum, ſeriem comprehendens.* Habes definitum cum ſua definitione. *Definitum* eſt *theologia Iudaica*, ubi vocẽ theologiæ 1. non ſumo *abſolutè* pro omni doctrinâ quæ unquam obtinuit inter judæos, ſed pro hodiernâ duntaxat, Karraïs, de quibus ſupra, ab eâ exceptis. 2. nec *ſtrictè*, qualiter à jurisprudentiâ diſcernitur, ſed *latè*, eâ comprehenſâ; cum enim theologia reverâ nihil aliud ſit quam *notitia eloquiorum Dei*, judæorum theologia ab eorum juriſprudentia realiter non diſtinguitur, cum eâdem Divinâ lege tam forenſia quam eccleſiaſtica ſtatuta contineantur. 3. nec *propriè*, ſic enim veræ duntaxat theologiæ nomen competit, ſed *abuſivè*, quatenus doctrina ſatanæ fraude & vanorum hominum opinione introducta, etiam theologia dici conſuevit. *Definitio* conſtat *Genere & Differentiâ*. *Genus* eſt *Doctrina*, ſiquidem magno labore inculcatur

& discitur, unde judæis à docendo vocatur תורה *institutio*. Differentia petitur. 1. Ab objecto. 2. causâ efficiente. 3. Instrumentali. 4. circumstantia temporis. 5. fine. *Objectum* sunt constitutiones ecclesiasticæ & forenses ritus & ceremoniæ, rempublicam & religionem judaicam spectantes. *Causã eius efficientem* dico esse *homines*, doctores scil. judæorum, non Deum, tametsi enim lex Dei pro fundamento ei substernatur, immẽsa tamẽ ista stultissimarum observationum legi Dei superaddita vorago ab hominibus qui nõ nisi in morte ineptiendi finẽ invenire potuerunt, sub legis oralis prætextu est introducta. *Instrumentalis* est utrumq; *Talmud*, quinto post natum Christum seculo exaratum. Addidi *Circumstantiam temporis* cùm præteriti tum futuri, sc. secundum opinionem Iudæorum, aliás enim per se falsum est, omnes istas constitutiones unquam hoc modo à veteribus sub templo primo & ante, fuisse observatas, utpote qui (testibus Karræis) sola lege scripta contenti erant; multo magis falsum est, vanum istum cultum unquam per messiam aliquem restituendum esse. Sequitur *Finis*, quem dixi esse, *ut Iudæi beatè vivant in terra*, nam revera alium scopum non habent. Veræ Theologiæ finis summus est *Dei Gloria*, & subordinatus *Animarum Salus*. Priorem licet prætendant, planè tamen amiserunt, Deum præceptis non præscriptis, & quæ præscripta erant abrogatis frustra colentes. Quoad posteriorem verò, planè obbrutuit plebs judaica, cui hodie nemo facilè persuadeat, alium unquam finem Deum intendisse, quare populum Israeliticum elegerit, legem suam ei dederit, Messiam promiserit, quám ut perpetuâ carnali felicitate, Deum secundum istã legem colens frueretur, & si iste cultus & felicitas ad tempus propter transgressiones interciderit, omnia in integrum per promissum Messiam restituerentur. Statum autem animæ post mortem quod attinet, beatam eius vitam, media denique ad eam perveniendi, frustra de ijs vulgum consulas, quippe qui istarum rerum planè nescius jam à multis seculis nil sitivit præter adventum Messiæ, qui Christianos & Turcas pedibus suis subijciat, & judæos in Palestinam reducat, & quo exilium exstitit gravius, eò magis exarsit hoc desiderium. Istaque fides tam alté mentibus eorum est infixa, ut ei immoriantur, ea spe freti, quamprimum ille venerit, se tum ilico resuscitandos esse, ut cum ipso Hierosolymam proficiscantur, ibique sub eius regno, templo restaurato, eadem imò maiori perfruantur fœlicita-

citate, quam patres eorum olim sub fœliciſſimis regibus Iſraelis. Et hæc cauſa eſt, quod de æterna animarum ſalute & mediis ad eam perveniendi parum adhuc ſint ſolliciti, ſat ſe temporis de iis rebus cogitandi habituros exiſtimantes, ubi primum cum ſuo meſſia iſto carnali gaudio per aliquot ſecula potiti fuerint. Hic vulgi religio gradum ſiſtit, nec ulterius progreditur. Reliqua philoſophis rabbinis excutienda relinquuntur, qui de ſeculo futuro, animarum immortalitate, earum creatione, mediis ad ſalutem, pœnis & præmiis temporalibus & æternis, fœlicitatis ſub meſſia natura, fine mundi, reſurrectione univerſali, extremo iudicio &c. magnificé differunt. Sed quot capita tot ſenſus. Aliter hic ineptiunt rabbini vulgares, aliter Cabbaliſtæ, multa circa hanc materiam habent communia cum philoſophis ethnicis, pleraque (ut oſtendimus) cum Pelagio & Socino. Neque S. Scriptura iſtas controverſias poteſt decidere, poſtquam enim eam more cabbaliſtico i. e. myſtico, ambiguo, *vago, inepto, exponendi licentiam* ſibi ſumpſere, nulla tam abſurda hæreſis eſt, quin mente Spir. S. plane neglecta, patrocinium aliquod, quod, ſinon omnibus ſaltem alicui rabbino arrideat, in ea reperiat. Oraculi autem loco eſt, quicquid ex talmudico tripode, ubi veterum ſectarum reliquiæ ſuperſunt, ad rem faciens depromitur. Cæterum nemo hæreſeos puſtulatur aut ἀποσυνάγωγος fit, licet opinionem foveat abſurdiſſimam, ſiquidem omnes hæ quæſtiones de rebus poſt adventum meſſiæ futuris, ipſis ſunt problematicæ de quibus unicuique quicquid velit ſentire liberum eſt, modò ne à fide vulgari, quæ eſſentiam Iudaiſmi conſtituit, deficiat.

Hæc judaicæ Theologiæ ſumma eſt, quam Ieſu Chriſto propitio ex rabbinorum ſcriptis confutādam ſum agreſſus, non quatenus illa in ſe abſurda eſt & inepta ſed quatenus vere Chriſtianæ Theologiæ contraria eſt. Quo autem feliciorē haberet ſucceſſum hoc inſtitutum, non tam de argumentorum robore quam convenienti methodo, qua tota diſputationis ſeries procederet diu multumque fui ſolicitus. Varijs enim modis à varijs doctiſſimis viris contra judæos fuit diſputatum qui licet omnes rationum pondere facile prævaleant, omnium tamen procedendi modum perinde probare non poſſum: inter alios imprimis & merito quidem commendatur vir illuſtris *Phil. Mornæus* in *Paræneſi* ſua ad judæos, cui addere poſſumus *Petri Coſti Typum Meſſiæ*, qui ſtudioſe conquiſiverunt & illuſtrarunt

omnia

omnia Scripturæ loca inter Christianos & Iudæos controversa. Verùm quotquot subiectum hoc tractarunt, Christianis potius quam Iudæis scripsisse videntur, plus enim in Christiana religione contra Iudæos statuminanda, quam in Iudæorum glossis & argutiis confutandis laborarunt. Aliud autem est satisfacere *Causæ*, aliud *Personæ*. Causæ omnes satisfeciſſe nullum est dubium, sed ut personæ satisfiat præsertim homini Iudæo, quo animalium genere in toto orbe nullum est pertinacius, compendiosior semper & propior ineunda est via qua omnibus recessibus præclusis, erroris convincatur. Et ut primò de artificiali disputandi modo dicam, quo quis hæreticum aliquod scriptum ab initio ad finem κατὰ πόδα confutandum, non suam sed adversarii methodum & ordinem sequens, aggreditur, tametsi in aliis controversiis nonnunquam iste processus commodé observari possit, in Iudaicis tamen locum non habet. Ratio est quia scripta Iudæorum sunt innumera & immensa, omnia vel *Talmud* vel *Commentarii*, præter moralia quæ generis mixti sunt. Commentarii sunt vel *Talmudici* vel *Biblici*: vel itaque contra illos calamus stringendus foret vel contra hos. Qui cum illis congredi velit, laborem susciperet non tantum infinitum sed & nullius pretii, cum enim totum talmud nihil aliud sit quam ineptissimorum rituum & fabularum quibus sensus aliquis mysticus obtenbitur congeries & obscurissima raplodia, à Dei Verbo aliena, de cuius sensu & mente multum disputant & inter se dissident ipsi rabbini. Nemo sane soliditatis studiosus in istam cloacam se demittere potest, quin ilico naribus fœtore oppletis suffocetur; tantum abest ut ei exhauriendæ sufficiat. Et licet quis talmudicam mentem, impetrato ubique rabbinorum consensu (quod impossibile) rectè perciperet, vix tamen quicquam in tam vasto corpore reperiet, quod vel directé & proprie faciat contra religionem Christianam, vel Iudaicam quatenus Christianæ opponitur specioſa aliqua ratiode stabiliat, quin talmudica authoritate repudiata ad S. Scripturam principium commune sit recurrendum, per quam solam si convicti fuerint Iudæi, stupenda ista moles sponte ruit, adco ut nemo eius demolitioni manum adhibere necesse habeat. Melius itaque procul dubio operam suam locare videbitur, qui in Biblicis commentariis excutiendis eam impenderit. Sed & hoc institutum immensi foret laboris & maximam partem præter cardinem controversiarum rab-

rabbini enim ubi benè ibi optimè, ubi malè ibi peſſimè, nam ubi malè ibi toto cœlo á veritate aberrant, cujus erroris cauſa tum inveſtiganda; vel ille nititur peculiari aliquo conceptu ſimpliciter in ſenſum aut Grammaticam peccante, qui nullum controverſiæ caput ſpectat, & ſic diſputatio eſt præter ſcopum, cum non ſit de fide, ſed meré exegetica; vel dogmate aliquo talmudico, ubi ſenſus ſpectatur non proprius ſed myſticus, & ſic diſputatio eſt inutilis, ſiquidem juxta regulam communem, Theologia allegorica & ſymbolica non eſt argumentativa; vel provenit á præjudicio fidei, & ſic ſolùm diſputandi materiam præbet. Hujus autem ratio exigit ut natura præjudicii exponatur prius & ſtatus controverſiæ conſtituatur, antequam excutiatur locus confirmandi erroris ergò adductus. Eaque propter huic conficiendo procedendi modus requiritur artificialis, quo omnia Scripturæ dicta ad certa controverſiarum capita revocanda ſunt, & quaſi inſtructa acie utriuſque partis rationes é Scripturâ petitæ, ponderandæ. Verum hanc viam nemo rabbinorum unquam ingreſſus eſt, neminem enim reperias qui aperto marte cum homine Chriſtiano in arenâ deſcendere auſus fuerit, vel methodicum aliquod ſcriptum in lucem emiſerit, quo ſuam fidem vindicandam & Chriſtianam convellendam, S. Scripturâ præeunte ex profeſſo ſuſceperit: Non quod artis diſputandi planè ignari ſint, nam aliquos in Philoſophicis diſputationibus ſatis accuratos eſſe videmus (inter quos eminet Abarbenel magni nominis apud ſuos theologus, qui ſi eâdem ἀκριβείᾳ, quâ Ariſtotelem, Platonem, Anaxagoram, Empedoclem, nec non ſocios ſuos in מפר מפעלות אלהים odoritur, in campo theologico, contra Chriſtianos comparere auſus fuiſſet, fixam controverſiarum ſedem haberemus) ſed quod cauſæ ſuæ diffidentes, perpetuò latebras quærant, profugo ſimiles qui ex acie in denſam ſylvam ſe proripiens, inter fugiendum bombardam ſuam in hoſtem diſplodit, ne non pugnaſſe videatur; Sic homines illi, ne non ubi res poſtulat diſputaſſe videantur, congreſſum ſubterfugientes obſcuris aliquot cavillis obiter hinc inde ſparſis rem conficiunt, & ilico murium inſtar in cryptas ſuas talmudicas, ubi impuné nugari licet, ſe proripiunt. Et hæc cauſa eſt quare judæorum ſcripta κατὰ πόδα refutare non ſit conſultum. Vnde per controverſiarum capita iſtam theologiam oppugnare præſtat. Sed quæritur hic à quo capite initium faciendum ſit? Non deſunt

qui à mysterio S. *Trinitatis* incipiẽdum esse existiment quorum sententiam neutiquam probare possum; cum enim istud mysterium non tam expressis verbis ex V. T. communi principio, quàm ex N. quod Iudæi reijciunt probari possit, talia præmittenda videntur capita, per quæ ad illius agnitionem adigantur, quod si non fiat, perpetuis cavillis excipient eos qui talia scripturæ loca ijs obijciunt, ex quibus illud secundum Christianorum sententiam colligitur. Neque demonstrationes cabbalisticæ quibus in hanc rem utitur. *Lud. Carretus* ex judæo Christianus Pontificius, tales sunt quin facilè à judæis possint eludi, quæ tamen aliàs suum pondus afferre possunt, si præjudicia, quibus capti sunt, prius sublata fuerint. Nec magis placet ut initium fiat à *Peccato & Libero arbitrio*, (quam methodum elegit *Pet.* de *Cavalleria* Hispanus in lib. cui titulus *Zelus* Christi contra judæos anno 1450. composito tandemque venetijs cum glossa *Alfonsi Vivaldi* anno 1592. edito.) quia enim materia hæc non nisi secundario spectat ad fidem judaicam, non omnes idem sentiunt, & perinde fere est rabbino, utrum *Pelagianus* sit an *semi-Pelagianus*, modò ne causæ judaicæ officiat; sic *Menasse Ben Isr.* placere studet Arminianis quod gratiam succurrentem agoscat *lib. de frag.* licet alij aliter sentiant. Præterea ubi ad satisfactionem pro peccato deventum fuerit, felicius subjectum hoc contra Socinianos, uti prius contra Pelagionos ex N. T. tractabitur, quàm contra judæos ex T. V. Licet enim utrumque invictis rationibus exinde quoque demonstrari possit, facilius tamen satisfiet personæ, si præjudicia primo loco tollantur. Alii à causa diuturnæ hujus captivitatis incipiunt, nim. transgressionibus judæorum, & in specie quidem ipsis obijciunt horrendum illud peccatum quo ipsum Dei filium cruci affixerunt. Hac methodo utitur R. *Samuèl Merochianus* ex judæo Christianus, in Epistola quã scripsit ad R. *Isaacum* Caput synagogæ in *Subjulmeta* civitate regis Moroci. Verum, peccata sua ultro fatentur judæi. Quod verò in specie attinet peccatum in cæ de Iesu Christi commissum, apud illos petitio principij est, negant enim hoc esse peccatum, negant etiam, illam captivitatis suæ causam esse. Iubet itaque ratio ut eorum subscribamus sententiæ qui à præcipuo controversiarum capite quod maximè essentialem differentiam inter Christianismum & Iudaismum constituit, quodque de communi judæorum fide est, initium sumi volunt, loco nimi-

sum

rum de MESSIA. Sed cum iſte locus valde amplum habeat diſtrictum, nondum perinde eſt à quâ parte quis moliatur ingreſſum. CL. *Grotius libr. de verit. rel. Chriſt.* orditur à miraculis Ieſu Chriſti; Iſta autem methodus non placet, non ideò quod judæi excipiant, miracula illa virtute diabolorum facta eſſe, iſta enim calumnia ab ipſo Chriſto fuit retuſa, & varijs alijs demõſtrationibus nullo negotio retundi poteſt, ſed quod hodie ſimpliciter excipiant, nullis miraculis, cujuscunque ſint generis quorum ſcopus ſit ut à lege Moſis abducant, fidem eſſe adhibendam, eaque de re ſibi ab ipſo Moſe cautum eſſe Deut. 13. 1 *Si ſurrexerit in medio tui propheta, ediderit q; ſignum aut prodigium &c. ne auſcultato quia Deus vos tentat.* Atque ita per miracula Chriſti non tollitur præjudicium, & licet ad iſtum locum facilè quidem reſponderi poſſit, cauſæ tantum erit ſatisfactum, non perſonæ. Neque felicius res ſuccedet ei qui ab ejus *Natura* vel *officio* exordiri velit. Maximè ergo eorum laudo inſtitutum, qui à parte debiliori, uti in omni hoſtili oppugatione fieri conſuevit, moliuntur impetum, ab Eventu, TEMPORE ſcil. *adventus Meſſiæ, Iudaicæ reipublicæ & legis Moſaicæ everſione.* Hic ſiſtendi ſunt homines contumaces, & tam diu fatigandi & macerandi, donec victrici veritati dent manus, iſtoque præjudicio ſublato, facilior ad ſuperiora erit progreſſus: Verum prout rarior eorum eſt numerus qui provinciam hanc occuparunt, ſic non niſi generalibus demõſtrationibus rem eos confeciſſe video. Hoc autem minimè ſufficit, excipiunt enim judæ, impœnitentiam ſuã in cauſa eſſe quominus hactenus venerit Meſſias; cæterum ſe propheticis promiſſis de eo venturo & reſtitutione legis, quorum ſenſum & mentem ſoli rabbini & doctores talmudici, non vero Chriſtiani intelligant, firmiter inniti, nec de tempore eſſe ſolicitos, modo de re conſtet. Hoc itaque defectu judaicæ controverſiæ à Chriſtianis tractatę hactenus laboraſſe videntur, quod nemo omnia illa ſcripturæ loca de Meſſiâ inter nos & judæos controverſa ſatis accuratè (quod tamẽ in quovis alio cum quibusvis adverſarijs congreſſu ſedulo fieri conſuevit) excuſſerit, talmudicorum ſuper ijs mentem inveſtigaverit, varias rabbinorum expoſitiones inter ſe commiſerit, inepta eorum gloſſemata confutaverit, vana ſubterfugia & latebras detexerit, verumque Spiritus S. ſcopum ex propria aliquorum confeſſione, Chaldaicâ pharaphraſi, vaticiniorum contextu, linguæ S. proprietate & rationibus Gramaticis

ticis eruerit, atque ita revera ostenderit, Christianis etiam ad ipsa judæorum penetralia patere accessum. Neminẽ ex nostris videre licuit qui hanc Christianæ reipublicæ operam navaverit, multos autem in Hebræorum literaturâ, authoribus copiosè citandis, flosculis eruendis, & minutis de re levi observatiunculis ingenium & linguæ peritiam ostentantes. Sed cui bono ista? sinon convincendo sed fovendo potius (siquidem obfirmatiores redduntur in errore, quod figmenta sua & nugas apud Christianos in pretio esse animadvertant) judaismo inserviant.

Hunc defectum cum animo sæpius mecum volverem, de eo sublevando, judaicis controversiis illustrandis, & ope quam alii mihi non tulissent, aliis ferendâ subiit cogitatio. Verum eam duo obstacula aliquamdiu suspensam tenebant. *Unum*, tenuitatis meæ conscientia, etsi enim, decennio circiter cum discendo tum docendo isti studiorum generi impenso, modiocrem linguæ S. peritiam acquisivissem, attamen eiusmodi labor non idiomatis duntaxat peritum sed & consummatum theologum requirere videbatur, à quâ perfectione immane quantum me abesse ultro fateor. *Alterum*, authorum penuria; siquidem scripta rabbinorum, prout admodum parcè manibus Christianorum teruntur, sic in eorum bibliothecis raræ sunt aves, & ubi reperiuntur, sunt instar aureæ vel argenteæ suppellectilis, non quod tanto pretio digna sint (pleraque enim merè nugæ sunt) sed ob editionum, quas à Christianorum oculis quantum possunt, prohibent, raritatem. Pervicit tamen conatus, & ardens rei agendæ desiderium, cui exstimulando calcar addidit Vir Amplissimus & Doctissimus D. DAVID DE WILLEM I. V. Lic. Celsiss mi principis Auriaci & supremæ Curiæ Brabanticæ, quæ Hagæ Comitis est, Consiliarius, qui, (uti quondam Orientalium regionum perlustrator accuratissimus, sic & literaturæ Orientalis summus æstimator & studiorum meorum fautor singularis) me tricis Grammaticis, quibus plus nimium temporis & laborum me impendere prudenter judicabat, immersum, ad majus operæ pretium, controversias sc. judaicas tractandas seriò adhortatus est, simulque ejus studii feliciter instituendi rationem & viam præmonstravit. Adèo ut siquid ex hoc qualicunque labore ad rempublicam Christianam accesserit commodi, id Eximio isti Viro ex parte acceptum referri debeat. Nec parum me sublevabat, quod

præ-

prævidebam, me non tam rationum quam ineptiarum pondere obrutum iri, quibus discutiendis etiam inferioris subsellii theologus sat virium suffecturus esset; tum quod in detegendis & revincendis corruptelis præcipua pars operæ consisteret, cui conficiendæ artis grammaticæ beneficio & hebraismi notitia non sine aliquo successu tempus me locare posse confidebam. Authores quod attinet, non tanta eorum copia requirebatur, modò præstantissimi & qui in sensu Biblico investigando nominis celebritatem apud Iudæos sibi parassent, ad manus essent: nam multos legere & citare rabbinos, multum nugari est, nec ulla istorum hominum apud nos debet esse authoritas, nisi rationibus fulciant id quod dicunt. Celebriora autem quæ occurrent nomina sunt R. *Salomo, Aben Esra, D. Kimchi, Don Abarbenel, R. Alschech, R. Bechai, R. Lipman, R. Ioseph Albo, R. Menasse ben Israel* &c. quibus accedunt *Talmud* & *Rabboth*, ubi de sensu aliquo mystico seu allegorico sermo incidit. Horum aliquos propria bibliotheca mihi suppeditavit, præcipuos autem pro benevolo & fraterno suo erga me affectu ex rabbinico suo thesauro ad me misit Rev.& Doctiss. vir *Robertus Pagetius*, Ecclesiæ Iesu Christi quæ Dordraci ex Magna Britanniâ colligitur, Pastor; cujus amicitiæ me hoc nomine vehementer devinctum agnosco.

Sic itaque certamen aggressus, *Theologiam Iudaicam* in duas classes divisi, in *Carnalem* (scil. & *Spiritualem*. Carnalis illa est quæ agit de corporali felicitate in hoc mundo. Spiritualis, quæ de anima, Dei cultu, seculo futuro ratiocinatur. Carnalis totam doctrinam de *Messia* proponit, cui, quatenus Christianæ doctrinæ contraria est, duas constitui partes. *Prima* κατασκευαστικὴ agit de *Messia Iudæorum*. *Secunda* ἀνασκευαστικὴ de *Messia Christianorum*. Prout suo quoque tempore, Deo dante, etiam spiritualis eorum theologia duabus itidem partibus, una de *Anima*, altera de *Traditionibus*, absolvetur. Ad partem κατασκευαστικὴν accurato examini subiicientur omnia illa Scripturæ loca quibus Iudæi messiam suum, qualem illi somniant, adstruere satagunt. Ad partem ἀνασκευαστικὴν vindicabitur Doctrina Christiana de Messia contra Iudæos, ubi inprimis cum *R. Lipmanno* nobis res erit, qui ad absurditatem nos redigere, & celeberrima vaticinia de vero Messia proposita, nobis interverte re studet. Ad primæ partis confectionem commodùm nactus sum libellum apud judæos satis celebrem אבקת רוכל (de quo vid. *Buxt.*

in *Biblioth. Rabb.*) qui fidei judaicæ velut compendium quoddam exhibet, imprimis quoad librum eius primum, ubi exactè & historicè recenset fidem de Messia, omniaque scripturæ loca quæ subjecto huic illustrando & statuminando apta videntur, acervatim congerit, quem, quod ejus in hac parte ordinem servare visum esset, in Latinum sermonem transfudi, addita sub finem appendice de 70. vaticiniis Danielis juxta Abarbenelem. Imprimis autem hic tractatur omnium vaticinionum celeberrimum Esaj. 53. quod quidem ad secundam partem propriè referri potuisset, quia tamen ejus mentio hic incidit, tum quod rabbini illud ad sui quoque Messiæ tempora suo modo revocent, eâdem operâ totum expendere placuit. Cæterum ne rabbinis aliquid affingere viderer, placita eorum fideliter transcripta Latinè reddidi, antequam examini subiicerentur, quo etiam medio hebraismi rudiores in hisce controversiis cum fructu versari poterunt.

Et hæc integri hujus instituti pars prima est, quam, postulante typographo, primo in lucem emittimus, eamque, Deo favente, subsequetur altera, quamprimum laborem hunc virorum doctorum judicio Reipublicæ Christianæ nec ingratum nec inutilem fore perceperimus. Interim, *Benevole Lector*, pium conatum pijs tuis votis adjuvare, & si hisce meliora & doctiora forte habeas, ea in publicum bonum, & privatum meum commodum transfundere ne dedigneris rogo.

VALE.

IN

IN
CONTROVERSIAS
IVDAICAS

Reverendi & Eximii Viri
ANTONII HULSII

Parænesis ad Iudæos.

Divæ Mentis Opus! Quantum tua Sacra probasse!
Et dare devota Relligione fidem.
Quæ Veterum fuerit Pietas, Quæ Vota Parentum,
Quæ Spes Thariadis, Cognita quæque Salus.
Anchora quæ Fidei, Venturi nuncia REGIS
Quæ pia mens Vatum, differit Hulsiades.
Excutit Abramidûm spuriæ Penetralia Gentis.
Antiquum Verum vindicat iste Labor.
Eheu! Vos Viles IESVM vidistis Apellæ,
Nullus Amor Christi, nulla reperta Fides.
Impietas horrenda, tremo, occidistis Iesum,
Qui pœnas Insons supplicium que tulit.
O durum de stirpe Genus! Sævosque Tyrannos,
Non Patris Isaci, dæmonis at Soboles.
Quinetiam Mundus vestra hausit Toxica, Vestrum est
Talmudicæ Pestis quicquid Orbis habet.
Vestra lues Gangem percussit & Oppida Nili,
Signa hæc sunt vestræ publica Perfidiæ.
Nec satis est, audetis adhuc committere chartæ,
In Servatorem Scripta nefanda Pium.

Et

Et patimur, tolerante Deo, lachrymabile Factum,
Tempora dum veſtræ nata Salutis erunt.
Scilicet æterni Meritis & Sanguine Chriſti,
Hic ſcopus ætheriæ, Speſque parata viæ.
Ei! Agedum, nam ſumma dies, properate Rebelles,
Horaque Iuſtitiæ, nec mora longa, venit.
Credite, ſi Superum vultis Statione locari,
Iſthæc quæ vobis Pagina docta refert.
Hic Pietas, hic vera Fides, defenſa tot annis,
Hic Requies animæ, nec peritura Salus.

I. D. BEVERE.

ספר אבקת רוכל

Liber Pulveris Aromatarii.

ספר אבקת רוכל בזה החבור נכללים חדושים רבים גדולים ונוראים ולכן קראתי אותו אבקת רוכל שריחו מחזיק הנשמה ונותן כח לנשמה כך הספר הזה אדם בו יראה ויקיים נשמתו שתהיה טהורה מכל חטא ועון ופשע כדי שיזכה אל הטוב המבואר בהספר הזה וחלקתי אותו לג' ספרים ולמען יראה וימצא לכל מבקש חדוש אחר אשר יהיה בו באחד מאלו הספרים ציינתי כל חלק וחלק במה שהוא מרבר ובזה הדרך ימצא מה שנפשו חפצה בלי טורח כלל.

COmprehenduntur in hoc opere nova multa, magna ac tremenda; Propterea-que titulum ei feci *Pulvis Aromatarii*, ut pote cujus odor animum afficit, eique robur conciliat; idem liber hic præstat, quicunque eum legerit, restaurabit animam suam, ut munda sit ab omni peccato, iniquitate, & prævaricatione, ac dignus evadat qui fruatur bono quod in libro hoc exponitur. Subdistinxi autem eum in tres libros, & ut quævis res nova in aliquo ex istis libris contenta, à quovis eam investigante facilius reperiri possit, omnes cujusque libri partes earumque summa capita designavi, atque hoc medio absque ullo negotio inveniet quæcunque animus ejus investigare desideraverit.

הספר הראשון

Liber Primus.

יכלול בו האותות והמופתים והמלחמות והצרות העתידין להיות קודם ביאת הגואל והם מה שקראום ר"ל חבלי משיח ובמה ינצל בן אדם מהם ומה הם הסבות המאחרים הגאולה וקצת מאמרים מחכמי התלמוד בענין הקץ ויתחלק לשני חלקים.

Complectitur signa, prodigia, bella, & angustias futuras ante introitum Redemptoris, quas Rabbini nostri b. m. vocare solent *Dolores Messiæ*. Ostendit quomodo homines ab iis sint liberandi; & quænam causæ sint redemptionem retardantes. His adduntur dicta aliqua sapientum Thalmudicorum tempus præfinitum spectantia. In duas autem partes dispescitur.

החלק הראשון יבאר האותות שיהיו במלחמות מלך המשיח.

Prima exponit signa quæ sese ostendent in bellis regis Messiæ.

Secunda exponit inquisitiones sapientum, (quib. sit pax) temporis præfiniti materiam concernentes.

LIBER SECUNDUS.

Complectitur animę remanentis receptum, mercedem & pœnam, atque arcana magna circa statum animę post resurrectionem Item quid sit mundus futurus secundum fidem nostram, idque contra sententiam sanctissimam legem nostram abnegantium. Dispescitur autem in quatuor partes.

Prima Pars exponit animæ statum post ejus separationem à corpore ad quem & quò vadat postquam ex hoc mundo fuerit egressa, ac deposuerit vestimentum suum quo in mundo hoc vestita fuerat?

Secunda exponit animarum judicium in Gehenna inferiori, itē quid sit Gehēna inferior, quòd sit arcanum gehennæ superioris, & quid sit gehenna superior?

Tertia exponit arcanum mundi futuri, & quare vocetur mundus futurus? item arcanum, quod toti Israëli portio sit in mundo futuro.

Quarta exponit mortuorum resurrectionem, Deum nimirum eos ad vitam corpore & anima præditos prout antea fuerant, resuscitaturum, atque in hoc arcano de mortuorum resurrectione quam plurima alia arcana magna & profunda explicantur, & imprimis arcanum Septimæ Chiliadis, dictumque illud, *sex millenarios durabit mundus & unus erit desolatus.*

החלק חשני יבאר מ
מדרשות חכמים עליהם השלום
בענין הקץ

הספר השני

יכלול בו השארות הנפש
ושכר ועונש וסודות גדולים ב
בעניני הנשמה אחר התחיה ו
ומהו עולם הבא בפי אמונתינו
והוא בנגד דעת המכחישים ב
בתורתינו הקדושה ויתחלק ל
לארבעה חלקים

החלק הראשון יבאר
בענין הנפש אחר הפרדה מן ה
הגוף למי היא ואנה תלך אחר צ
צאתה מזה העולם ותניח לבושה
אשר לבשה בזה העולם.

החלק השני יבאר בענין
דין הנפשות בגיהנם של מטה
ומהו גיהנם של מטה וכי הוא סוד
גיהנם של מעלה ומהו גיהנם של
מעלה.

החלק השלישי יבאר
בענין סוד העולם הבא ולמה ק
קראוהו עולם הבא וסוד כל י
ישראל יש להם חלק לעולם ה
הבא.

החלק הרביעי יבאר
בענין תחית המתים שעתיד ה
חק'בה להחיות ולהשיב אותם
חיים בגוף ונשמה כאשר בתחלה
ובו יתבארו במה סודות גדולים
ועמוקים בסוד תחיית המתים
ובו יתבאר סוד אלף שביעי
ומאמר שית אלפי שני להוי
עלמא וחד חרוב.

Com-

LIBER TERTIUS.

Complectitur judicia à Sapientib. Talmudicis dicta *Traditio Moſis de Monte Sinai.* Agit quoq; de formatione hominis, ubi dictum Rabb: b. m. de tribus hominis cooperatoribus, ut & numerus membrorum quæ ſunt in homine. His Gematriæ quædam legis ſubjiciuntur. Diſpeſcitur in 3. Partes.

Prima exponit Traditiones Moſis de monte Sinai, quotnam ſint, earumque capita.

Secunda exponit hominis formationem, & numerum 248. membrorum in homine.

Tertia exponit Gematrias quaſdam legis. Atq; ita incipiemus & abſolvemus cum auxilio ejus cum quo habitat lux.

LIBER PRIMVS.

Pars Prima.

Benedictum ſit nomen (1) Dei, qui delegit Iſraelem ex (2) ſeptuaginta nationibus, prout dicitur Pſal. 135. 4. *Iacobum enim elegit ſibi Deus, Iſraëlem in peculium ſuum.* Qui dignos eos judicavit, ut legem ipſis daret, juxta id quod dicitur Eſai. 42. 21. *Dominus delectabatur ipſo propter juſtitiam ſuam, magnificabat eum per legem* &c. Verba ſua ipſis poſſidenda dedit, ac decem præcepta inculcavit, quæ cõcluſit in verbo *Non concupiſces*, quandoquidem illa omnia ab hoc ultimo dependent, ad indicãdum, quod qui præceptum hoc præſtat ſit ac ſi totã legẽ præſtitiſſet, & qui illud trãſgreditur, ac ſi totã legẽ fuiſſet trãſgreſſus. Benedict. nomen Dei qui

ספר השלישי

יכלול בו כל הרינין שאמרו חכמי התלמוד הלכה למשה מ מסנ וכצד יצירת האדם ובו מ מאמר ר"ל ג' שותפין כאדם ומנין איברים שבאדם וקצת נ גמטריאות שבתורה ויתחלק לג' חלקים.

החלק הראשון יבאר הלכות למשה מסיני כמה הן ומנינן.

החלק השני יבאר יצירת האדם ומנין ר"מח איברים ש שבאדם.

החלק השלישי יבאר קצת גמטריאות שבתורה ונתחיל ונגמור בסיעתא די שרי עמיה נהורא.

ספר ראשון

החלק הראשון.

יתברך שמו של הק"בה שבחר בישראל משבעים אומות שנא' כי יעקב בחר לו יה ישראל לסגלתו וחפץ לזכותם ונתן להם תורה שנאמר ה' חפץ למען צדקו יגדיל תורה וגו' והתחילם אמריו והשמיעם עשר דברות וחתם ברבור לא תחמור שכולם תלוים בו ולרמוז כי כל המקיים מצוה זו כאלו קיים כל התורה כולה וכל העובר עליה כאלו ע עובר על כל התורה יתב' שמו

mirificé agit consilio & magnificat reipsâ; Esai. 28. 29. Et secundum decem hæc præcepta sapientes justorum gradus enumerant, quorum alius alio superior est, facilior ad difficiliorem perducit, atque ita homo per illos ascendit, donec ad supremum omnium pertingat, cum Deus in supremo omnium consistat. Et hoc est quod Rabbini b. m. dicunt; Admonitio ducit ad promptitudinem, promptitudo ducit ad abstinentiam, abstinentia ducit ad innocentiam, innocentia ducit ad mundiciem, mundicies ducit ad sanctitatem, sanctitas ducit ad humilitatem, humilitas ducit ad timorem peccati, timor peccati ducit ad beneficentiam, beneficentia ducit ad Sp. S. Primus itaq; gradus est admonitio, quâ homo indiget, ut sibi caveat à peccato omniq; re ad transgressionē impellente, atq; hoc medio alacris efficietur ad præceptum, beneficiorum retributionem, bona opera, & bonos mores; quod si verò ad præceptorum observationem & bona opera alacrem sese ostenderit & legi operam dederit, mundus inde & immunis evadet ab omni peccato, ab omni immundicie, improbitate, & delicto purgatus; & si ita fecerit mundus paulatim subsistet coram Deo, innocens manibus & purus; si verò ita mundus fuerit, eò tandem devenict, ut sanctus & magnus sit habendus coram creatore suo; & si fuerit sanctus, timens Deum quoque erit, humilis & submissus spiritu coram possessore suo; Et si humilis fuerit, Deum timebit Deoque dilectus erit; Et si ita fece-

של הק"בה שהפליא עצה והגדיל תושיה ופגגח עשר הבחות הללו מנו חכמים מעלות לצדיקים כל אחת ואחת גדולה מחבירתה והקלה מביא' לידי חמור' ואדם מתעלה בהם עד שמגיע למעלה מכולם שה"קבה למעלה מכולם והוא שאמרו ר"זל זהירו' מביאה לידי זריזות זריזות מביאה לידי פרישות פרישות מביאה לידי נקיות נקיות מביאה לידי טהרה טהרה מביאה לידי קדושה קדושה מביאה לידי ענוה ענוה מביאה לידי יראת חטא יראת חטא מביאה לידי חסידות חסידות מביאה לידי רוח הקודש ר ראשונ' זהירו' שצריך האדם להיות זהיר מן החטא מכל דבר המביא לידי עבירה זה הדבר מביאו עד שיהיה זריז במצות ובגמילות חסדים ובמעשים טובים וכל מדות טובות ואם היה זריז במצות ועוסק בתורה וזריז במעשים טובים הדבר הזה מביאו עד שיהיה בר ונקי מכל חטא ומנוק' מכל טומאה ומכל רשע ואשמה אם עשה כן חובר הזה מביאו עד שיהיה טהור לפני הק"בה ונקי כף וזך ואם היה טהור הדבר הזה מביאו עד שיהיה קדוש ונזהר לפני בוראו ואם היה קדוש הדבר הזה מביאו עד שיהיה ירא שמים עניו ושפל רוח לפני קונו ואם היה עניו הדבר הזה מביאו עד שיהיה ירא שמים ואהוב למקום ואם היה עושה כך מביאו עד שיהיה חסיד

וגוכל חסרים לכל הבריות ואם היה כך שכינה שורה עליו וזו ה היא המעלה העליונה שאין למעלה הימנה והצדיק מתעלה כמעלה למעלה עד שהוא מגיע לזו המעלה הגדולה המעולה מכולם.

fecerit, beneficus quoque evadet,& beneficia rependens omni creaturæ; & si talis fuerit, Majestas (') divina super ipso quiescit,& hic gradus supremus est, neq; datur superior eo. Iustus ergo ascendit de gradu in gradum donec ad supremũ hunc & omnium maximum pertingat.

שכר עשר מעלות

Merces Decem Graduum.

שאם היה זהיר מה שכרו הק"בה ממלט מכל צרה וצוקה וכבל מיני משחית ומכל מיני פורעניות והוא שנזהר ואת עצמו מלט ואם הוא זריז במצות מה שכרו הק"בה מרחיב את לבו ומאיר עיניו במאור התורה שנא' דרך מצותיך ארוץ כי תרחיב לבי ואם היה פרוש מה שכרו הק"בה עושה אותו כגולתו שנא' ואגדיל אתכם מן העמים לחיות לי ואם היה נקי מה שכרו הק"בה שובר אויבי לפניו ומשמחו במפלתן שנא' יראו ישרים וישמחו ונק ילעג למו ואם היה טהור מה שכרו נקרא אוהבו של הק"בה שנא' אוהב טהר לב חן שפתיו רעהו מלך ואם היה קדוש מה שכרו הק"בה מכינו לחיי עולם הבא שנא' והיה הנשאר בציון והנותר בירושלים קדוש יאמר לו ואם היה עניו מה שכרו ה"קבה

Si igitur cautus fuerit, quænam erit merces ejus? Liberabit eum Deus ab omni angustiâ & anxietate & ab omnibus perditionis & pœnarum generibus, juxta illud Ez. 34. 5. *Qui monitum acceperit animã suã eripiet.* Et si ad servanda præcepta fuerit alacris, quæ merces ejus? Deus dilatabit cor ipsius,& lumine legis oculos ipsius illuminabit, dicitur enim Ps. 119. 32. *Viam præceptorum tuorum percurrã, cum dilataveris animum meum.* Et si abstinens fuerit, quæ merces ejus? Deus faciet eum peculium suum, quia dicitur Lev. 20 26. *Separavi vos a populis ut sitis mei.* Et si innoceus fuerit, quæ merces ejus? Deus confringet hostes ipsius coram ipso, & exhilarabit ipsum in ruinâ eorum, nam dicitur Iob. 22. 19. *Videbunt recti & lætabuntur, & innocens subsannabit eos.* Quod si fuerit mundus quæ merces ejus? Vocabitur amicus Dei, dicitur enim. Prov. 22. 11. *Qui amat munditiem cordis, pro gratiâ labiorum ejus, Rex amicus ejus futurus est.* Quod si fuerit sanctus, quæ merces ejus? Deus illum disponit ad vitam futuri mundi, quia dicitur Esai. 4. 3. *Erit enim, ut qui relictus fuerit Tzione & residuus Ieruschalaimis, sanctus ipsi dicatur, quisquis adscriptus fuerit vitæ Ieruschalaimis.* Quod si fuerit humilis, quæ merces ejus? Deus intelligere faciet eum arcana legis, & explanabit

מגינו סודי תורה ומבאר לו גנזי חכמתו שנא' סוד ה' ליראיו ואם ה ה חסיד מה שכרו חק"בה משרה עליו רוח הקודש ומדבר אליו ככל הנביאים שנא' או דברת בחזון לחסידך וכנגד י' דברות וי' מעלות הללו עתיד ה"בה לעשות עשרה אותות קודם ביאת הגואל שימהר ה"בה לפדות את בניו ולגאול אותם מן השעבוד נחיינו בקרוב בימינו.

ipsi thesauros sapientiæ suæ, quia dicitur Psal.25.14. *Arcanum Iehovæ adest timentib. ipsum.* Quod si fuerit beneficus, quæ merces ejus? Deus habitare faciet super ipso Spiritum Sanctum, ipsi loquetur ad modum omnium prophetarum, quia dicitur Psal.89.20. *Tunc per visionem allocutus es beneficum tuum.* Et pro ratione decem præceptorum, decemque horum graduum, Deus decem signa edet ante adventum Redemptoris, quem ad liberandum filios suos & ad redimendum eos à servitute accelerabit in vita nostra, in propinquo dierum nostrorum.

DIALEPSIS.

QUæri meritò hic possit, quare author noster libro hoc primo de Messia & signis adventum ejus præcessuris, dicturus, initium faciat à mercede bonorum operum eorumque decem gradibus; quid remunerationi bonorum operum cum adventu Messiæ? Versatur institutum hoc circa maximum judaicæ fidei mysterium, idcircò antequam ulterius progrediamur, ejus rationem altius eam investigando in limine lectori ob oculos ponere operæ pretium erit, unde constabit quo vinculo duo isti articuli sint connexi, *Messias* nimirum & *Merces* & quid de utroque hodiè teneant judæi. Liquet ex scriptis propheticis, omnem priscorum patrum gentis Judaicę spem quam de Messiæ adventu conceperant, in solâ animarum spirituali liberatione à tyrannicâ Diaboli & peccati dominatione, Messiæ beneficio obtinendâ sitam fuisse; mansit fides ista sarta tectaque inde à mundi primordiis usque ad templi primi eversionem, vitamque æternam consequuti sunt quotquot istâ fiduciâ

ciâ freti piè objerunt. At verò ſtante templo ſecundo judæi aliarum gentium, imprimis Romanorum imperio ſubacti, ac Meſſiæ adventum indies exſpectantes, (ſiquidem tempus ei in Iacobi Patriarchæ vaticinio præfixum jam ad metam decurrebat) monſtri aliquid de Meſſiâ patribus incognitum alere cœperunt, ipſum nimirum non à poteſtate Diaboli & peccati ſed gentium fore liberatorem ſuum, eoque torquere quicquid prophetæ de ſpiritualibus ejus beneficiis erant vaticinati: Et hæc ſola cauſa fuit quare repudiaverint Ieſum ſervatorem, quod ſcil. carnalibus viribus ad tantum opus perficiendum non viderent inſtructum, qui tamen ſaniori mente prædiți erant in priſca Patrum fide perſtiterunt, inter quos fuerunt Zacharias, Simeon, Anna &c. Luc. 1. & 2. qui Chriſtum amplectentes confeſſi ſunt quid patres de eo crediderint, & quid reverâ de eo credi deberet, ipſum nimirum fore non corporum ſed animarum liberatorem in peccatorum remiſſionem. Sic itaque concidit ſpes Iſraëlis ſecundum carnem, adulterata fides dùm in carnalem degeneravit quæ quondam ſpiritualis erat, & quantum anima diſtat à corpore, quantum beneficia corporalia inferiora cenſentur ſpiritualibus, tantum etiam de pretio ſuo & dignitate amiſit Meſſias apud gentem Judaicam, ex quo tempore cum homine mortali duntaxat pro libertate corporis conflicturus credi cœpit, qui deſtinatus erat ut cum hoſte immortali diabolo nimirum pro animæ libertate manus conſereret. Prævaluit autem apud eos perverſa iſta fides in hodiernum uſque diem, ſed quia viderunt ſe inde à templi ſecundi everſione per tot ſecula vanâ ſpe lactari, aliquoties etiam Pſeudo-Chriſtorum ludibriis excepti, in miras anguſtias conjecti fuerunt eorum ſapientes, de ſeculo in ſeculum remiſſius de Meſſiâ ſentire & in varias

con-

contrariaſque opiniones diſtrahi cœperunt, aliis ſtatuentibus Meſſiam modo manifeſtatum fuiſſe ſtante templo primo,(quod quo ſenſu ſtatuatur poſtea videbimus) aliis omnia Meſſiæ tempora effluxiſſe,proindeque veniſſe modò ſed nondum manifeſtatum Iſraëli, aliis, ipſum certò venturum ſed in tempus iſtius adventus non eſſe inquirendum,quæ quidem communis eſt eorum ſententia. Integrum de iſta controverſia caput videre eſt in lib. Talmud: *Sanhedrin* in Gemara, ubi adeò futiliter & ineptè de Meſſiæ adventu diſputant doctores, ut articulum hunc in nugas & fabulam tranſiiſſe dixeris, alius alii perpetuò contradicit, nihilque ibi certi ubi vel pedem figere poſſis, reperias. Hinc ergò miris modis judaicæ fidei facies immutata fuit, qui enim articulus priſcis temporibus erat ſummus totiuſque ędificii fulcrum unicum humanæ ſortis reſpectu, Meſſiæ nimirum adventus & beneficia,hodiè in infimum locum detruſum videmus & vix dignum qui ſub articulorum fidei titulo compareat: nec mirum, cum enim non in tempore & perſona duntaxat ſed & imprimis in officio Meſſiæ aſſignando toto cœlo aberraverint, hactenus deluſi, & partim pudore ſuffuſi, partim in errore iſto perſiſtentes Meſſiam beneficiis duntaxat temporalibus cumulatum acceſſurum, ipſius adventum utpote non uſque adeò neceſſarium ſuſque deque habere, præſertim cum ferè ad deſperationem uſque moretur, incipiunt, quamvis illud apertè fateri non audeant: ejus rei documenta dabo evidentiſſima.Magnus ille judęorum Magiſter Maimonides dictus Moſes Ægyptius qui floruit circa an. Ch. 1200. in com. ad miſchnam cap. *Cheleck* quod eſt XI. libri *Sanhedrin*, tredecim fidei *Ikkarim* fundamenta ſive articulos ponit, quos etiam recenſet & probat *Menaſſeh Ben Iſraël* modernus *Prob.* 1. *de Creatione.*Horum articulorum penultimus

mus Mesiæ adventum credendum proponit, articulis sc. dignioribus præmissis, inter quos septimus agit de Mose qui prophetis omnibus præfertur & per consequens etiam ipsi Messiæ. At vero *R. Ioseph Albo* Hispanus qui floruit ultra an. Christi 1400. in libro *Ikkarim*, qui in magno pretio est apud judæos, articulum hunc de Messiâ cum pluribus aliis ex fidei Ikkarim seu fundamentis extrudit, istoque nomine vehementer carpit Majemonidem dicens Orat. 1. cap. 3. זה האיש לא שת לבו להבין מלת עקר ויגל מה הוא יפול זה השם *Non applicuit animum iste homo, ut intelligeret quid sit vox* עקר, *radix seu fundamentum, & quid propriè denotet.* Et quamvis alium quendam istis verbis carpere videatur, obliquè tamen tangit Majemonidem. Quid ergò propriè est *Ikkar*? Exponit hoc initio citati capitis; sicut arbor radici incumbit & absque eâ stare nequit, sic illud propriè Divinæ legis עקר sive fundamentum & radix dici vult, cui lex innititur, & sine quo subsistere nequit, talia ergo legis עקרים statuit esse tria tantummodò, nimirum, 1. מציאות השם *Dei existentia.* 2. תורה מן השמים *Lex de Cælo.* 3. שכר ועונש *Merces & pæna.* Hæc tria sola statuit fundamenta legis & fidei, & cuique peculiarem dissertationem assignat, reliqua ergo quæ Majemonides ponit, inter quæ adventus Mesiæ, excludit. Vult quidem ista omnia debere credi ab Homine judæo sed non tanquam עקרים fundamenta legis sed tanquam ramos ex triplici ista radice promanantes, adeò ut qui negaverit unum ex tribus istis Ikkarim, totam legem subverterit, qui verò negaverit adventum Mesiæ, mortuorum resurrectionem, vel similem articulum, non subverterit legem, quia non tetigit עקר radicem, sed tantum ramum aliquem ex arbore ista amputaverit, quæ nihilominus per se stabit. Et quidem de Mesiæ adventu speciatim docet cap. 23. Orat. 1. esse ענף מסתעף מן העקר השלישי

השלישי שהוא חשבר *fidei ramum ex tertiâ radice progerminantem, quæ eſt merces.* Erit Meſsiæ adventus merces aliqua ſeu beneficium aliquod temporale, quo Deus bona Iudæorum opera remunerabit. Additque in ſequentibus, ſicut creduntur alia miracula à Deo in Iſraele facta quæ in ſcripturâ recenſentur, ſic etiam futurum hoc miraculum eſſe credendum, non ut legis fundamentum, ſed ut conſequens aliquod divinæ promiſsionis & pietatis Iudaicæ. Notandum imprimis quod dicit c. 4. ביאת המשיח הוא עקר פרטי לתורת משה לפי דעת הרמ"בם ולפי דעתנו אין ביאת המשיח עקר ואם הוא עקר אינו פרטי לתורת משה כי גם הנוצרים יעשים ממנו עקר לסתור תורת משה והוא עקר פרטי להם שלא יצויר מציאות דתם זולתו *Adventus Meſſiæ particulare fundamentum eſt legis Moſaicæ juxta ſententiam Majemonidis, at verò ſecundum noſtram ſententiam non eſt fundamentum, & ſi eßet, non eſſet tamen fundamentum legis Moſaicæ, quia etiã Chriſtiani exinde fundamentum faciunt ad ſubvertendã legem Moſaicam, eſtq; ipſis fundamentum particulare, quia ipſorum religio ſine eo non ſubſiſtit.* Hoc quamvis animo dicat malevolo tamen verè dicit. Sanè Chriſtianæ religionis fundamentum particulare eſt fides in Meſsiam, etiam ad legis Moſaicæ ſubverſionem, ceremonialis nimirum quam Iudæi æternam eſſe volunt, dicimus enim unicum totius legis ſcopum eſſe Meſsiam, eamquè ſine eo eſſe planè elumbem & inutilem, & omnis ſpei & conſolationis expertem. Ecce ergò differentiam inter religionem Chriſtianam & Iudaicam, quę in eo conſiſtit juxta R. Albo, quod articulus de Meſsiâ Chriſtianæ religionis ſit fundamentum, eaque ſine eo ſubſiſtere non poſsit, judaicæ verò non ſit cum ſine eo poſsit ſubſiſtere. Quid jam inde ſequitur, annon illud? poſſe aliquem eſſe bonum judæum, etiamſi in corde ſuo non credat Meſsiam venturum? Dices hic. I. Licet R. Albo ſtatuat articulum de Meſsia non eſſe fundamentum legis

Mo-

Moſaicæ, i. e. cui lex Moſis innitatur tanquam radici, ſicut credunt Chriſtiani, tamen ideò non negat eſſe de eſſentiâ fidei judaicæ credere Meſsiam venturum ad legis Moſaicæ ſtabilimentum & conſervationem, ut pote qui ſententiam communem defendit, judæo adventum Meſſiæ non credenti, non eſſe partem בעולם הבא *in ſeculo futuro*, eſt ergò maximè de eſſentia fidei illud credere. R. Per *ſeculum futurum* Iudæi intelligunt tum temporalem & carnalem felicitatem ſub regno Meſſiæ tum æternum illum & ſpiritualem beatorum ſtatum poſt mortuorum reſurrectionem. (de quibus poſtea ſuo loco cum authore noſtro loquemur) Prima quidem illa felicitas negari poſſit Judæo, Meſsię adventum non credenti, (prout eam R. Hilleli negari videmus in Gemara cap. *Cheleck*, quòd adventum Meſſiæ negaſſet, de quo poſtea) ſecunda non item : Et ne videar illud dicere per conjecturam, audiamus ipſum R. Albo Orat. 4. cap. 42.

אין האמנת ביאת משיח עקר שתבטל התורה בכללה אם לא יאמינהו האדם כי האמנת השכר מחויב' יע"כ בעל תורה אלהית והכופר בו כופר בעקר ואולם מי שיאמין שהשכר הוא לנשמות בלבד ובעולם הבא או הוא גשמי ולתחית המת' אף אם לא יאמין בשכר העולם הזה איננו כופר בעקר אחר שהוא מאמין עקר השכר והעונש בכלל א"נפ שיחלוק באחד ממיני חשכר תדע שהרי יש מר"זל אמרו שכר מצות בהאי עלמא ליכא ויאמנו שעקר השכר הוא בעולם הבא וע"כ נאמ' שאין האמנת ביאת המשיח עקר שהמכחיש ביאתו יקרא כופר בעקר *Fides qua creditur Meſsiæ adventus non eſt fundamentum tale, ut lex in univerſum concidat ſi quis fidem iſtam non habuerit; Etenim fides qua quis credit mercedem, neceſſaria eſt cuivis credenti in legem Divinam, adeo ut qui eam negaverit, fundamentum negaverit, & ſanè qui crediderit mercedem iſtam animarum duntaxat fore, & quidem in ſeculo futuro, vel etiam corporum in mortuorum reſurrectione, etiamſi non crediderit mercedem in ſeculo præſenti, non eſt apoſtata à fundamento, quia fundamentum univerſale retinet quod eſt* Merces & pœna, *etiamſi aliquam mercedis*

ſpeciem negaverit, & notandum, eſſe ex ſapientibus Rabbinis qui dicant Præceptorum mercedem in hoc ſeculo non eſſe, *ſic etiam ſeſe res habet circa fidem de Meſsiæ adventu, non eſt fundamentum, ut dicendus ſit apoſtata qui illum negaverit.* Hinc neceſſariò ſequitur, ſi judæus aliquis non credens mercedem temporalem, recipere poteſt mercedem futuri ſeculi (per futurum ſeculum enim hic non intelligit ut alii ſæpe fœlicia tempora Meſſiæ, ſed æternam felicitatem in reſurrectione) quam ſolam credit, eam recipere poteſt abſquè fide in Meſſiæ adventum, cum is nihil aliud ſit futurus quam merces temporalis, negare ergo adventum Meſſiç eſt negare tantùm ignobiliorem illam mercedis ſpeciem quæ temporalis eſt, & hoc qui facit, recedit quidem à fide communi, ſed tamen non ſubvertit fundamentum legis *Mercedem* nimirum, quod retinet ſecundum partem ejus nobiliorē,quæ eſt æterna felicitas, quâ etiam potiri poteſt homo Judæus non credens in Meſsiam,modò interim maneat Judæus, & triplici fundamento firmiter adhæreat, nec ad Chriſtianos deficiat, hoc enim faciens fundamentum legis ſubvertit, dum credere incipit ejus fundamentum & complementum eſſe Meſſiam ejuſque ſatisfactionem pro peccato quam planè reſpuunt Judæi, nam quod Meſsiæ ſatisfactioni tribuitur, illud legis fundamento operum ſcil. Mercedi & merito derogatur. Exemplum hujus rei manifeſtum habemus in R. Hillele qui in Gemara Sanhedrim cap. חלק Meſſiam venturum negat, dicens אין להם משיח לישראל שכבר אכלוהו בימי חזקיה מלך יהודה *Non futurus eſt Iſraëli Meſſias, quia ipſo modò potiti ſunt temporibus Ezechiæ regis Iehuda.* Dicit R. Albo, ſi ſententia Majemonidis vera eſſet, ſc. fidem de futuro Meſſia eſſe legis fundamentum, numerandus eſſet hic Hillel בכלל הספרים בעקר חוצאים מכלל הרת שאין להם חלק לעולם הבא *inter*

apo-

apostatas & deficientes à religione quibus non est pars in seculo futuro, sed excusat ipsum Orat. 1. cap. 1. ר' הלל לא היה מאמין בביאת המשיח כלל וא"ע"פ כן לא היה נמנה בכלל הכופרים לפי שאין ביאת המשיח עקר לתורת משה כמו שכתב הרמ"בם כי כבר יצויר מציאותה זולתו *Non credidit R. Hillel futurum Meßiam, sed tamen ideò inter apostatas recensendus non est, quia Meßiæ adventus Mosaicæ legis fundamentum non est, uti scripsit Majemonides, ut pote quæ sine eo consistit.* Si non est numerandus inter apostatas, etiam non est numerandus inter eos quibus nulla est portio in futuro seculo, etiamsi fides ipsius isto defectu laboraverit. Dices II. Quomodo fieri potest, ut judæus neget adventum Messiæ, & tamen fundamentum legis illæsum retineat, cum non nisi vi promissionis divinæ in lege & prophetis factæ Messias credatur futurus? qui itaque negat Messiam etiam negat legem. R. Huic etiam nodo cuneum invenit noster R. Albo. Orat. 4. cap. 42. Ubi varias dubitandi rationes circa aliquot nobilissima de Messia vaticinia proponit, annon jammodò partim sub templo primo partim sub templo secundo in hoc vel illo adimpleta esse dici possint, Rabbinorum dissentientium sententias allegat, citat iterum R. Hillelem qui cap. Talmud. supracitato Messiam venturum negat, Israelitas eo temporibus Ezechiæ modò potitos esse affirmans. Quæ Hillelis sententia etiamsi rejiciatur, eatenus saltem probari videtur, quòd de vaticiniis Esaiæ ipsi concedatur, ea regem Ezechiam respexisse, cùm prematur tantummodò vaticinio Zachariæ *Ecce rex tuus tibi venit* &c. qui vaticinatus est sub templo secundo, ac proinde Messiam post Ezechiæ tempora venturum indigitavit. Imò conceditur Hilleli consentientibus Rabbinis, Esaiç quidem vaticinia respexisse Ezechiam sed tamen in eo impleta non esse, quid hoc est? Dicit Gemara בקש ה"בה לעשות חזקיה משיח *Deum in mente habuisse ut Eze-*

chias esset Messias, sed cogitationes ipsius fuisse interceptas & occlusas, ejusque interceptionis indicium esse ם clausum in voce למרבה quæ est in vaticinio Esai. 9. 7, Causam interceptionis fuisse, quod מדת הדין *Proprietas judicii* Deo suggesserit, Ezechiam nullam ceciniſſe Deo canticum, sicut David qui potius isto honore dignus fuisset, ut Messias efficeretur; Egregiè; Dolendæ igitur sunt vices judæorum quod Ezechias nullum canticum cecinerit, hoc enim si feciſſet, Messias evasisset, & ante multa secula ab omnibus ærumnis modò liberati fuissent. Non erubescit etiam propinare ludibrium celebri vaticinio Iacobi Patriarchæ, יבא שילה, dicitque ex mente plurimorum interpretum בי עקר האמונה במשיח הוא על פי הקבלה ושאין בתורה ולא בדברי הנביאי' נבואה הורה בכרח על ביאת המשיח כי כלם יתפרשו לפי מקומ' *Articulum de Messiâ credi duntaxat per traditionem, nullumque esse vaticinium neque in lege neque in prophetis, quod necessariò ejus adventum prædicat, adeò ut ex locorum circumstantiis aliter sumi non possit*, & quamvis ipse Onkelos Chaldæus Paraphrastes dictum Iacobi vaticinium de Messiâ intellexerit, idque ex traditione Schemajæ & Abtalionis adeòque de ejus adventu non vi loci sed vi istius traditionis necessariò sit intelligendum, nullam tamen ista traditio hodiè adventum Messiæ credendi homini imponit necessitatem, ratio: אף אם בזמן אנקלוס יצריין לא בא אפשר היה שבא אחר כך על הדרך שאר"ל זכו עם ענני שמיא לא זכו עני ורוכב על חמור ולפי זה אפשר לביעל דין לחלוק ולומר שבא אחר זמן אנקלוס ובסבת העונות לא נתקיימו כל הטובות המיועדות לבא על ידו וחשבו הרואים שאינו משיח *Si tempore Onkelos nõdum venit, fortassis postea venit, idq; ut ajunt Rabb. sinon in gloria nubium Cæli, (quod digni nõ fuerint* sc. Iudęi) *saltẽ pauper & vectus asino, atq; ita qui contẽdere velit, dicere possit ipsũ venisse post tẽpora Onkelosi, sed præstita non fuisse bona per ipsũ promissa propter peccata, ac proinde existimasse homines, ipsum non esse*

Mes-

Meſsiam. Verba hęc quorũ textus ex Gem. Sanhed. petitur & huic loco accõmodatur, ſive reſpiciant vaticinium Zachariæ, ſive ſcomma ſint in Jeſum Servatorem noſtrum, ſatis oſtendunt, quo egregio fundamento nitatur fides iſtius Rabbi de futuro Meſſiâ. Videmus hic effrænatæ iſtorum hominum licentiæ cauſam, qua in Prophetarum vaticiniis de Meſſia, præſertim iis quæ Chriſtianis favere animadvertunt, ſuo more tractandis, pervertendis, detorquendis ſupra modum luxuriant, impunè ſe hic graſſari poſſe fidei ſuæ nihil metuentes exiſtimant, & quamvis alter alteri imò ſibi ipſis in ſubjecto & ſenſu variando mille modis contradixerint, & ne unicum quidem dictum quo imaginarium ſuum Meſſiam adſtruant reſervaverint, nihil curant, modò Chriſtianis ægrè feciſſe, ipſiſque omne ex Vet. Teſt. ſubſidium maſculè eripuiſſe videantur.

Sic ſatis me demonſtraſſe puto quam lubrico fundamento nitatur Iudæorum fides de Meſſia. Sed non omnes eod. modo ſentiunt, articulus fidei communis eſt, venturum Meſſiam, alii verò aliis in eo conſervando & defendendo ſunt accuratiores, inter quos eminet R. Abarbenel, qui ſcripſit tractatum quo adventum Meſsiæ adſtruit ex lege, prophetis & hagiographis, omnem etiam mover lapidem ut R. Hillelem, (quem hunc articulum negare ſupra vidimus) ab infamiâ iſtâ ſententiam ipſius mollius interpretando liberet. Etiam aliquot vaticinia Meſsiæ vindicat R. Albo cap. ſupracit. Quicquid tamen in corde ſuo ſentiant Doctores, articulum hunc populo gnaviter inculcant, & quò fortiori animo exilii calamitates perferant, & redemptoris adventum patienter exſpectent, lepidis fabellis quos author noſter nobis ob oculos ponet, ei ſuavitatem & guſtum conciliant. Interim in eo omnes conſentiunt, Meſsiæ adven-

tum fore corporalem bonorum operum mercedem, Unde R. Albo vocat hunc articulum ענף מסתעף מן העקר השלישי שהוא השכר *Ramum pallulantem ex radice tertia quæ eſt Merces.* Antequam itaque ad prodigia Meſsiæ cum authore noſtræ tranſeamus, pauca etiam de iſto articulo, qui *Merces & Pæna* inſcribitur, pro inſtituti noſtri ratione addere viſum fuit. Inter Majemonidis articulos iſte undecimum locum obtinet, juxta R. Albo verò tertium legis fundamentū cōſtituit. Senſus hujus articuli juxta fidem judæorum eſt, temporalem & æternam hominis ſeu felicitatem ſeu miſeriam pendere ab ipſo homine ejuſque operibus, uſque adeò ut quemadmodum malis operibus æternam meretur condemnationem, ſic bonis mereatur ſalutem, liberaque in homine electio ſive arbitrium & appetitus boni vires ſuperſint, quibus malis operibus ſponte ſe abdicare, bona facere & felicitatem ſuam operari poſsit. Multis hanc materiam exequitur R. Albo *Orat.* 4. *cap.* 36. Ubi ita ſcribit מי שיעובד שר גדול הנה שכרו יותר גדול מהיעובד שר וכן כאשר הנדל מעלת הניעבד תגדל מינלת השכר ויתחייב מזה שאם מדרגת הנעבד היא גבלתי בינלת תגלית שיהיה השכר כ"בת ומזה הצד יידו בעלי הדתות שכר בב"ת בינגודת השם לפי שהוא יתב' ב"בת במינלה ויתח' לפי זה גם כן שיהיה יענש מכוזה פי השם בב"ת על זה הדרך. *Qui magno principi ſervit, merces ejus major eſt quàm qui ſervit homini alii, qui verò ſervit regi major eſt merces ejus quam qui ſervit principi, atque ita quò major eſt gradus ejus cui ſervit eò major etiam eſt gradus mercedis, unde conſequitur, ſi dignitas ejus cui ſervit, ſit infinita, etiam merces erit infinita, ac propterea Doctores legis mercedem promittunt infinitam ei qui ſervit Deo, quia ipſe infinitus eſt, eademque ratione pœna competit infinita ei qui ori ejus rebellat.* Corrigit tamen aliquo modo hanc rigidam mercedis à Deo exigentiam, dum addit, ſic quidem fieri conſueviſſe inter homines, ut quo major eſt digni-

tas

tas alicujus eò major quoque ſit merces quam debet pro operâ ſibi præſtitâ, idque ideò quia quo major eſt hominis dignitas eò majorem recipit utilitatem ex iſtâ operâ, unde juſtum eſt ut majorem inde mercedem retribuat, at cum Deus nullam recipiat utilitatem ex obſequio hominis juxta illud Elihu *Iob.* 35.7. *Si juſtus es, quid das illi, aut quid è manu tuâ accipit?* Nihil eſſe videtur quod Deo infinito infinitam mercedem retribuendi neceſsitatē imponat. Ad hoc itaq; reſpondet, habito reſpectu ad Deum, mercedem nõ eſſe æſtimandam pro ratione ejus qui colitur (ſic enim infinita foret merces, cum Deus qui colitur ſit infinitus) ſed pro ratione operis quo colitur & pro ratione laboris, quem cultor in opere perficiēdo ſuſtinet. Atq; hinc oriuntur diſtinctiones variæ, inter 1. שכר ועונש *mercedem & pœnam.* 2. שכר ועונש זמני או נצחי *Mercedem & pœnã temporalē & æternam* 3. שכר ועונש לפי שורת הדין או על צד החסד *Mercedem & pœnam ex ordine judicii vel pro ratione miſericordiæ.* Alia *Pœnæ* ratio habenda eſt alia *mercedis*, idq; juxta duplicē procedendi modum qui eſt in Deo. *Primò* quando Deus procedit לפי שורת הדין *juxta ordinem judicii* i.e. agit cum homine regidè, & præceptorum præſcriptum judicii divini norma eſt, tum pœna malis operibus debita נצחי וב"בת *æterna* eſt & *infinita*, quia contra Deum qui æternus eſt & infinitus ſunt cõmiſſa, merces verò bonis operibus debita eſt זמני *temporalis* non æterna: Si roges, quare merces non ſit æquè æterna & infinita quàm pœna, cum non minus ad cultum æternæ & infinitæ eſſentię ſuſcipiantur opera bona, quam mala contra illam committuntur? Reſp. ut ante, Deum nullam recipere utilitatem ex bonis operibus ac proinde non poſſe eorum mercedem conſiderari ſecundum naturam ejus qui colitur, ſed ſecundum naturam operis & laboris qui cum finitus ſit & temporalis, non niſi temporalem mercedem poſtulare

poteſt; Si dicas iterum infinitam illam eſſentiam, prout nullam recipit utilitatem ex opere bono, ſic quoque nullum recipere damnum ex opere malo juxta ſententiam ejuſdem Elihu *Iob.* 35.6. *Si peccas, quid operaris illi? &c.* Ac proinde nihil impedire quominus opus malum non ſecundum naturam Dei contra quem committitur ſed ſecundum ſuam ipſius æſtimari debeat, id eſt, ſicut opus malum temporale duntaxat eſt & finitum, ſic quoque pœna tantûm temporali ſit mulctandum non infinitâ & æternâ, quæ enim eſt ratio unius contrarii etiam poſſit eſſe ratio alterius. Reſpondetur, non haberi rationem damni in opere malo, ſicut utilitatis in opere bono, ſed duntaxat rationem intentionis in peccante, quæ cum ſit offendere eſſentiam infinitam & æternam, incurrit pœnam æternam, ſicut qui lædit regem, etiamſi nullum ei damnum intulerit, mortis tamen reus eſt, quod non eſſet ſi inferiorem offendiſſet, unde liquet non ibi haberi rationem offenſæ & operis ſed perſonæ offenſæ. Hinc verò magna difficultas oboritur. Si enim opus malum pœnam meretur æternam, bonum verò mercedem duntaxat temporalem, Deo nimirum agente cum homine משורת הדין ex *ordine judicii*, quo medio igitur conſequetur homo mercedem illam ſpiritualem & æternam futuri ſeculi, cum operis boni merces tantum ſit temporalis & finita, imò quo medio liberabitur homo à pœnâ æternâ & infinitâ, cum nemo ſit qui infinitam illam eſſentiam peccatis ſuis non offenderit? Solvit hunc nodum *c.* 38. *ſeq.* confugiendo משורת הדין אל צד החסד à throno judicii ad thronum gratiæ & miſericordiæ: Deus ergo agens cum homine על צד החסד pro ratione miſericordiæ ſuæ modum hunc procedendi planè invertit, pœna operis mali quæ coram throno *judicii* erat æterna & infinita, conſiderata ſecundum naturam perſonæ offenſæ, ecce

coram

coram throno *Gratiæ* fit temporalis & finita, conſiderata ſecundum naturam operis & peccatoris operantis: econtra merces, quæ coram throno *judicii* erat temporalis & finita, conſiderata ſecundum naturam operis & juſti operantis, ecce coram throno gratiæ æterna & infinita evadit, conſiderata ſecundum naturam eſſentiæ infinitę quę colitur. Ingens vero hic additur reſtrictio, qua privilegium hoc Judaicæ gentis pomœriis duntaxat includitur, ſolos enim Judæos ad thronum gratiæ citat Deus, reliquas verò gentes ad thronum judicii, ad quarum claſſem ſpecialiter ablegantur המינים *Minæi*, per quos in genere quidem intelligunt hæreticos, in ſpecie verò Chriſtianos & Turcas, Item האפיקורוסין *Epicuræi*, per quos intelligunt atheos & qui omnem legem & ſapientes contemnunt, Item שכפרו בתורה *qui abnegant legem*, *Karræi* nimirum, qui legē oralem & traditiones rejiciunt & textui S. unicè adhærent, Item שכפרו תחיית המתים *qui negant reſurrectionē mortuorum* quales ſunt ſpeciatim *Sadducæi*. Hi omnes ut & alii qui à judaicæ fidei fundamentis deficiunt judicantur cum gentibus coram throno judicii, id eſt, ſi fortè opus aliquod bonum fecerunt, pro ea mercedem temporalem nacti ſunt, at pro operibus malis æternis pœnis mulctandi. Quicunque verò fuerit judęus & judaicæ fidei fundamentis conſtanter adhęſerit, judicatur coram throno gratię, id eſt pro operibus bonis quamvis finitis æternam & infinitam recipit mercedem, opera verò mala quæ fecit temporalibus pœnis & hujus mundi afflictionibus expiantur, nemo ergo qui Judæus fuerit æternæ condemnationi eſt obnoxius, juxta Rabbinorum dogmata, *Nullum bonum opus perit judæo*, *omnis judæus habet partem in ſeculo futuro*, prout fuſius infra docebitur in hoc libro. Hæc eſt judæorum Theologia circa bona & mala opera eorumque mercedem & pœnam juxta

ſententiam *R. Albo* quam alii confirmant, & ſpeciatim *Menaſſeh Ben Iſrael libr. de Reſur.* Contra quem doctè & ſolidè diſputat *Cl. Hoornbekius Theſ. Anti-iud. de Iuſtificatione.* Omnem itaque felicitatem temporalem & æternam in bonis operibus locant, & quamvis in eorum remuneratione aliquam in Deo gratiam agnoſcant, ipſe tamen homo ejus gratiæ cauſa eſt, duplici enim fundamento nititur, *naturâ* & *pœnitentiâ*, utrumque eſt in homine, 1. *Natura*, modò judęus ſit & judaicæ fidei addictus, ſufficit hoc ad convertendam mercedem temporalem in æternam & infinitam. 2. *Pœnitentia*, quam homo viribus ſuis præſtans, cordis contritione partim, partim afflictionum hujus ſeculi & pœnarum infernalium (ſed temporalium duntaxat ad inſtar purgatorii papiſtici, de quibus in hoc libro agitur) perpeſſione opera ſua mala tollit, & ab æterna damnatione ſe liberat.

Hæc præmittere volui, ut videatur quare author noſter de adventu & ſignis Meſſiæ dicturus, ab operum mercede initium faciat. Cum enim per adventum Meſſiæ nihil præter carnalia bona & temporalem felicitatem ſibi promittant (nam circa animæ æternam ſalutem nihil intercedit Meſſiæ cum homine, utpote quam ipſe homo pro dignitate ſuâ quâ Iudæus, & operum ſuorum merito ſolus promovet) & viciſſim omne bonum ſive temporale ſive æternum tribuant operibus, adventum hunc tanquam temporalem aliquam bonorum operum mercedem exſpectant, ejus verò retardationi nullam aliam aſſignant cauſam quam peccata & impœnitentiam populi Iſraelitici, uti poſtea videbitur; quò itaque Meſſiæ adventus acceleretur, à bonorum operum & pœnitentiæ praxi initium facit, ad quam ſeriò commendandam, juxta decem Dei præcepta decem perfectionis gradus conſtituit, cuique gradui peculiarem mercedem

aſſi-

aſſignat, quamquè unam mercedis ſpeciē peculiari ſcripturæ dicto confirmat, qui loci omnes quam aptè ad rem propoſitam citentur, & quàm egregiè ad decem hos gradus ſtatuminandos faciant judicent ſano ſenſu præditi, non enim ſpeciali refutatione iſta indigent, quandoquidem in progreſſu de operum merito, hominis viribus in acquirendâ ſalute, & vero adventus Meſſiæ ſcopo plura dicturi, toto fundamento everſo ſpecioſum hoc ei ſuperſtructum ædificium collabi videbimus. Decem verò has mercedis ſpecies pro decem perfectionis gradibus in ſpiritualibus beneficiis præcipuè collocat; At unum ſubjungit beneficium temporale & carnale quod omnibus iſtis gradibus reſpondet, & inſtar mercedis generalis eſt omnium graduum, nimirum adventus Meſſiæ, pro decem enim graduum ſtudio Deus brevi oſtenſurus eſt decem ſigna & prodigia ejus adventum immediatè antecedentia, quæ author noſter poſtea ex ordine enumerat. Venturus itaque eſt Meſſias quando Judæus erit perfectus in bonis operibus, & quando erit perfectus? ad calendas Græcas.

(1) הק"בה abbreviatè id eſt הקדוש ברוך הוא *Sanctus benedictus ille*, ſic periphraſticè Deum appellant Rabbini, cum religio ipſis ſit aliquod ex nominibus quæ Deo in ſcripturâ tribuuntur pro communi ſermone uſurpare. Aliquando ipſum vocant השם Nomen, quo tetragrammatum יהוה κατ' ἐξοχήν indigitant cujus pronunciationem neſciunt, & quamvis ſcirent efferre tamen non auderent.

(2) *Septuaginta* populis ex tribus Noachi filiis oriundis in diſperſione gentium orbem habitabilem impletum fuiſſe, & totidem linguis ſubdiſtinctum, communis Hebræorum ſententia eſt. Subjectum hoc fuſè tractat *Clariß. Buxtorffius Diſſert. de ling. Hebr.* vid. ibi.

(3) שכנה proprié *habitatio, cohabitatio*, in ſpecie autē dici-

tur de præsentiâ divinæ majestatis inter homines, quia auxilio suo & salutari gratiâ eos regit, vocatur paulò post רוח הקדש *Spiritus Sanctus*, per quem non intelligunt tertiam Deitatis personam, quam non credunt, sed diversa & magnifica dona, quæ Deus homini in supremo perfectionis gradu elargitur. De שכינה autem vide multa *apud Buxt. lex. Mai. Rad.* שכן

האות הראשון

Signum Primum.

עתיד הב"ה להעמיד שלש' מלכים וכופרים ברינתם ומשקרים ומראים עצמם לבני אדם שהם עובדים לה"בה ואינם עובדים ומתעים ומבלבלים כל הבריות וכופרים אומות העולם בדינ'הם ואף פושעי ישראל המתיאשים מן הגאולה כופרים בה"בה ועוזבים את יראתו ועל אותו הדור נאמר ותהי האמת נעדרת ומהו נעדרת שבעלי האמת נעשו ערירים ערדים והולכים ובורחים ומתחבאים ב במערות ומחילות עפר ונאספים כל גבורי הדור ובטלו אנשי אמנה וננונין שערי חכמ' והיולם ע עומד משונה ובאותו זמן אין מלך ולא נשיא בישראל שנ' כי ימים רבים ישבו ישראל אין מלך ואין שר אין זבח ואין מצבה וגו' ולא ראשי ישיבות וגאון יעקב לא רועים נאמנים ולא חסידים וביעלי השם ונניעלי' דלתי שחקים ונסגרים שערי פרנסה וכלכלה ובזמן ש

Constituet Deus (1) tres reges apostatas & mendaces, qui quidem coram hominibus se divini numinis cultores esse, aliquam speciem præ se ferent, verum tales reverà non erunt, sed homines in errorem abducent, ac pervertent gentes, ut à fide sua deficiant in judiciis suis impellent, adeò etiam ut prævaricatores in Israële de redemptione dubitantes Deum abnegaturi sint, ejusque timorem deserturi: De quâ generatione dicitur, *Defecit veritas. Esai.* 59. 15. & quid hoc est, *defecit*? Veritatem amantes (2) catervatim affugient & in speluncis ac cavernis terræ sese abscondent, omnes fortes in populo (3) congregabuntur, homines fideles deficient, portæ sapientum erunt occlusæ, eritque universus orbis veluti inversus. Nullus etiam isto tempore erit neque Rex neque Princeps in Israële, juxta illud (4) *Hos.* 3. 4. *Diebus multis desidebunt Israelitæ nullo rege, principe, sacrificio* (5) *statuâ* &c. neq; Academiarum rectores, neq; princeps Synogogæ, neque fidi pastores, neque benefici, neque magni nominis viri. Repagulatæ erunt fores cœli & alimoniç & nutrimenti portæ occlusæ; Eoque tempore quo Messias reve-

שמשיח יתגלה בגבורתו דור הולך ונופל בחייו מפני גזרות קשות ומשונות ומבוהלות שגוזרים ש שלשה מלכים חללו ועוד הגוזרים לכפור בה"ב ובתורה וה"ב גזר שתמלוך המלכות תשיעה חרשים מכיפה לכיפה שנ' לכן יתנם עד עת יולדה' ואין לכן אלא שבועה שנ' לבן נשבעתי לבית עלי וגזרים גזרות קשות וכופלים מם על ישראל על אחד עשר מי שהיה נותן שמנה נותן שמנים וכל מי שאין לו חותכין ראשו וכל אלו תשיעה חרשים מתחרשות גזרות אחר גזרות וז קשה מזו ויוצאי' בני אדם מסוף העולם שהם מכוערים ביותר וכל מי שרואה אותם מת מפחדם ואינם צריכים לעשות מלחמה אלא מפחדם ממיתים הכל וכל אחד ואחד יש לו שני קדקדים ושבעה עינים והם דולקים באש וקלים בהליכתם כצבאים באותה שעה צועקים ישר' ואומרים ווי ווי וקטנים מישראל מתביעתים הולכים ונטמנים כל אחד ואחד תחת אביו ותחת אמו ואומרים ווי ווי אבא מה נעשה ואבותיהם משיבים להם עתה אנחנו סמוכים לגאולתו של ישראל.

revelabitur in robore suo, generatio post generationem concidet ac emorietur præ variis, repentinis, durissimisque persecutionum decretis trium istorum regum in abnegationem Dei & legis conjurantium, quorum regnum (Deo sic ordinante) novem tantum erit mensium sed oppressione unâ præter; tâ illico subsequetur alia, prout dicitur (5) *Mich.* 5. 3. *Idcirco exponet eos usque ad tempus quo parturiens pepererit*, quod *idcircò* nihil aliud est quam juramentum, juxta illud. 1. *Sam.* 3. 14. *Idcircò juravi familiæ Eli.* Durissima sanè erunt ista decreta, Etenim tributum decuplum Israëli injungent, adeò ut qui antea octo tantum dederat, jam octoginta daturus sit, & qui non habet in ære, ei caput amputaturi sint; totisque novem istis mensibus persecutiones indies innovabuntur & incrudescent, adeò ut una aliâ semper crudelior sit futura. Prodibuut insuper ab extremis terræ finibus (6) homines supra modum deformes, quos quicunque aspexerit præ terrore morietur, neque opus habebunt ut homines bello infestent, sed solo pavore eos interficient, habebunt enim singuli duos vertices & septem oculos eosque igne flagrantes, eruntque cursu veloces veluti capreæ. Horâ illâ exclamabunt Israelitæ ac dicent Væ! væ! Parvuli eorum perterriti quisque sub patre & matre suâ sese abscondent, dicentque Væ! pater quid faciemus? Patres verò ipsis respondebunt: jam redemptioni Israëlis proximi sumus.

DIALEPSIS.

(7) ECce signum primum, tres nimirum reges apostatæ, quinam verò illi sint futuri vel ex quibus gen-

tibus

tibus oriundi non indicat. Non obscurè tamen liquet ex signo sexto, eos imprimis Christianos futuros ubi tribus hisce quartum addunt, Romanum sc. (nisi hunc ultimum unum ex tribus illis fore intelligant) cui itidem novem menses & ead. tyrannica in judæos decreta tribuuntur. Videtur fabulæ ansam sumpsisse ex *Dan.* 11. *cap.* sub cujus initium mentio fit trium Persidis regum, ac postmodùm prædicuntur à propheta calamitates quas Ecclesia judaica post tempora Alexandri magni, (de quo v. 3.) sub Syriæ & Ægypti regibus imprimis verò sub Antiocho Epiphane perpessura est usque ad tempora Iesu Christi, quæ perperam & contra historiæ fidem transferunt judæi ad Templi secundi destructionem sub Tito Imperatore atque ita successivè producunt usque ad imaginarium illum Messiam quem exspectant, cujus appariționem fore illud קץ עת *Tempus determinatum* (de quo v. 35. cit. cap.) somniavit hic noster post Aben Esram in comment. cum R. Josepho Jachiada Danielis Paraphraste & similibus sociis.

(z) Ex gemara Sanhedrim pulchram istam paronomasiam petiit, ab עדר est נעדר *deficere*, & עדר *grex*, quasi propheta innuere voluerit, veritatem *gregatim* defecturam, varaces & fideles facto agmine assugituros, cogitatio subtilis & digna Rabbino. Sunt autem ista prophetæ verba pars istius concionis, quâ Judæis sub templi primi finem flagitia & scelera sua ob oculos ponit tanquam publicę calamitatis & instantis exilii causas, ut ex contextu manifestò liquet, conqueritur ergò *veritatem defeciße*, idque ob summam judæorum istius temporis nequitiam, quæ tanta erat ut homines veraces non amplius ferre possent, & ut exponit R. D. Kimchi לא היתה נמצאה ביניהם כלל *non amplius inventa fuit veritas inter ipsos.* Hic noster autem ad futura Messiæ tempora illud accommodat,

& con-

& contra ſcopum prophetæ de judæis paſſivè interpretatur, iſti veritatis defectui non aliam aſſignando cauſam quam judæorum (qui ſc. ſoli veraces ſunt) à tribus illis regibus expulſionem.

(3) Sc. ad ſepulcrum. Hebr. נאספים juxta phraſin ſcripturæ notiſſimam, האסף *Colligi* eſt ſepeliri vel mori, prout fert ſenſus loci. Sic *Gen.* 49. 33. dicitur Jacob נאסף אל עמיו *aggregatus ad populos ſuos.*

(4) Dubium eſt apud interpretes de quo tempore loquatur Propheta, an de captivitate Babylonicâ, an verò de longo illo exilio in quo etiamnum ſunt Iſraelitę poſt deſtructionem templi ſecundi. De poſteriori illud ſumit hic noſter Author quamvis alii ex judæis vaticinium hoc ad tempus præcedens referant, ſi de poſteriori ſermo eſt prophetæ, illa quæ continentur verſ. 5. nondum ſunt adimpleta, atque ita iſta prædictio ead. eſt cum illâ Pauli *Rom.* 11. 25. de finali judæorum converſione ad Jeſum Chriſtum.

(5) Ex hoc loco conſtruit novem iſtos menſes ſc. ſicut mulier gravida fœtum ſuum fert in utero novem menſes ſic tyrannidem iſtam trium regum per novem menſes duraturam. Sed ridiculum hoc eſt & à mente prophetæ remotum, qui non dicit tamdiu duraturum illud regnum quamdiu gravida fert fœtum in utero, ſed extendit calamitates judæorum uſque dum pepererit illa quę parturiens eſt, quæ quidem verba variè exponuntur ab interpretibus, aliis ſunt inſtar ſimilitudinis à mulicre parturiente, perpeſſiones judæorum fore graviſſimas & ſimiles doloribus parturientis, quod non placet, cum adſit notatio temporis, עד עת *uſque ad tempus*, quod tollit ſimilitudinem. Alii itaq; in ſpecie de partu B. Virginis illud intelligunt, quo vaticinium hoc complementum ſuum ſortiri debebat, ſed hoc nimis anguſtum. Re-

ctè, meo judicio, R. Salomo, modò verba ipsius sano sensu sumantur, יתנם ביד אויביהם יען בא היעת אשר חלה ויולד ציון את בניה *Tradet Deus Israëlem in manum inimicorum suorum donec parturiens filia Tzion pepererit filios suos.* Filia Tzion est Ecclesia Iesu Christi quæ tempore apostolorum filios suos peperit ex gentibus imprimus per prædicationem Euangelii; Tribulationes ergo Israëlis inde à captivitate Babylonica ad ista tempora erant continuandæ, quibus reliqui fratres ejus sc. Christi, id est, judæi convertendi erant,& eid. regi Messiæ subjiciendi. Quod vaticiniū modò adimpleri cœpit, & indies adimpletur donec juxta effatum Pauli gentium plenitudo introierit,& sic totus Israël servabitur: Longè ergo hoc abest à Thalmudico illo figmento in cujus gratiam hæc prophetæ verba frustra adducuntur,quod agnoscere videtur R. Salomo, qui quidem allegat Magistrorum sententiam ad hunc locum, sed tamen simplicem id est verum sensum præfert. Quod verò ad rei confirmationem addit לכן *idcircò* inferre שבועה *juramentum*,idque propter conjunctionem vocum,*idcircò juravi:* nugari hoc est nō ratiocinari.

(6) Nescio ex quo antro nobis istos πολυομμάτους & δικεφάλους educat, fortassis cum sociis Ulyssis in terra Cyclopum fuit, ibique adhuc alia monstrorum genera quam quæ ab Homero descripta sunt, vidit, quæ judæorum Messiæ se præcursores fore promiserint. Videtur autem respexisse ad Heroas illos Davidis, 1. *Par.* 12. 8. *Quorum facies ut facies leonis erant, & similes erant capreis in montibus pernicitate;* Quod dicit de septem oculis fortè mutuavit à visione Zachariæ *cap.* 3. 9. Ubi septem oculi dicuntur insculpti super lapidem positum ante oculos Iosuę sacerdotis, qui oculi Dei providentiam notant juxta R. D. Kimch: ut *Zach.* 4. 10. videre est, & gratiæ plenitudinem in Christo figuratè exhibent, vid.

Apoc.

Apoc. 5. 6. Egregiè ergo iſta ad monſtra hæc deſcribenda quadrant.

האות השני

מביא ה"בה חום בעולם מחמתה של חמה עם שחפת וקדח ורבי חלאי רעים ודבר ומגפה וממיתים מאומות העולם אלף אלפים בכל יום וכל רשעים ש בישראל מתים עד שיבכו אומות ויצעקו אוי לנו אנה נלך ואנה נברח וחופרים כל אחד קברו בחייו ושואלין את נפשם למות ומתחבאים בצחיחים ובצריחין והבוחין כדי לצנן את עצמם ובאים במערות ובמחילות עפר ואם תאמ' איך ינצלו הצדיקים מחום החמה ה"בה יעשה להם רפואה באותו חום שנ' וזרחה לכם יראי שמי שמש צדקה ומרפא בכנפיה' ועל אותו ערות נבא בליעם הרשע אוי מי יחיה משמו אל.

SIGNUM SECUNDUM.

(1) Immittet Deus in mundum fervorem ex calore ſolis cum Phthiſi & febri ardente, aliiſque morbis peſſimis, peſtem item & plagas, quæ indies ex mundi populis mille hominum millia interficient. Sic etiam morientur omnes impii in Iſraele, Ethnicis interim flentibus & exclamantibus: Væ nobis! quo ibimus quò fugiemus? Sepulcrum ſuum quiſque ſibi, dum vivit, effodiet, animas ſuas ad moriendum ſolicitabunt, in locis aridis, propugnaculis & turribus munitis ſeſe occultabunt, ad refrigerandum ſeſe terræ ſpelunças & cavernas ingredientur. Si verò roges, quomodo juſti à peſtifero iſto ſolis calore liberabuntur? Conficiet ipſis Deus medicinam contra hunc æſtum, id quod dicitur (2) *Malach.* 4. 2. *Exorietur vobis, O timentes nomen meum, ſol juſtitiæ cum curatione in alis ipſius.* Hoc quoque ſignum prædixit impius Bileamus (3) *Num.* 24. 23. *Hei! quis vivet quum ſtatuerit iſtud Deus?*

DIALEPSIS.

(1) HOc primum ſalarium reportabunt Chriſtiani ſcilicet pro tyrannide ſuâ in judæos. Videtur autem hæc deſcriptio partim petita ex *Deut.* 28. 20. *&c.* Ubi Deus ejuſmodi plagas comminatur Iſraëlitis, quando à ſtatutis legis receſſerint quas hic noſter ut futuri Meſſiæ præludia transfert in gentes, ſic tamen ut impii ex Iſraëlitis, illi imprimis qui de adventu Meſsiæ addubitaverint illarum ſint futuri participes; partim ex *Mal.* 4. 1. unde ſequens dictum.

(2) Quæ-

(*) Quæritur in hoc dicto medicina illa quâ judæi à plagis hiſce præſervandi ſunt. Videamus an ibi ſit. Per *Solem juſtitiæ* ad literam ſphæram ſolis intelligunt, cui duplicem virtutem & quidem contrariam tribunt, impios peſte & febri inficiendi, juſtos verò ſanandi & curandi: Et hinc ſapiens ille Talmudicus Riſch Lakiſch (vid. Kimch. & R. Salom. in comment.) ſubtiliter infert contra ſententiam communem nullum futurum infernum dum ait אין גיהנם לעתיד לבא אלא חק"בה מוציא חמה מנרתיקה צדיקים מתרפאין בה ורשעים נדונים בה *Gehenna non erit, quia Deus benedict. educet ſolem ex thecâ ſuâ, quo ſanabuntur juſti, damnabuntur impii*, Erit ergo ſphæra ſolis inſtar pixidis, in qua pharmacopola venenum ſimul & antidotum abſcondit, ſic eadem ſolaris theca emittet æſtum peſtiferum ad inficiendum impios, at ſalubre pharmacum ad ſanandum juſtos adeò ut animæ eorum ulteriori purgatione in purgatorio aliquo infernali non indigeant. Meliori fortaſſis fundamento niteretur talmudica iſta contemplatio ſi propheta dixiſſet שמש צדיקים *Sol juſtorum*, q. d. qui juſtorum medicina erit, ſed dicit *Sol juſtitiæ*, notiſsimum verò eſt quid phraſis Hebræa iſtâ conſtructione ſibi velit, prædicatum ſc. ineſſe ſubjecto, ſive *ſubjectivè* ut vir conſilii in quo conſilium eſt, ſive *effectivè*, ut vir pacis qui lites componit, ſive *objectivè*, ut vir deſideriorum, circa quem verſantur hominum deſideria. Optimè iſtud norunt noſtri Rabbini, etiam nos ita docent ſimiles Hebraiſmos iſto modo exponentes, ſed non niſi quando nugas agere deſinunt. De tali ergo ſole hic loquitur propheta in quo ineſt juſtitia, jam verò doceant nos quomodo in ſphæra ſolari juſtitia inſit, ſive ſubjectivè qui modus primarius eſt ſive aliter. Differentia itaque nulla eſt inter hunc juſtitiæ ſolem & ſtellam illam ex Iacob de qua *Num.* 24. *verſ.* 17. utroque nomine notatur

Meſſias,

Meſsias, Jeſus Chriſtus, magnus ille Medicus qui ſub alis ſuis geſtat verum illud animarum pharmacum, quod fruſtra in radiis ſphæræ ſolaris quærunt miſeri iſti homines. Aliam ergò pixidem adire debet hic noſter, in quâ antidotum ſuum contra peſtem reperiat.

(3) Bileami vaticinium adimpletum eſt iſto tempore de quo loquitur. Vide R. Salom. כיון שהוכיר את שביה אשור אכר או' מי וגו' *Cum recordatur captivitatis Aſſyriorum dicit, Hei! quis vivet vel vivere poterit, quando Deus iſta faciet?* Unde non apparet Bileamum thecam Solis inſpexiſſe, ut peſtiferam illam luem hominibus Meſſiæ temporibus immittendam prævidere potuerit.

האות השלשי

ה"בה מוריד טל של דם ויראה לאומות העולם כמו מים וישתו ממנו וימותו ואף רשעי ישראל המתיאשים מן הגאולה ישתו מ ממנו ויומתו וצדיקים המחזיקים באמונתו של ה"בה אינם נזקים כלל שנ' והמשכילים יזהירו כ כזוהר הרקיע ויהיה כל העולם דם כל אותם השלשה ימים שנ' ונתתי מופתים בשמים ובארץ דם ואש ותמרות עשן.

SIGNUM TERTIUM.

Demittet Deus rorem ſanguineum, quem homines videntes putabunt eſſe aquam, unde bibent de illo & morientur, etiam impii in Iſraël qui de redemtione dubitarunt, pariter de illo bibent & morientur, juſti verò qui in religione Dei perſtiterint, nullum inde damnum recipient, dicitur enim (1) *Dan. 12. 3. Et erudientes ſplendebunt ſicut ſplendor expanſi.* Eritque totus mundus ſanguis & quidem per triduum, juxta illud (2) *Ioel 2. 30. Et dabo prodigia in cœlo & in terrâ, ſanguinem & ignem & elationes fumi.*

DIALEPSIS.

(3) OMnia elementa bellum gerent contra judæorum hoſtes, qui undequaque plagis afficientur, præcedens plagarum genus erat ab igne, hoc ab aquâ. Egregiè autem ex loco Danielis hoc evincit, ros ſanguineus non nocebit juſtis, quare? Quia erudientes ſplendebunt ſi-

cut ſplendor in expanſo, quaſi iſta loci hujus ſit conditio ut expreſsè ad hoc probandū ſit deſtinatus. Reſpicit verò ad plagas Ægyptiorum, inter quas non minima fuit illa, qua flumina, paludes, & rivi omnes in ſanguinem converſi ſunt, fuitque ſanguis in univerſa terrâ Ægypti in lignis & lapidibus, ſed Iſraëlitæ à nulla ex iſtis plagis tacti fuerunt; ſic quoque futurum ſomniant in adventu Meſſiæ.

(2) Non ineptè citaſſet hunc locum, niſi ad ſomnii ſui confirmationem eo fuiſſet abuſus, dum prophetæ verba ad literam exponit, tum ſi differentiam agnoviſſet inter primum & ſecundum Meſsiæ adventum, de hoc loquitur Joël quando ſc. ad judicium venturus eſt, non de illo, prout circumſtantia textus ſatis evincit. Credimus ſanè portenta & prodigia varia tremendi iſtius diei nuncia futura, non tamen ita ut omnia verbotenus ad literam ſumi debeant quæ dicuntur à propheta, quę enim dicit de fumo, ſanguine, igne &c. Illa horrendum rerum omnium aſpectum & confuſionem, & extremas anguſtias in quas conjicientur homines in genere denotant, neque ulterius literalis ſenſus locum habere poteſt, quam ut illud de externa rerum facie igneo ſc. & ſanguineo colore intelligamus, uti illud v. ſeq. *Luna converteтur in ſanguinem*, quod nihil aliud eſſe poteſt, quàm *ſanguineum colorem induet*, ut manifeſtò liquet ex eod. verſu ut & *cap*, 3. 15. Sed quid hæc cum ſanguineo iſto rore, quem homines bibent ut moriantur? Annon ſatis erit miſeris mortalibus febri, phthiſi & peſte interire, ut adhuc iſtum rorem bibere neceſſe habeant? Sed videtur neceſſe eſſe ut bibant, niſi enim biberint, periit unum ex decem ſignis, vel authori noſtro aliud in ejus locum fuiſſet ſubſtituendum.

האות הרביעי

SIGNUM QUARTUM.

ה"כה מוריד טל של רפוא' לרפאות הדם וישתו ממנה הבינונים ויתרפאו מחלים שנא' אהי' כטל לישראל יפרח כ כשושנה ויך שרשיו כלבנון.

Demittet Deus rorem salubrem, ad sanandum sanguinem, de quo bibent (1) intermedii, ut curentur à morbis, quod dicitur. (2) *Hos.* 14.6. *Ero velut ros Israëli, florebit ut lilium, propagabit radices suas ut Libanon.*

D I A L E P S I S.

(1) ÆQuum omninò erat ut sanguineus iste ros aliquo temperamento leniretur idque in gratiam intermediorum. Dividunt Rabbini gentem suam in tres classes: Pios nimirum, impios, & intermedios. Pii sunt qui plura bona opera fecerunt quam mala, impii qui plura mala opera fecerunt quam bona, intermedi quorum merita & demerita sunt paria. Resurgent omnes à mortuis, pii ad æternam felicitatem, impii ad æternum cruciatum intermedii ad purgatorium ut purgati & emundati postmodùm quoque piorum sortem recipiant; distinctio tamen hæc non simpliciter sed ex mente Rabbinorum intelligenda est probèque tenendum qui illi sint qui ad classem intermediorum pertinent quinam item qui ad classem impiorum. Axioma enim veterum ab omnibus receptum est: *Omnis Israël particeps erit futuri seculi* id est çternę felicitatis, quomodo implebitur illud si ad impiorum & per consequens in æternū cruciandorum classem pertinent omnes illi qui plura mala opera fecerunt quam bona, quorum procul dubio numerus multo major erit in Israële quàm piorum? Tantum itaq; valet hoc axioma ut omnibus Israëlitis quorum demerita plura sunt quàm merita, ex impiorum ad intermediorum classem transferendis sufficiat, & qui unicum tantum bonum opus fecerit tamē intermediorum privilegio gaudeat, modò fuerit Israe-

Iſraelita, purgatus enim à maculis ſuis particeps eſt futuri ſeculi. Quis ergo remanet in claſſe impiorum, rogas? Iſraelitæ apoſtatæ qui dubitant de adventu Meſſiæ, qui negant legem oralem, mortuorum reſurrectionem &c. Hi omnes impii ſunt & ad gentium ſortem ablegantur. *Vid. Menaſſe Ben Iſraël de mortu: reſur. Lib. 2. cap. 8.* Nunc ad rem: Iſtum ergò ſanguineum rorem de quo ſigno præcedenti, bibent omnes impii & morientur ſive Ethnici fuerint ſive apoſtatæ ex Iſraële, piis verò & juſtis etiamſi de eo biberint non nocebit; Rogabis verò quod ſi intermedii de eo biberint quid de iis fiet? Niſi remedium adhibeatur etiam morientur, ſed peculiari ſigno Deus ipſorum rationem habebit, in eorum enim gratiam alium rorem eumque ſalubrem ſtillabit de quo bibent & ilicò à ſanguinei roris infectione ſanabuntur. Optimè itaque intermediis iſtis erit proſpectum.

(2) Conficitur ſalubris iſte ros ex loco *Hoſ.* 14.6. *Ero ſicut ros Iſraëli* id eſt *mittet Deus rorem ſalubrē Iſraëli.* Quod propheta figuratè dicit expreſſa ſimilitudinis particulâ, de beneficiis ſpiritualibus quæ roris aliquam ſimilitudinem habent, iſti tenebriones de rore elementari intelligunt: Eodem jure ſequentia, *florebit Iſraël ſicut lilium*, exponere poterunt, *convertetur Iſrael in lilium.* Optimè in hunc locum & verſus ſequentes Cl. Mercerus: *Hæc & judæi ad Meſſiam referunt ſed corporalia commoda exſpectant, nihil de peccatorum remiſſione, dono Spiritus Sancti, & vita æternâ cogitantes, non vident naturam totam peccato vitiatam, ut ex ira Dei ſe explicare non poſſit. Omnia carnalibus oculis intuentur.* Hæc eſt cauſa quod non intelligant quid illud ſit *ero ſicut ros Iſraëli*, nihil hoc aliud eſt quàm ſi dixiſſet Deus, juſtitiam afferam Iſraëli, peccata ipſorum tollam, ſpiritum Sanctum donabo, fidem, obedientiam, ſpem, patientiam, dilectionem Dei & proximi

ximi &c. in animis ipſorum excitabo. Videmus hinc non reſpondere ſimplicia ex quibus judæi ſalubrem illam roris ſui compoſitionem conficiunt, quapropter malè metuo iſtis intermediis ne antidotum hoc nullam efficaciam ſit habiturum.

האות החמישי

ה"בה מחזיר את השמש ל
לחשך שלשים יום שנא' השמש
יהפך לחשך והירח לדם אחר
שלשים יום ה"בה מחזירו לקדמותו
שנא' ואכפו אסיפת אסיר על בור
וסוגרו על מכגר וכרוב ימים
יפקדו ומתפחרים אוכות היעולם
וכתבישים ויורדים שבשביל ישראל
כל האותות האלו ורבים מהם
מתיהדים בכתר שנא' משמרים
הבלי שוא חסדם יעזבו.

SIGNUM QUINTUM.

Convertet Deus ſolem in tenebras per triginta dies, quod dicitur (1) *Ioel.*2. 31. *Sol ipſe convertetur in tenebras & luna in ſanguinem.* Poſt triginta dies priſtinum ſplendorem illis reſtituet, dicitur enim (2) *Eſai.*24.22. *Congregabuntur inſtar vinctorum in carcere, & occludentur in clauſtro, & poſt multos dies viſitabuntur.* Propterea expaveſcent terræ populi, & pudore ſuffendentur, agnoſcentque propter Iſraëlem omnia iſta ſigna eſſe, & multi eorum clanculum judaizare incipient, id quod dicitur (3) *Ion.*2.8. *Qui obſervant vanitates mendaces, benignitatem erga ſe derelinquunt.*

D I A L E P S I S.

(1) SUpra diximus, ſigna illa de quibus vaticinatur Ioel ad Meſſiæ adventum pertinere, modò ne nimis ad literam torqueantur, tum ut de ſecundo ejus adventu intelligantur (quem Iudæi non agnoſcunt) non de primo. Dicit quidem propheta ſolem in tenebras convertendum, ſed tenebras iſtas per 30. dies duraturas eſſe, ſomnium eſt quod noſter rabbi ei affingit ex loco ſeq. poſt *multos dies* viſitabuntur, iſti *multi dies* ipſi ſunt *triginta*, fortè quia olim Iſraelitæ Moſis & Aaronis mortem defleverunt 30. diebus.

(2) Metaphorica locutione oſtendit propheta ſummam Dei potentiam, quâ omnes totius mundi poteſta-

tes coercebit & pedibus ſuis ſubjiciet, præſertim illas quæ regno filii ejus obſiſtere videbuntur, donec tandem præſtituto tempore illas viſitet ſive ad Chriſti regnum convertendas, ſive æternis pœnis afficiendas. Multum claritatis recipit hic verſus ſi cum ſequente conferatur. Nihil verò hic imò ne verbulum quidem de reſtitutione luminis in Sole poſt triginta dierum tempus exactum, de quo nugantur iſti homines rationis & intellectus lumine deſtituti.

(3) Multos ex Chriſtianis & aliis per iſta miracula ad judaicam religionem convertendos eſſe probat ex hoc Jonæ loco, ſed quomodo, cum nihil ſit in iſto dicto quod eò ſpectare videatur? dicam. Nititur hoc argumentum vanâ Rabbinorum expoſitione ſuper iſto loco. Fingunt Jonam in ventre balenæ divinum auxilium implorantem, non tantum liberationem ſuam prævidiſſe, ſed & nautarum (quòd bonitatem Dei in ſubitâ & miraculosâ exortę tempeſtatis ſedatione poſtquam Ionas in mare projectus eſſet, experti eſſent) ad verum Deum converſionem, qui antea idolorum cultores fuerant, & in hunc ſenſum ipſum dixiſſe, *Obſervantes vanitates mendaces.* i.e. Qui vana idola colebant, *relinquent* חסדם *probrum ſuum*, (ſic enim vocem חסד hic exponunt exloco *Levit.* 20. 17. Ubi חסד per ἀντίφρασιν ſignificat *opprobrium* cujus tamen propria ſignificatio eſt, *benignitas*) id eſt, idola ſua, & ad verum Deum convertentur, unde R. D. Kimchi citat ex *Pirke Eleeſer*, iſtos nautas quamprimum Niniven deveniſſent, omnia idola ſua in mare projeciſſe, & reverſos Ioppen & Hieroſolymam carnis ſuæ præputium circumcidiſſe, uxoreſque ſuas & liberos ad verum Dei cultum adduxiſſe, quod ingeniosè exſculpitur ex dicto *Ion.* 1. 16. Nautæ *fecerunt ſacrificium Deo & voverunt vota*, id eſt, votum fecerunt Deo ſe velle ſuſcipere

fœ-

fœdus circumciſionis, nam ſanguis circumciſionis eſt velut ſanguis ſacrificii; quod votum poſtea perſolverunt. Sic quoque futurum autumant ante adventum Meſſiæ. Sed *Ionathan* Paraphraſtes qui ſuo tempore Rabbinicum iſtud lumen nondum fuerat adeptus, longè aliter imò in contrarium ſenſum locum iſtum exponit לא כעכמיא פלחי טיעותא מאתר דאתוטב ליה אנון ידעין *Non ſicut gentes quæ idolis ſerviunt, ubi ipſis benefactum fuerit, non agnoſcunt illud*, & ſic rectè, per antitheſin enim opponit Jonas pietatem ſuam moribus ſive impiorum ſive idololatrarum, qui ſi benefactum aliquod acceperint, *benignitatem ſuam relinquunt*, id eſt, iſtius Dei erga ſe benignitatis vel obliviſcuntur, vel eā idolis ſuis acceptam ferunt, adeo ut in ejus à quo profecta erat laudem non redundet: ſe verò iſtis ſimilem nō futurum, ſed quando liberatū ſe viderit, vota quę vero Deo voverat, ſincerè ſe pręſtiturū promittit. Iſte eſt genuinus loci ſenſus & vocis חכר denotatio.

האות הששי

ממלך הק"בה מלך על כל העולם כמו שאמרנו למעלה ויקם מלך אחר גרומי וימלוך על כל העולם תשעה חדשים ויחריב מדינות רבות ויחר אפו על ישראל ושלח עליהם מס גדול ויהיו ישראל באותה שעה בצרה גדולה מרוב הגזירות והמהומות שמתחדשות עליהם בכל יום ושראל מתמעטין וכלין באותו זמן ואין עוזר לישראל ועל אותו זמן נתנבא ישעיה ואמר וירא כי אין איש וישתומם וגו' לסוף תשעה חדשים יגלה כשיח בן יוסף ושמו

SIGNUM SEXTUM.

Regnare faciet Deus (1) regem ſuper toto mundo, uti ſupra diximus, imprimis verò ſuſcitabit regem Romæ, qui novem menſibus univerſo orbi imperabit, & plurimas provincias vaſtabit; ira autem ipſius accendetur in Iſraëlem, quibus magnum tributum imponet, verſabiturque Iſrael tempore iſto in extremis anguſtiis idque præ multitudine perſecutionum & divexationum, quæ quotidiè ipſis novæ oborientur, propterea quæ diminuentur valdè & conſumentur, quando nullus erit qui auxilium ipſis ferat. Eſtque tempus iſtud de quo Eſaias vaticinatus eſt (2) *Eſai.* 59. 16. *Viditq; nullum eſſe virum & obſtupuit.* &c. In fine verò novē menſium reve-

revelabitur (3) Messias filius Ioseph cui nomen Nehemias filius Husiel, cum tribu Ephraim, Menasse, Benjamin, & parte filiorum Gad: Et audientes Israëlitæ per omnes provincias Messiã Dei advenisse, pauci ex omnibus provinciis & urbibus ad ipsum congregabuntur, prout dicitur in (4) *Ier.* 3.14. *Revertimini filii rebelles, dicit Dominus, quia ego cõjugio junctus sum vobis, & recipiam vos unum ex civitate & duos ex familiâ, deducamque vos Zionem.* Venietque Messias Ben Ioseph & certamen inibit cum rege isto, illumque superabit, & magnam stragem edet, ipsum etiam regem jugulabit, vastabit regiones, & partem vaforum Sanctuarii educet, quę in domo Iuliani imperatoris asservata latuerant, venietque Hierosolymam, quò Israëlitæ illud audientes ad ipsum congrebuntur, & rex Ægypti pacem cum ipso inibit. Occidet quoque omnes habitantes circa Hierosolymã usq; Damascum & Askalonẽ, quod omnes mundi incolæ audient, & ingens metus ipsos invadet.

נחמ׳ה בן חושיא׳ עם שבט אפרים ומנשה ובנימין ומקצת בני גד ושומעין ישראל שבכל המדינות שבא משיח ה׳ ומתקבצים אליו מיעט מכל מדינה ומכל עיר ש שנאמר בירמיהו שובו בנ ם ש שובבים נאם ה׳ כי אנכי בעלתי בכם ולקחתי אתכם אחד מעיר ושנים ממשפחה והבאתי אתכם ציון ויבא משיח בן יוסף ויתגר׳ מלחמתו עם המלך וינצח את המלך ויהרוג מהם תילי תילי׳ ויהרוג את המלך ויחריב המדינ׳ ויוציא קצת כלי בית המקדש שהם גנוזים בבית יוליינוס קיסר ויבא לירושלם וישמעו ישראל ויתקבצו אליו ומלך מצרים ישלים עמו ויהרוג כל אנשי המדינות אשר סביבות ירושלם עד דמשק ואשקלון וישמעו כל אנשי העולם ויפול אימה גדולה עליהם.

DIALEPSIS.

(1) IN Messiæ bellis & hostibus describendis non satis benè sibi constat. Signo primo tres reges fore dixerat, hic de uno loquitur. Summa huc redit Romanorum imperium grave fore Iudæis imprimis novem illis mensibus ante Messiæ primi (duos enim Messias fingunt) introitum, qui illud destruet, plenam tamen liberationem non futuram nisi post universale illud prælium & stragem duorum immanissimorum & potentissimorum hostium Gogi & Armilli, illius Turcarum, hujus Christianorum ductoris, quibus exstirpandis prior ille Messias non sufficiet, sed eo in bello trucidato tota res secundo

nimi-

nimirum Meſſiæ Ben David conficienda reliquetur.

(2) Rectè ad Meſſiam refert iſta prophetæ verba, ſed ad ſubjectum malè applicat & carnalem redemptionem ſomniando ſcopum non attingit. Iſaias per ἀνθρωποπάθειαν tribuit Deo admirationis & ſtuporis affectum quo paternam ejus erga nos ſolicitudinem ſignificare voluit. Miratus ergò eſt Deus, quare? quod non eſſet מפגיע *interceſſor*, qualis interceſſor? Non qui oppreſſos Iſraëlitas è manu Romanorum opprimentium liberaret, (ut vult hic noſter) hoc enim non eſt intercedere, ſed carnali brachio auxilium ferre, ſed talis qui impietatem Iſraëlitarum corrigeret, qui apud Deum pro iis intercederet, qui piorum innocentium cauſam ageret (tanta enim tum temporis judæorum impietas erat, ut innocentes impuné opprimerent & nemo amplius inveniretur cui jus & juſtitia cordi eſſet, de quâ ſummâ injuſtitia & corruptiſſimo ſtatu per totum fere caput conqueritur propheta) Talis itaque anteceſſor deſiderabatur non qui Iſraëlem oppreſſum è manu hoſtiū liberaret (non enim mirabatur Deus talem non eſſe liberatorem, quia impietas in cauſa erat quominus ipſe Deus eos liberaret vid. v. 1.) ſed qui Iſraëlis opprimentis impietati mederetur, peccata ipſorum expiaret, mores reformaret, Dei timorem reduceret, barbariem è populo tolleret, æquitatis & juſtitiæ leges reſtauraret, rebuſque undequaque perditiſſimis virtute ſua & interceſſione conſuleret. Pręſtare autē iſta debebat verus Meſſias Jeſus Chriſtus qui ſalutem attulit quam ipſe Deus brachio ſuo paravit, & quę ab hominibus proficiſci non poterat, uti eod. verſu docetur.

(3) Duplicem Meſſiam fingunt Judęi: nimirum Meſſiam Ben Joſeph, ſive Ben Ephraim qui filius erat Joſephi, & Meſſiam Ben David. Prior incipiet opus liberationis ſed non perficiet, triumphos quidem aliquot a-

get, Romanum imperium ſubjugabit, partem judæorum in terram ſanctam reducet, ſed tandem in graviſſimis bellis contra Gogum & Armillum ſuccumbet & trucidabitur. Hujus Meſſiæ labores & quicquid Iudæi in bellis ejus perpeſſuri ſunt, vocant חבלי המשיח *dolores Meßiæ*. In ejus verò locum ſuccedet Meſſias ille glorioſus Ben David, qui cœptam liberationem perficiet, bellis contra Armillum & Gogum finem imponet, totumque mundum ſubjugabit. Hinc R. Salomo *Eſai.* 24. 18. Omnimodam gentibus internecionem minitans dicit הנמלט מחרב משיח בן יוסף יפול אל חרב משיח בן דוד והנמלט משם ילכד בפח במלחמת גוג *Qui ſe liberaverit à gladio Meßiæ Ben Ioſeph, incidet in gladium Meßiæ Ben David, & qui inde ſe propripuerit in bello Gogi illaqueatus peribit*, q. d. nullus erit evaſioni locus. Roget aliquis, quid duos Meſſias fingere neceſſe eſt? Quare ר״מ Ben David, quem verum Meſſiam futurum credunt totum redemptionis negocium & gloria in ſolidum non relinquitur? R. Mirificè hoc facit ad judæorum convictionem. Jeſum Chriſtum verum Meſſiam rejiciunt, quare? Quia in forma ſervi, in ſtatu humili comparuit, paſſus & crucifixus eſt ſub Pontio Pilato, illi verò Meſsiam potentiſſimum terrarum orbis regem fore ſibi imaginabantur. Cum itaq; in Meſsiâ ſtatum gloriæ & felicitatis duntaxat agnoſcant, non verò ſtatum humilitatis, in quo pati & mori debuit, quid neceſſe eſt duos Meſsias exſpectare, alterum morti obnoxium alterum verò glorioſum? aut monſtrent ex ſcriptis propheticis duos Meſsias patribus fuiſſe promiſſos. Quadraginta circiter ſcripturę loca recenſent *Elias Levita* in ſuo Meturgeman in rad. משח, eoque accuratior *Buxtorffius* in Lex. Maj. quæ Chaldæi Paraphraſtæ Onkelos & Jonathan de Meſsia interpretantur, nunquam verò duorum ſed unius משיחא duntaxat mētionē faciunt. At ſolus *R. Ioſeph Cæcus* nugi-

ven-

vendus ille Post-Talmudicus (nomine & mente verè cæcus) cui targum in Hagiographa tribuitur, somnium illud de duobus Messiis amplexus est, uti videtur in Paraphrasi ad *Cant.* 4. 5. Hausit illud procul dubio ex Talmudis sui nugarum refertissimi *Maßecheth Succa*, cujus libri authoritate commentum hoc nititur, eò avidiùs à gente obduratissimæ cervicis arreptum, & articuli fidei loco habitum, quod in eo subsidii aliquid se reperisse putarent quo oblatrantis conscientiæ impetum sedarent, planè convicti SS. prophetas non tantum de statu glorioso Messiæ, sed etiam de ejus statu humili & πολυπαθείᾳ vaticinatos esse, idque constanter à patribus fuisse creditum, cujus rei noster Rabbi in secundâ parte hujus libri illustre testimonium citare cogitur ex libro פסקתא antiquo quodam commentario in legem, ubi verba illa Esaiæ *dolores nostros ipse tulit*, tribuuntur Messiæ uti postea videbimus. Vel itaque dandæ erant manus Christianis & cum ipsis Messias παθητὸς & morti obnoxius agnoscendus, vel secundus aliquis Messias fingendus cui tribuerent humilia omnia quæ prophetæ de Messiâ predixerant, vel inveniendum aliquod medium quo ejusmodi vaticiniorum sensus perverti & ad alium quendam sive Patriarcham sive regem sive prophetam detorqueri posset. Primum ab indurato corde impetrare non potuerunt, nec adhuc possunt; Secundum est figmentum Talmudicum quo nituntur illi qui Messiam Ben Ioseph obtrudunt ubi de statu humilitatis sermo instituitur: Tertio autem gnaviter incumbunt recentiores, quorum præcipuum studium est, ut in pervertendo & detorquendo scripturarum sensu ingenii sui vires experiantur, antecessores suos nimium Christianis concessisse existimantes, quod quendam *Ben Ioseph* παθητὸν Messiæ titulo condecoraverint.

Pro-

(4) Probare conatur per hunc locum id quod dicit de reditu reſiduarum partium ex decem tribubus quas *Salmanaſſar* Rex Aſſyriæ abduxerat 2. *Reg.* 17. 6. Deſpiciendum hic *primò*, an adhuc tribus iſtæ ſuperſint, & quid Iudæi iſtarum rerum credant, ni enim adhuc alicubi exiſtant fruſtra de earum reditu ſoliciti ſunt, cùm *non entis nulla ſint accidentia. Secundò* an locus citatus ad carnalem iſtam per Meſſiam *Ben Ioſeph* reductionem probandam aptus ſit. Primū quod attinet dictu difficile eſt quid decem illis tribubus evenerit, cū jam à 2400. circiter annis quo in captivitatem abductæ ſunt vix quicquam de illis innotuerit. Etiam Iudæi interrogati quid ſentiant, liberè & ingenuè fatentur ſibi ſtatum iſtarum tribuum eſſe incognitum, allegantque locum *Eſai.* 27. 15. *venient qui perierant in terra Aſſyriæ &c. ut incuruent ſe Deo in monte Sancto Ieroſolymis*, ex quo inferunt ſciri non poſſe ubinam ſint & quid agant iſtę tribus quandoquidem *perditæ* dicuntur, quæ ita dici non poſſent ſi locus ubi commorantur alicui notus eſſet, ſed ſufficere illud noſſe, eas Deo non eſſe perditas utpote qui eas ſe Hieroſolymas reducturum dicto loco promittit, oportet itaque ut ſint alicubi : Sic reſpondent in libro cui nomen *Diſputatio amica adverſus Iudæos.* Sed ſi hactenus perditæ fuerunt aliis, ſaltem *Menaſſi Ben Iſrael* non amplius dicendæ ſunt perditæ, qui nuper mira nova de illis ex Americâ accepit, uti teſtatur in libello recèns edito qui vocatur תקוה ישראל *Spes Iſraëlis.* Ubi in conquirendis variorum de rebus Orientalibus ſcriptorum, nautarum, nec non Jeſuitarum qui regiones iſtas perluſtrarunt (modò vera ſint quæ iſti narrant) monumentis multum ſpatii inſumit, ſtatuitque decem tribus à diverſis Aſſyriorum regibus diverſis temporibus & in diverſas regiones abductas, ob multitudinem ſuam longè latèque fuiſſe diſperſas, totum-

tumque tractum orientalem ſeptentrionem & meridiem verſus ſe extendentem occupaſſe, inde per *Meſſiam Ben Ioſeph* ex tribu Ephraim oriundum Hieroſolymam ad regnum *Meßiæ Ben David* reducendas. Collocat earum partem I. in *Mediâ*, *Halah*, *Habor* & ad fluvium *Goſan* trans Euphratem, eò enim primùm abductas fuiſſe docet S. Scriptura. 2. *Reg.* 17.6. Eſt autem *Media* (quæ etiam *Hara* dicitur 1. *Par.* 5. 26. Unde Medi olim etiam *Arii* appellabantur teſte Herodoto) provincia inter Perſiam, Aſſyriam & mare Caſpium ſita, à quâ *Medena* urbs magna nomen habet, ubi duodecimo poſt natum Chriſtum ſeculo adhuc quinquaginta Iſraelitarum millia commorabātur cum *R. Benjamin* illas regiones perluſtraret uti dicit in ſuo itinerario. *Halah* Ptolomæo *Calachena* eſt ad Aquilonem Aſſyriæ. *Habor* eſt mons *Chaboras* Ptolomæo, inter Mediam & Aſſyriam. *Goſan* fluvius prope Mare Caſpium poſtea à Perſis *Cyrus* dictus videtur habere nomen ab urbe ei adjacente *Gauzania.* Ptolom. Vide de hiſce *Cl. Bochartum* lib. 3. *Phaleg.* cap. 14. II. in *Ægypto* ut *Eſai.* 11. 11. *Erit tempore illo ut adhibeat Dominus ſecundò manum ſuam ut acquirat reliquum populum ſuum qui reliquus fuerit ab Aßyria, & ab Ægypto & à Pathroſo, & ab Æthiopiâ, & Helamo, & à Schinhare, & à Chamatâ, & à regionibus maritimis.* III. *In Pathroſo. Ibid.* Per Pathros *Menaſſeh Ben Iſrael* intelligit *Parthiam*, regionem Mediæ & mari Caſpio vicinam. Sed probabilior eſt ſententia *Bocharti* qui rationibus conjicit terram Pathros eſſe Thebaida in confinio Ægypti. *Phaleg l 4. cap.* 27. IV. *In Æthiopia. Ibid.* Hebr. כוש, licet Bochartus multis rationibus demonſtret כוש non eſſe Æthiopiam uti vulgo redditur ſed Arabiam aut ejus partem meridionalem inter quā & Æthiopiam tota Ægyptus & mare Rubrum interjacet. Ex Abyſsinorum tamen & aliorum relatione probat

Ben Israel Iudæos habitare in Æthiopiâ, & Abyssinos ab iis circumcisionem & alios ritus Iudaicos didicisse. V. In *Helamo. Ibid.* quæ media est inter Mediam & Mesopotamiam. V I. *In Schinhare. Ib.* Quæ est circa Babylonem. VII. *In Chamatha. Ib.* quam *Ben Israël* in Schythia ponit, quæ tamen in sacris literis est terminus septentrionalis terræ Canaan *Am.*6.14. & alibi, nonnullis est Antiochia. Sed non est necesse ut regiones in prefato Esaiæ loco solis decem tribuum reliquiis assignemus, cum & aliarum tribuum Iudæ nimirum & Benjaminis partes aliquæ quæ non omnes in Babyloniam deportatæ eò confugisse potuerint. V I I I. Hisce non contentus Ben Israel etiam ad nugas Rabbinicas confugit, & præter regiones istas de quibus loquitur scriptura, assignat tribubus illis *sabbathicum flumen, locum ubi nubes illas contexit* & lucum quendam amœnissimum *Daphnem* nimirum Antiochiæ suburbium. Educitur commentum hoc ex Thalmude Hierosolymitano, nititurque dicto *Esai*: 49. 9. *Dicet vinctis, exite, iis qui sunt in tenebris, revelamini, per vias pascent. Exite* sc. vos qui habitatis apud flumen sabbathicum, *revelamini* vos qui estis nube tecti, *pascent per vias* sc. illi qui habitant in Daphne amœno isto luco. Egregiè; hoc sc. erat quod volebat Esaias. Et eo sensu ab eod. propheta tribus istas *perditas* dici volunt, quia nimirum prope flumen illud & obscurâ illâ nube tectæ latent adeo ut videri nequeant. Ubi verò flumen illud, de quo tam multa & mira nugantur, & nubes ista sint, nemo hactenus nobis dicere potuit. Speciatim verò sabbathicum flumen (sic vocatum quod septimo quoque die ad sabbathi Iudaici confirmationem quiescere dicatur) quod attinet, alii illud quærunt in Indiâ, alii apud mare Caspium ut Ben Israel, alii volunt esse eundem fluvium qui *Gosan* dicitur de quò supra. *Flav. Iosephus lib.* 7. *de*

bello

bello jud. cap. 24. cujus authoritati debetur quicquid fide dignum de hoc flumine extat, dicit illud fluere inter *Arcas & Raphaneas* civitates regni Agrippæ. *Plinius Secundus* qui etiam ejus mentionem facit, *Hiſtor. lib.* 31. *cap.* 2. illud in *Iudæâ* eſſe dicit. Quæ variæ contradictiones ſatis oſtendunt, olim fortaſſis tale quid in rerum natura exſtitiſſe (haudquaquam tamen myſticum, cum idem Plinius de aliis quoq; fluviis certo temporis intervallo fluentibus ſimilia mira referat) ſed cujus hodie nulla amplius veſtigia ſuperſunt. Vide *Cl. Spanhemium* de hoc ſubjecto docté diſſerentem *Dub. Euan. part.* 3. *Dub.* 115. IX. Sed ulterius progreditur Ben Iſrael perditaſque tribus etiam in *Tartariâ* quęrit & inter alias iſtius regionis provincias ipſis aſſignat provinciam *Tabor* quam ſi ex quolibet quidlibet educere liceat, conjicit poſſe eſſe illam quam ſcriptura 2. *Reg.* 17. 6. vocat *Chabor* quam ſupra in confinio Mediæ eſſe diximus. X. Ex Tartaria tranſit in *Chinam* in quam quàmplures Iſraelitarum familias per celebrem illum Chinenſium murum tranſeuntes ſedem fixiſſe & Synagogas inſtituiſſe ex Ieſuitarum relatione ſtatuit, eòque ne & Scriptura deſtitui videatur trahit locum *Eſai.* 49. 12. *Iſti è longinquo venient* &c. *denique iſti è terrâ* סינים *Sinæorum*, id eſt, Chinenſium ut placet Rabbino, cui minus hic ſapit Aben Eſra qui Sinæos in Ægypto locat, ſed pace ipſius liceat dicere ſententiam Bocharti veriſimiliorem eſſe qui ex ipſo nomine colligit *Sin* eſſe *Peluſium* nam סין Chald. idem eſt quod Græc. πηλὸς, *lutum*, imprimis ex loco *Ez.* 30. 20. ubi סין vocatur מעוז מצרים *robur Ægypti.* Quis ergo Sinæos quærat in China? XI. Denique magnam Iſraelitarum copiam ex Tartariâ & Chinâ in *Novam Hiſpaniam* migraſſe, indeque colonias ſuas in varias Americæ regiones & inſulas tranſtuliſſe credit, & quæ de inſulis maris & mari-

timis regionibus dicuntur in ſcripturâ, ut *Eſai.* 11.11. & 60. 9. *Ier.* 31.9. *Pſ.*97.1.&c. de Americanis intelligit. Si roges quo tempore qua occaſione & quomodo Iſraelitæ in iſtas oras pervenerint,& quo in ſtatu res eorum hodie ibi ſint. De tempore nihil affirmat,quod mirum cum de eo eadem facilitate aliquid conjicere potuiſſet quam de aliis. Occaſionem migrationis credit fuiſſe quod bello à Tartaris infeſtati tutiores ſedes quærere fuerint coacti, adeo ut per fretum *Anjanis* ex Tartariâ in Americam pertenderint, neque abſurdum ipſi videtur ſtatuere, ab eâ parte Americam Aſiæ olim fuiſſe contiguam ita ut terreſtri itinere tranſire potuerint Iſraelitæ, Deum verò ſingulari miraculo terram ibi poſtmodum inundari voluiſſe ut tribus iſtæ in novo illo mundo regnum undequaque tutum ſtabilire poſſent. Sic ex loco *Eſai.* 27.14. *Excutiet Deus inde à fluxu illius fluminis uſque ad torrentem Ægypti, vos autem colligemini ſigillatim O Iſraelitæ.* conficit, Deum ſicut olim mare rubrum in duas partes diviſit ſic quoq; Nilum & Euphratem in ſeptem rivulos diviſurum ut ſeptem tribus in plagis illis habitantes illâc in patriam redituræ tranſire poſſint. Invia Rabbinis nulla eſt via ut ſomniis ſuis locum & liberum tranſitum inveniant. Statum Iſraelitarum hodiernum in Americâ quod attinet feliciſsimum illum eſſe ſibi imaginatur idque ex relatione multorum, præſertim Iudæi cujuſdam *Antonii Monteſini* qui ante annos aliquot ex oris iſtis redux ipſi retulit, poſt montes *Cordilleras* proceræ ſtaturæ gentem latere, bellicoſiſſimam, ditiſſimam & invictiſsimam, proſperè & pacatè viventem, altiſsimas domos & florentiſsimas civitates inhabitantem, nondum niſi in confinio detectam nec facilè Deo ita volonte uſque ad liberationem Iſraelis detegendam. Has decem tribuum reliquias eſſe volunt. Si res ita ſe habet, ego

ſanè

sanè gentis istius loco si essem, Messiam Ben Joseph cum suo Gog & Magog & cruentis bellis res suas sibi habere juberem, captivitatem talem (si status iste captivitas dici debet) & Americanas delicias Israëlis liberationi non nisi multo sanguine parandæ longè præferrem. Exhibent nobis isti homines statum istarum tribuum, ac si Deus eodem favore & benevolentiâ quâ ex Ægypto illas eduxit continuò prosequeretur, quod sanè non convenit cum verbis. 2. *Reg.* 17. 18. 20. *Ira percitus Deus* וימאס בכל זרע ישראל ויסרם מפניו השליכם מפניו *sprevit totum semen Israëlis, amovit eos à facie sua, abjecit eos à facie sua*, norunt Rabbini vim istius Hebraismi: *Amovere* rem aliquam *à facie sua*, est fastidio & nausea ejus capi, eamque instar cadaveris putrescentis rejicere & faciem suam ab illa abscondere, qua locutione Abrahamus utitur cum cadaver Sarę uxoris suæ sepelire vellet, dicens filiis Chethi *Gen.* 23. 4. *Date mihi possessionem sepulcri apud vos* ואקברה מתי מלפני *ut sepeliam mortuum meum à facie mea.* Sic itaque à facie sua removere & abjicere sanè non est gratia & benevolentia prosequi. *Quid* præterea de reditu tribuum exspectandum sit docet *Hoseas*, *cap.* 1. 6. *Voca nomen ejus* Loruchamam, *nam non pergam amplius misereri domus Israelis, ut ullo pacto condonem ipsis.* Si tribus istæ in patriam reducendæ essent, sanè nomen *Loruchama* in illas non competeret, cum judæi nullum alium divinæ miserationis effectum expetant, quam qui per reditum hunc demonstretur.

Hactenus de decem tribubus ex Menasse Ben Israel, de quarum reliquiis quisque credat quantum volet. Videamus jam an locus Ieremiæ, quem Rabbi noster allegat, pro corporali tribuum istarum reductione in patriam quicquam faciat. Hoc negatur hisce rationibus. I. Prima petitur ex locorum scripturæ collatione & du-

plici nomine decem tribubus indito לא רחמה & לא עמי *Loruchama & Loammi*, *Hoſ.* 1.6.9.additâ explicatione iſtorum nominum, *Non enim pergam amplius miſereri domus Iſraëlis ut ullo pacto condonem ipſis.* Item. *Vos eſtis non populus meus, nec ego ſum futurus veſter.* Hic apertè Deus proteſtatur ſe nunquam miſerturum domus Iſraelis, at *Ier.* 3. 12. econtra miſericordiam ipſi promittit dicens, *benignus ſum, non aſſervo iram in ſeculum.* Quomodo conciliantur iſta? Aliam hic conciliationem aſſerunt Chriſtiani aliam Iudæi; Chriſtianorum eſt, de duplici fœdere Deum loqui, apud Hoſeam de fœdere *ſecundum carnem*, apud Ieremiam de fœdere *ſecundum Spiritum.* Decem tribus ſunt *Loruchama & Loammi* quoad fœdus illud carnale cum Abrahamo initum cujus ſacramentum erat circumciſio, at verò quoad fœdus gratiæ initum in Chriſto, miſericordia ipſarum converſioni promittitur loco Ieremiæ citato. Manifeſtiſſimum autem eſt, apud Hoſeam agi duntaxat de fœdere carnali, verſu enim 6. & 7. Domus Iſrael à domo juda diſtinguitur, huic iſtius fœderis per liberationem ex captivitate Babylonica continuatio promittitur, illi non item. Hæc eſt Chriſtianorum conciliatio, eaque veriſſima. At judæi aliter procedunt. In utroque loco volunt agi de fœdere ſecundum carnem, ejus continuationem utrobique promitti & negari ſub conditione reſipiſcentiæ vel præſtitæ vel negle-ctæ, eamque conditionem ſicut in loco Ierem. expreſſis verbis addita eſt, ſic apud Hoſeam eſſe ſubintelligendam, domum Iſraelis fore Loammi & Loruchama, Deumque ejus non miſerturum, ſubint. niſi reſipiſcant, unde verba iſta, *Non pergam amplius miſereri domus Iſraëlis ut ullo pacto condonem ipſis*, hoc modo redduntur à Ionathane Paraphraſte Chaldæo. לא אוסיף עוד לרחמא על בית ישרא׳ ברם אם יתובון משבק אשבוק להון *Non pergam amplius miſereri*

domus

Domus Iſraëlis, ſi verò reſipuerint condonando ipſis condonabo, hic exprimit conditionem quam vult ſubintelligi, eâque utitur ad introducendum ſenſum quem textui Hebræo affingit, verba enim illa נשא אשא להם reddit משנק אשבוק להון *Condonando condonabo ipſis*, quam expoſitionem nec ipſi rabbini, etiamſi conditioni quam allegat adſtipulentur, probant. Poſſent quidem verba Hebræa ſimpliciter ita reddi (nam verbum נשא latiſsimum uſum habet) ſed hoc in loco ſenſus illud non patitur, quomodo enim iſta convenirent? *Non miſerebor domus Iſraëlis, nam condonando condonabo ipſis*, quæ contradictio eſſet abſurdiſsima, niſi conjunctionem כ finalem efficias, ut fecerunt *Iunius & Tremellius*; *non miſerebor ut condonem*, ſic ſenſus commodus eſt, ſimplicior tamen eſt ſi conjunctio ſit diſjunctiva, reddaſque *ſed tollendo tollam illos*, ſic D. Kimchi, quem ſequitur verſio Belgica & להם eſt pro אותם uti 2. *Sam.* 2. 30 הרגו לאבנר pro את אבנר. Vulgata habet *oblivione obliviſcar eorum*, de ſenſu magis quam de verbis ſolicita mutavit *Sin* in *Schin* & *Aleph* in *He*, quod non probandum. Sed ad inſtitutum redeamus, quæſtio eſt an iſta locorum conciliatio à judæis allata quæ appoſita reſipiſcentiæ conditione nititur, locum habere poſsit? Negatur, ratio hæc eſt, quia Deus ſe domus Iſraelis non miſerturum, domus verò judæ ſe miſerturum abſolutè pronunciat, ſi illi minatur interitum ſub conditione non reſipiſcentiæ, ergò huic promittit reſtaurationem ſub conditione reſipiſcentiæ, quod neceſſariò ſequitur, cur enim illi potius figeretur iſta conditio quam huic? conditio ergò iſta eſt æqualis utrique, jam ſi conditio eſt æqualis, quare etiam pronunciatio illa non eſt æqualis? Quare utrique domui non promittitur reſtauratio æqualiter? Vel enim domus Iſrael aliquando reſipiſcet vel non reſipiſcet, ſi non reſipiſcet, in æternum

erit

erit *Loammi* & nunquam reducenda ſicut propheta ipſi prędixit, ſi reſipiſcet, quare ei non promittitur æquè miſericordia? quare potius dicitur *Loammi* & *Loruchama* qūæ domus Iuda, quæ ei opponitur & meliori ſorte frui debebat? Eſtne quod domus Iuda citius pœnitentiam agere debebat quam domus Iſraël? At de tempore quæſtio non eſt ſed de re ipſa, ſi enim Domus Iſraël & Domus Iuda aliquando ſub eod. rege Ben David ſunt combinandæ, una alteri opponi non debet, nec una magis *Loammi* & *Loruchama* dicenda quam alia. Quęrunt ex nobis Iudæi ſi Ieremię locus de reditu ad fœdus ſpirituale cum 10. tribubus in Chriſto ineundem, eſt intelligendus, quomodo adimplebitur iſtud vaticinium? cū nullę ex tribubus iſtis per mundum diſperſis ad fœdus illud gratiæ quod in peccatorum remiſſione & animarum cum Deo per mortem Chriſti reconciliatione conſiſtere volunt Chriſtiani, nec vocatæ ſint nec converſæ. R. 1. Adimpleri cœpit iſtud vaticinium tempore apoſtolorum, Euangelium per totum mundum prædicantium, & adhuc indies adimpletur, imprimis verò adimplebitur in univerſali judæorum converſione de quâ Paulus, quę ſecundum Chriſti adventum præcedet, neque enim neceſſe erat ſtatim à primo ejus adventu & momento temporis iſta omnia fieri. 2. Neque etiam dicit Ieremias decem iſtas tribus ſimul per generationes & familias ſuas ſubdiſtinctas & à gentibus ſeparatas ad Chriſtianiſmum ſolenniter tranſituras, ſicut agmine facto ad caſtra Meſsiæ Ben Ioſeph ſe recepturas credunt Iudęi, non enim omnes ſunt vocati, nec vocati omnes electi, pauci ſunt vocati pauciores electi, & hoc eſt illud ipſim quod propheta verbis hiſce innuit, *aſſumam unum de civitate & duos de familiâ*. Hinc quoque II.^da ratio contra Iudęos petitur, nam ſi locus hic valet ad decem tribuum reditum in patriam

pro-

probandum ductore Meſsiâ Ben Ioſeph, ſanè exercitus ejus admodùm exiguus erit, & tot præliis ſuſtinendis non ſufficiens, cum tantùm *unum de civitate, & duos de familiâ* ſit habiturus ubi ergo manebunt reliqui? Videmus itaque quamparum locus iſte ad carnalem hanc doctrinam confirmandam faciat. III. Hoc quoq; imprimis notandum quod propheta verſ. 16. addit *Non dicent amplius, arca fœderis Dei, neque veniet in animum, neque recordabuntur ejus, neque viſitabunt eam, neque fiet amplius.* Ecce conditionem fœderis quod Deus cum Eccleſiâ ſuâ ex Iudæis & gentibus compoſita ſe pacturum profitetur, nullus typorum & umbrarum amplius futurus eſt uſus, quando Eccleſia ipſum corpus, gratiam nimirum in Chriſto exhibitam populi Iudaici typis & ritibus adumbratam amplectetur, quis enim neſcit Arcam Fœderis in T. V. omnium ferè ceremoniarum legalium fuiſſe objectum? Ceſſante itaq; hoc ente omnia ejus accidentia ceſſabunt. Graviter hoc offendit Iudæos, omnes enim Moſaicos ritus nullo excepto ad amuſsim ſub Meſſiæ regno reſtituendos eſſe tradunt, imprimis vero Arcā fœderis, quod noſter rabbi in hoc opere ad ſignum decimum expreſsis verbis docet citans nugamentum illud Talmudicum ex lib. *Ioma* cap. 1. ubi ad vocem אאבר *Hag.* 1. 8. quæ ita punctata eſt ut *He paragogicum* in fine deficere videatur, quæritur quid notet *He* deficiens? Reſpondetur, illud quinque res in templo ſecundo defeciſſe (*He* enim numeri quinarii apud Hebræos nota eſt) ſed per adventum Meſsiæ reſtituendas ſignificare. Quinque illæ res ſunt. 1. *Arca fœderis cum propitiatorio & Cherubim* 2. *Ignis cæleſtis.* 3. *Præſentia Majeſtatis Divinæ.* 4. *Spiritus Sanctus.* 5. *Vrim & Thummim.* Sed dicit Ieremias Arcam fœderis non eſſe reſtituendā, quid hic conſilii? Obmuteſcunt Iudæi, nec quod reſpondeant habent, D. *Kimchio* excepto qui ne nihil di-

xisse videatur hunc sensum prophetæ affingit אף על פי שתרבו ופריתם בארץ לא יקנאו בכם הגוים שיבאו להלחם בכם ותצטרכו לצאת למלחמה וארון האלהים עמכם כמו שהיה מנהגם שהיו מוציאים במלחמה וביני' הם לא יצטרכו לזה כי לא יהיה להם מלחמה עוד. *Etiamsi incrementum habituri & fœtificaturi sitis in terra, gentes tamen illud vobis non invidebunt, adeò ut bellum vobis illaturæ sint, quapropter necesse non habebitis cum arca fœderis ad prælium exire juxta patrum consuetudinem, qui illam ad castra educebant, sed diebus illis hoc necessarium non erit, quia nullum erit bellum.* Huic commento occasionem dedit *Ionathan Chaldæus* qui paraphrasin suam hic longius extendens quàm par erat, scopumque prophetæ prætergrediens, arcæ fœderis abrogationem non tam quoad existentiam quàm quoad usum illum voluit ostendere, dicens לא יזיזון ולא יניחון ב"ה עוד קרב *Non movebunt illam amplius, neque ad prælium cum illa prodibunt.* Sed quid Ionathan senserit perinde est, responsionem hanc futilem est dieimus, nam primò verba prophetæ emphatica nimis sunt ut interpretamentum hoc admittant. לא יעלה על לב ולא יזכרו בו לא יפקדו ולא יעשה עוד *Non veniet in animum, non recordabuntur ejus, non visitabunt illam neque fiet amplius*, id est, non restaurabitur non erit amplius in rerum natura, quis hoc, nisi nugacissimus sit, de arcę usu in castris intelligat? Deinde quomodo usus arcæ in castris in mentem venire potuit Ieremiæ, cum ab eo tempore quo Salomo illam in Sanctuarium introduxit nec loco movere nec in castra transferre eam liceret, nihil ergo novi Iudæis dicturus erat, si tempore Messiæ arcam ex sanctuario non esse ad prælium educendam prædiceret, noverant enim antea etiamsi quam maximè sub regno Messię belligerandum esset, hoc tamen fieri non debere, sed hoc planè novum erat quod sub Messiâ nec restauratio nec recordatio arcæ futura esset. I V. Addamus & hoc, dicit propheta v. 17. & 18.

Tem-

Tempore illo confluent omnes gentes ad nomen Dei Hieroſolymam & domus Iudæ cum domo Iſraëlis venient pariter ad poſſidendum terram &c. Quærimus ex Iudæis, ſi iſta carnaliter intelligēda ſunt, ſi omnes populi Iſraelitici tribus cum ſingulis individuis non viventibus tantum ſed & à mortuis reſuſcitandis & univerſâ gentium turbâ Hieroſolymam confluent, quomodo urbs illa imò vel tota Iudæa infinitis hominum myriadibus quibus ſanè immenſum ſpacium aſſignandum foret capiendis erit ſufficiens? Multùm etiam hic ſudant ut ſe expediant. *Menaſſeh Ben Iſraël* qui in *l. de reſur. Mort.* hanc quæſtionem ventilandam ſuſcipit, colligit ex *Zach.* 9. 1. 2. Hieroſolymarum muros uſque ad portas Damaſci extendendos eſſe, habebit igitur urbs illa quinquaginta circiter milliaria in longitudine, ſed vereor nihilominus ut adhuc tantæ hominum multitudini ſatis magna futura ſit, quare ergo non eâdem operâ uſque ad mare Caſpium illam extendit? ſic enim locus foret capacior. Quàm ridiculos ſeſe reddunt iſti homines, quando S. ſcripturam ad literam torquent, nec ſenſum myſticum agnoſcere volunt iis in locis in quibus illum quam maximè apprehendere deberent.

האות השביעי

Signum Septimum.

הק"בה בעל נפלאות עושה מופת בעולם אמרו שיש ברומי אבן של שיש דמות נערה יפת תואר והיא אינה עשויה ביד אדם אלא ה"בה בראה כן ב בגבורתו ובאין רשעי אומות ה העולם בני בליעל ומחממין אותה ושוכבין אצלה וה"קבה משמר טפתן בתוך האבן ובורא בה ב בריה ויוצר בה ולד והיא מתבקעת

Deus mirabilium patrator prodigium oſtendet in mundo. Dicunt Romę lapidem marmoreum eſſe puellę formoſiſſimæ formam referentem, qui non manu hominis ſic effectus ſed virtute Divinâ creatus ſit. Ad hunc lapidem ſceleratiſſimi ex mundi nationibus convenient, eumque calefacientes concumbent cum illo, Deus autem guttas ſeminis eorum in medio lapidis conſervabit, creabitque

creaturam in illo, ac infantis ſpeciem formabit, tandemq; lapide diſrupto formā hominis educet, cui nomen erit (1) ARMILLVS, qui adverſarius erit, & gentes illum vocabunt *Antichriſtum*. Longitudo ejus erit duodecim cubitorum, (2) itemq; latitudo duodecim cubitorum, & inter utrumque oculum ejus ſpithamæ ſpatium erit; oculis profundis & rutilantibus, capillus capitis ejus erit ſicut color auri, plātę pedum ejus erunt virides, duoſq; habebit vertices. Hic ad impios accedet, & ipſis dicet; Meſſias ego ſum, ego ſum Deus veſter, qui ſtatim in ipſum credent, & regē ſibi conſtituent, aſſociabuntur ipſi omnes poſteri (3) Eſau qui coram ipſo ſe ſiſtent, illeq; progreſſum faciet, omnes provincias ſubjugabit, dicetq; filiis Eſau, afferte mihi huc legem meam quam vobis dedi, qui librum precum ſuarum ipſi tradent, ac tum dicet ipſis, hæc eſt veritas quam vobis tradidi, credite in me, ego enim ſum Meſſias veſter, & confeſtim credent in ipſum. Deinde mittet ad Nehemiam filium Huſielis & ad omnem Iſraëlem, ipſiſq; dicet, afferte mihi legem veſtram, mihiq; confitemini, quòd ego Deus ſim, ad quę verba ipſi expaveſcent & rapientur in admirationem. Nehemias autem filius Huſiel illo tempore ſurget cum triginta millibus ex fortiſſimis filiorum Ephraim, ſumptoq; libro legis coram Armillo verba hæc ex eo legent: *Ego ſum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram facie meâ.* Reſpondebit Armillus, nihil quicquam iſtius in lege veſtra exſtat ſed accedite mihiq; confitemini, me eſſe Deum, ſicut omnes gentes fecerunt. Confeſtim ipſi reſiſtet Nehemias, dicetque

ויוצא ממנה דמות אדם ושמו ארמילוס השטן זה שהאומות קורין אותו אנטיקרישתוס ארכו שתים עשרה אמה ורחבו שתים עשרה ובין שתי עיניו זרת והן עמוקות ארומות ושיער ראשו כ כצבע זהב פעמי רגליו ירוקין ושתי קדקדים יש לו ויבא אצל הרשעים ויאמר להם משיח אני אני אלהיכם מיד מאמינים בו וממליכים אותו עליהם ומתחברים בו כל בני עשו ובאים אצלו והולך וכובש כל המדינות ואומר לבני עשו הביאו לי תורתי שנתתי לכם ומביאים לו תפלותם ואומר להם אמת היא שנתתי לכם ואומר להם האמינו בי כי אני משיחכם מיד מאמינים בו באותה שעה משגר לנחמיה בן חושאל ולכל יש׳ואומר להם הביאו לי תורתכם והעידו לי שאני אלוה מיד מתפחדין ויתמהו באותה שעה יקום נחמיה בן ח חושיאל ושלשים אלף גבורים מגבורי בני אפרים ויקחו ספר תורה וקורין לפניו אנכי ה׳ אלהיך לא יהיה לך אלהים אחרים על פני ויאמר להם אין בתורתכם זו כלום אלא בואו העידו לי שאני אלוה כדרך שעשו כל האומות מיד יעמוד כנגדו נחמיה ואמר לעבדיו תפשוהו וכפתוהו מיד יקום נחמיה בן חושיאל ושלשים אלף שומו

ויעשו עמו מלחמה ויחרגו ממנו
מאתים אלף מיד יחרה אפו של
ארמלוס הרשע ויקבוץ כל חילי
אומות העולם לעמק חחרוץ וילחם
עם ישראל ויהרגו ממנו חילי חילים
וינגפו מישראל מעט ויהרג משיח
ה' ובאין מלאכים השרת ונוטלין
אותו ומטמינים אותו עם אבות
העולם מד ימם לבם של ישראל
ויחש כחם וארמלוס הרשע לא ידע
שמת משיח שאם יודע לא היה
משאיר מישראל שריד ופליט
באותה שעה כל אומות העולם
מורדין את ישראל ממדינותיהם
ואינם מניחים אותם לדור עמהם
במדינותיהם ואומרים ראיתם את
העם בזוי ושפל שמרדו עלינו
והמליכו מלך ותהי צרה לישראל
שלא היתה כמותה מימות העולם
עד אותו זמן ובאותה שעה יעמוד
מיכאל לברר את הרשעים מישראל
שנאמר ובעת ההיא יעמוד מיכאל
השר הגדול העומד על בני עמך
והיתה צרה אשר לא נהיתה וג'
מיד יברחו כל ישראל במדבדות
וכל מי שלבו מכופף בדינו חוזר על
אומות העולם ואומרים זו הגאולה
שאנו מחכים לה שהמשיח נהרג
וכל מי שאינו מצפה לגאולה
מתבייש ממנה וחוזר על אומות
העולם באותה שעה ה"בה בוחן את
ישראל וצורפן ככסף וכזהב שנאמר

cetq; ſervis ſuis, prehẽdite ipſum & ligate ipſum. Surgetq; Nehemias filius Huſiel cum triginta millibus quæ ipſi aderunt, & pręlio cum Armillo inito ducẽta millia ex copiis ipſius occidet. Vnde ira impii Armilli accendetur, omniumq; totius mundi gentium vires colliget in (4) *vallem conciſionis Ioel. 3. 14.* Ibiq; pugnabit cum Iſraële qui iterum cumulorum cumulos gentium trucidabunt, pauci cadent in Iſrael, ipſe autẽ Meſſias Domini occidetur, cujus corpus (5) angeli miniſterii tollẽt & cum patriarchis aſſervabunt. Tum liqueſcẽt corda Iſraelitarum, & robur eorũ debilit abitur. Neſciet autẽ impius Armillus Meſſiã eſſe mortuum, quod ſi ſciturus eſſet non relicturus eſſet in Iſraële nec ſuperſtitem nec profugum. Iſto tempore omnes mundi gentes Iſraëlem è provinciis ſuis expellent, nec ſecum amplius commorari ſinent, dicẽtq; Ecce populum cõtemptum & abjectum qui rebellarunt contra nos, ſibiq; regem conſtituerunt. Eritq; anguſtia Iſraeli, cui ſimilis à mundi principio ad illud uſque tempus nõ exſtitit. Tum ſtabit Michael ad repurgandum impios ex Iſraële, quod dicitur (6) *Dan. 12. 1. Tẽpore illo adſtabit Michael Princeps ille maximus, qui ſtat pro popularibus tuis, cũ fuerit tempus anguſtiæ, qualis nõ exſtiterit* &c. Confeſtim omnes Iſraelitę in loca deſerta auffugiẽt, omneſque corde hæſitantes & dubii ad gentes revertentur, dicentq;, hęccine eſt redemptio quam exſpectabamus, quod ipſe Meſſias occiſus eſt? Pudebit itaq; omnes iſtius redemptionis, qui eã non curabunt & gentibus adhęrebunt. Sic probabit Deus omnem Iſraëlem, eoſq; inſtar auri & argenti defœcabit, ut eſt apud

בזכריה ואבאתי את השלישית באש וצרפתים כצרוף הכסף ובתב ביחזקאל וברותי מכם הפושעים בי וגו' ובדניאל כתב יתבררו ויתלבנו ויצרפו רבים והרשיעו רשעים וגר ויהיו כל שארית ישראל והקדושים והטהורים במדבר יהודה חמשה וארבעים יום ויהיו רועים ואוכלים מלוחים ועלה שיח קטפים ובהם מתקיים מה שנאמר בהושע לכן הנה אנכי מפתיה והולכתיה המדברה ודברתי על לבה ומגין שחמשה וארבעים יום הם שנאמר ומיום הוסר התמיד ולתת שקוץ משמם ימים אלף מאתים ושלשים ובתב אשרי המחכה ויגיע לימים אלף שלש מאות שלשים וחמשה נמצא בין אלו לאלו חמשה וארבעים יום באותה שעה ימותו כל רשעי ישראל שאינם ראוים לראות הגאולה יבא ארמילוס ולחם במצרים ולכדה שנאמר וארץ מצרים לא תהיה לפלשה ויחזור פניו לירושלים להחריבה פעם שנ ה שנ' ויטע אהלי אפדנו בין ימים להר צבי קדש ובא עד קצו ואין עוזר לו.

Zachariam (7) *Zach.* 13. 9. *Et inducam tertiam istam in ignem, conflansque eos sicut conflatur argentum &c.* Et scriptum est in Ezechiele, *Ezech.* 20. 38. *Et seligam ex vobis eos qui deficiunt à me* &c. Item in Daniele, *Dan.* 12. 10. *Purgabuntur, dealbabuntur, & conflabuntur multi, & improbè agẽt improbi* &c. Eruntq; omnes reliqui in Israele sancti & mundi in deserto Iehudæ quadraginta quinq; diebus, pascentes & comedẽtes urticas, & decerpẽtes folia fruticum. In his confirmabitur id quod dicitur in Hosea, *Hos.* 2. 13. *Idcircò ecce ego pellecturus sum eam, cum deduxero eam in desertum, & eloquuturus sum quæ sint ei cordi.* De numero autem quadraginta quinq; dierum cõstat ex eo quod dicitur (8) *Dan.* 12. 11. *A tempore quo ablatus fuerit jugis cultus, & posita detestatio desolans, dies erunt mille ducenti nonaginta.* Item scriptum est *vers.* 12. *Beatus qui præstolabitur & perveniet ad dies mille trecentos triginta quinque*, inveniuntur ab illis ad hos quadraginta quinque dies. Isto tempore morientur omnes impii in Israële, qui digni non sunt ut videant redemptionem. Venietque Armillus & expugnatâ Ægypto illam occupabit, quia dicitur *Dan.* 11. 24. (9) *Etiam terra Ægypti non evadet.* Deinde convertet faciem suam Hierosolymam ad vastandam illam secundâ vice, quia dicitur. (10) *Dan.* 11. 45. *Et figet tentoria palatii sui inter maria in monte decoris sancti, quumque venerit ad finem suum, nullus erit auxilio ei.*

DIALEPSIS.

(1) A Græcâ origine derivat nomen hoc *Philippus Aquinas* in Lexico. q. d. ἐρημόλαος *vastator populi* ab ἐρημόω *vasto*

vaſto & λαὸς *populus*. Cæterum ſi authoritati Targum Ionathanis deferendum, videtur fabella de *Armillo* ſatis antiqua & Ovidio qui poëticas Metamorphoſes ſcripſit quibus haud abſimilis eſt, coætanea. Ipſe enim Ionathan hujus Armilli mentionem facit in paraphraſi ſuâ ſuper *Eſai.* 11. 4. Si roges unde hauſerint Iudæi hanc hiſtoriam, reſpondent prodigium hoc Meſſiæ adventum præceſſurum olim à Michaele Archangelo revelatum fuiſſe *Zorobabeli* qui populum Iudaicum duxit ex captivitate Babylonica ut videtur in libro cui nomen ספר זרובבל impreſſo Conſtantinopoli, in quo extat colloquium quod Zorobabel habuit cum Archangelo, vid. *Buxt. lex. Maj. rad.* ארם. Quicquid ſit, *Menaſſeh Ben Iſrael* multa quidem nugatur *l.* 3. *de reſurr: mort.* & in *Mikveh Iſrael* de adventu Meſſiæ & bello Gog & Magog, hujus tamen monſtri non meminit, unde facile credo ipſum pro fabulâ habuiſſe hanc hiſtoriam vel ſaltem veritum fuiſſe ne inſipidum hoc commentum fidem Iudaicam de Meſſiâ exterorum ludibrio exponeret.

(2) Quadratum erit hoc monſtrum, tot enim habebit cubitos in latitudine quot in longitudine, horrendum ſpectaculum. Olim expaveſcebant Iſraelitæ ad conſpectum Goliathi cujus altitudo tantum erat ſex cubitorum, mirum ſi jam non exanimes plane in terram concident viſo monſtro tam deformi & immani cujus altitudo erit duodecim cubitorum & latitudo totidem, formam enim hominis vix habebit ſed inſtar quadrati parietis incedet. Conveniebat autem ut quantò dignior & potentior Meſſias Ben David Davide rege futurus eſſet, tantò etiam monſtrum ab illo debellandum terribilius eſſet Goliatho quem hic pedibus ſuis ſubjecit.

(3) Sicut per filios *Iſmael* Turcas intelligunt Iudæi, ſic per filios *Eſau* intelligunt Chriſtianos qui etiam à cognō-

folliculis quaſi *exciduntur*, vel à continuo motu ſic dictum, latiſſimè autem חרצים *Caſei* ſunt qui etiam à motu per quem fiunt ſic vocari videntur. Deinde themate ad motum animi denotandum tranſlato, oritur ſignificatio metaphorica, quâ ead. actio menti tribuitur quæ antea corporis erat, actio nimirum *decidendi, dijudicandi, determinandi, definiendi*, unde חרוץ hominem notat *ſedulum* & *induſtrium*, cujus mens in continuo motu eſt ut rem aliquam rectè definiat & dijudicet. His præmiſſis via ad ſubjecti cognitionem de quo agimus plana eſt. Pro diverſa itaque vocis חרוץ quæ hic nominis עמק ſive *vallis* adjunctum eſt, notatione, diverſimodè redditur, alii ad corpus illam referunt alii ad animum. Vulgata reddit, *vallis conciſionis*, Verſio Belgica, *vallis tribulæ* quòd prophetа in iſtâ valle omnes Dei & Eccleſiæ hoſtes concidendos & inſtar frumenti triturandos prædicat, Paraphraſtes Chaldæus משר פלוג דינא *vallis diviſionis judicii*, reſpiciens partim ad notationem vocis חרוץ quando ad animum refertur, partim ad communem judæorum ſententiam de judicio Dei in hac valle exercendo, partim ad ejus epitheton, illa ipſa enim vallis dicitur *verſ.* 2 & 12. ejuſd. capitis *vallis Iohoſaphat*, nominis autem *Iehoſaphat* notatio eſt יהוה שפט *Deus judicavit*. Rogas ubinam iſta vallis ſit & quare vallis Iehoſaphat vocetur? Locum quod attinet, *Chriſtianus Adrichomius* in Theatro terræ Sanctæ dicit vallem illam eſſe prope Hieroſolymam, totumque latus orientale claudere inter urbem & montem Oliveti, & quia torrens Cidron per medium ejus fluens illam rigat, etiam vallem montium & vallem Cidronis vocari. In hâc ſententiâ etiam eſt R. David Kimchi. Sed quare *vallis Ioſaphat* dicatur, Adrichomius non dicit quia neſcit. Kimchi addit אולי בזה שם מלך יהושפט או עשה שם מעשה ונקרא על שמו *fortè quod Rex Iehoſophat ibi ædificaverit vel opus aliquod fe-*

cerit,

cerit, unde nomen ab ipso acceperit, sed conjectura hæc est, quæ facilè ostendit, nullo planè fundamento niti, vallem illam esse propè Hierosolymam. Loci & nominis autem rationem suspendimus, donec mentem & scopum prophetæ intellexerimus. II. Hanc vallem Iudæi assignant לחבלי משיח *doloribus Messiæ*, quia in hoc loco omnes gentes Christiani sc. & Turcæ impio Armillo ductore ad ineundum certamen & vastandam Hierosolymam quamtum tribus Israëlis per Messiam Ben Ioseph collectę possidebunt, convenient. Variis quidem cladibus afficientur à Messia primo, eo tamen mortuo judæi in extremis angustiis versabuntur donec Mesias Ben David apparuerit sub quo Deus gentes omnes in prędicta valle judicabit, & universali clade cœlitus immissa funditus exstirpabit juxta vaticinium Joelis cujus caput tertium hoc modo ad literam exponunt. Ab hac judæorum opinione suam mutuarunt Pontificii, qui ex eod. Joëlis capite evincere volunt, locum extremi judicii in secundo Christi adventu fore vallem Josaphat, ubi vivi & mortui judicabuntur. III. Sed si inspiciamus scopum prophetæ nullum ibi fundamentum hæc sententia reperit. Totus Joelis contextus figurata locutio est & de spirituali hostium Ecclesię subjugatione quicunque illi fuerint tum in hoc seculo tum in extremo judicio intelligendus. Figura qua utitur quadruplex est, eaque satis manifesta & in scriptis propheticis non infrequens. Ecclesia Dei hic adumbratur per *Iudam & Ierusalem*, hostes subjugandi per *Tyrios, Sidonios, Ægyptios* aliasque gentes in confinio Iudeæ habitantes, ipsum Dei judicium in hostes exercendum per *vallem Iosaphat*, divinæ vindictę modus & ratio per *liberorum venditionem, strepitum armorum, prælia* &c. temporibus istis quo universa V. T. œconomia statum Ecclesiæ Iesu Christi typicè referebat, usitata.

Ista

Ista est mens prophetæ, cujus verba ad literalem illum sensum quem judæi iis affingunt torqueri non debent, quod hisce rationibus est manifestum. 1. Dicit prophe-ta *vers.* 1. Deum hanc vindictam sumpturum *eo tempore quo captivam multitudinem Ierusalem & Iudæ reducturus est*, quod captivitatem Babylonicam respicit, at verò tam memorabile Dei contra gentes judicium, de quo vaticinatur propheta, istis temporibus finita captivitate exercitum fuisse nullibi legimus. 2. Dicunt judæi ad Messiæ adventum ista referenda esse, quid ergò an tum temporis sola tribus *Iuda & Hierosolyma*, de qua sola loquitur propheta in libertatem vindicanda, non verò decem illæ tribus? quas tamen utpote ex Oriente & America reduces ipsi adjungunt. 3. Si præcisè de universali gentium excisione in bellis Gog & Magog locus iste est intelligendus, quomodo ergo convenient inter se Ioel & Ieremias. *Ierem.* 3. 17. *Tempore illo Hierosolymam confluent gentes omnes ad nomen Dei, neque sequentur amplius sententiam animi sui mali*, quod etiam de eod. tempore & de iisd. gentibus intelligunt Iudæi. Quid, an ideò Hierosolomam confluent gentes, nomen Dei confitebuntur, & à malis suis operibus se convertent, ut trucidandas & mactandas se tradant? 4. Denique si ad literam vexandus est textus Ioëlis, quomodo verum erit quod dicit *vers.* 8. *vendam filios & filias vestras in manum filiorum Iehudæ, qui vendent eos Sabeis genti longinquæ*, an etiam filiæ gentium in castris Armilli & valle Josaphat militabunt contra Hierosolymam? An credibile est Iudæos sub Mesia filiorum & filiarum commercium cum Sabeis facturos? Et quomodo isti filii & filiæ in manus eorum pervenient, cum totus Armilli exercitus igne & sulphure cœlitus immittendo (ut rabbi noster postea docet) dicatur absumendus? Alia quoq; absurda quā plurima ex scriptis pro-

pheticis orirentur si judæorum somniis foret indulgendum. Nihil itaque in mentem venit Ioëli de Armillo & cladibus Gog & Magog, neque ipse *Aben Esra* licet judæus hanc opinionem amplecti voluit, qui potius Ioëlem tempore regis Josaphati (quia meminit vallis Iosaphat) vixisse, & admirandam illam victoriam quâ rex ille de Ammonitis triumphavit (quæ 2. *Chron. cap.* 20. narratur) hic describere existimat. Sed licet propheta eò fortè tanquam ad figuram seu typum Ecclesiæ respexerit, tamen plura in hoc contextu continentur quæ altioris indaginis sunt quàm ut ad solam istam victoriam pertinere videantur. Perceptâ ita mente Ioëlis, qui stylo prophetis assueto sub Ecclesiæ judaicæ earumque hostium typo statum Ecclesiæ Christi militantis ac tandem de hostibus Deo vindice triumphantis exhibere voluit, facilè nunc est colligere, per *vallem Iosaphat* sive *excisionis* non esse præcisè intelligendum aliquem locum ubi Deus judicium suum contra Ecclesiæ hostes exerciturus sit, præterquam enim quod nemo sit qui pro certo dicere possit ubi vallis ista sit, etiam necesse non est certi quid de illa statuere. Vallis Iosaphat nihil aliud hic est quam vallis *Dei judicantis*, hæc enim est notatio vocis *Iosaphat*, quæ σχηκτῶς & per allusionem ad nomen pii regis hic usurpatur à propheta ad hanc proprietatem in Deo designandam Etiam D. Kimchi conjecturæ suæ (quam supra citavimus) parum fidens eò confugit, dum addit או נקרא עמק יהושפט על שם המשפט כמו שאמר ונשפטתי עמם שם *vel dicitur vallis Iosaphat propter attributum judicii, sequitur enim, & judicabor ibi cum ipsis*, ubi rectè monet vocem immediatè in textu sequentem ונשפטתי nominis rationem ostendere. Si quis tamen nomen *vallis* urgere velit, addere & hoc possumus, quemadmodum totus propheræ contextus est figuratus, & juxta sententiam Aben Esræ veri-

simile

ſimile eſt, hiſtoriam victoriæ Ioſaphati 2. *Chron.* 20. deſcriptæ, veluti typum Eccleſiæ de hoſtibus ſuis triumphantis tacitè introduci ſic quoque per vallem Ioſophat alluſionem fieri ad vallem illam in qua Ioſaphat triumphans pro victoria ſua Deo gratias egit quæ fuit *Vallis Beracha.* 2. *Chron.* 20 26. Non itaque certum locum Dei judicio aſsignat Ioël, ſed ad loca duntaxat in quibus Deus olim judicia ſua exercuit typicè & more prophetico alludit.

(5) Tres Angelorum ordines conſtituunt Iudæi, quos imitantur Pontificii ἃ μὴ ἑωράκασιν ἐμβατεύοντες εἰκῇ φυσιόμενοι ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτῶν *Col* 2. 18. Sed Sacrâ ſcripturâ utrique deſtituti & conjecturis duntaxat rem agentes, quiſque mentis ſuæ placita protrudit, & in ordinum iſtorum conſtitutione multùm diſcrepant. Pontificii ex angelorum nominibus V. & N. T. tres hierarchias conficiunt, cuique hierarchiæ tres angelorum ordines ſive choros aſſignant, de quorum gradibus, officiis & functionibus tam in cœlo quam in terra multa philoſophantur Scholaſtici, ſed abſq; ullo fundamento. Vide *Cl. Voetium in Theſibus.* Iudæi in ordinum ſuorum recenſione etiam Dæmones comprehendunt, & tam pulchrè cum pontificiis conveniunt, ut *Cherubim* à Deo ad cuſtodiendum paradiſum & arcendum non tantum homines ſed & dæmones (ut ait *Corn.* à *Lapide*) poſiti, quos hi in ſecundo ſupremæ Hierarchiæ choro collocant, illi in infimam claſſem dæmonum nimirum catalogum rejiciant; Iudęorum ergo dęmones poſiti ſunt ad arcendum pontificiorum dæmones, quod tamen uſque adeò abſurdum videri non debet, cum Iudæi non agnoſcant dæmones *peccatores* ſed tantum dæmones *tortores*, *carnifices*, iræ & Iuſtitiæ Divinæ *executores*, dicanturque ipſis angeli *mali* non tàm *moraliter* quàm *effectivé*, nihil enim de malo-

rum ſpirituum lapſu tradunt, & tales eos eſſe docent quales à Deo in & cum inferno ſunt creati. Sic itaque tres Angelorum claſſes conſtituunt, in primâ & ſupremâ ponunt שכלים הנפרדים *Intellengentias* ſeparatas, ideſt, Angelos ſic dictos quod corporea formâ non appareant nec corporeis ſenſibus comprehendi queant, ſed tantum viſione propheticâ, & thronum divinæ Majeſtatis cingant quales ſunt *Michael*, *Gabriel*, *Raphael* &c. Secundam claſſem conficiunt מלאכי השרת *Angeli miniſterii* ad hominum miniſterium & ſalutem à Deo creati. Tertiam verò implent מלאכי חבלה ſive מלאכי כזת *Angeli damni* ſive *angeli mortis*, qui ſublunares & infernales ſedes occupant, hominibus propter peccata torquendis, morte & omnis generis calamitatibus afficiendis deſtinati. Interim negare non poſſunt Iudæi præter iſtos מלאכי חבלה dari etiam ſpiritus *formaliter & moraliter* malos, iſtos autem neque ad tres illas claſſes referunt, nec à Deo creatos, nec per lapſum à Deo defeciſſe volunt, ſed per impuram & carnalem cum hominibus commixtionem eſſe genitos, unde multa de *Lilith* prima Adami uxore quæ poſtea in ſpiritum malum degeneravit, fabulantur. Quam materiam qui curioſius indagare volet, videat *Libr. Ben Syra*, *Menaßis Ben Iſrael probl. de creatione*, *Buxtorff. Synagog: jud.* & alios, mihi enim nugis iſtis immorari eaſque rebus magis ſeriis immiſcere iam non eſt animus.

(6) Duo vult iſte Rabbi contineri in loco *Dan.* 12. 1. Primò ſeparationem illam piorum ab impiis quam Angelus Michael facturus eſt, ſecundò ſummam anguſtiam in quam conjicientur Iſraelitæ poſt mortem Meſſię Ben Ioſeph. De ſeparatione piorum ab impiis nihil habet textus, qui ſimpliciter Divinum auxilium Michaelis archangeli miniſterio Eccleſiæ promittit. Tempus verò

de

de quò loquitur Daniel quod attinet, ſupra ad ſignum primum *pag.* 24. oſtendimus, integram illam hiſtoriam pertinere ad calamitates & anguſtias quas Eccleſia judaica ſub Syriæ & Ægypti regibus, imprimis ſub Antiocho Epiphane uſque ad tempora Chriſti Servatoris perpeſſura eſſet. Sub initium verò *cap.* 12. tempora Eccleſiæ Nov. T. attingit, quo referenda quæ v. 1. dicuntur. *Tempore illo ſtabit Michaël* &c. Verba iſta duplici modo ſumi poſſunt. 1. ad literam. 2. figuratè. Ad literam ſi ſumas, nullo modo ad calamitates ſub finem mundi immittendas ſpectare poſſunt, nam contextus præcedentium capitum oſtendit, per mortem Antiochi Epiphanis afflictiſſimæ Eccleſiæ judaicæ liberationem promitti, & Michaelem Archangelum liberationis iſtius inſtrumentum futurum, quæ ſic ad literam ſumpta procul dubio iſto quoque tempore ſunt adimpleta, adeo ut veriſimile non ſit Danielem de bellis Armillianis quicquam cogitaſſe. Primarius tamen prophetæ ſcopus eſſe videtur typicè exhibere feliciorem Eccleſiæ ſtatum ſed ſpiritualem per adventum Meſſiæ qui in iſta quoque tempora de quibus loquitur incidere debebat. Sive itaque per Michaelem intelligas ipſum ſervatorem noſtrum Ieſum Chriſtum (prout nonnulli nullum hic agnoſcentes typum per nomen iſtud immediatè Chriſtum indigitari volunt, utpote qui ſolus juxta ejus notationem eſt *ſicut Deus*) ſive angelum primarium typicè Chriſtum ſervatorem repræſentantem, ejuſque loco poſitum quod in figuratis locutionibus obtinere ſolet, perinde eſt, res denotata tamen eadem eſt, ſcilicet circa iſta tempora adfuturum illum qui verum Dei populum, quorum nomina in libro vitæ æternę ſcripta ſunt, eſſet liberaturus, & Antiochum non Epiphanem ſed infernalem, id eſt, Diabolum cum toto ſuo exercitu ſpirituali debellaturus.

(7) Qua-

(7) Quatuor ſcripturæ dicta affert, in quibus exſtirpationem impiorum & infidelium in Iſraële primo Meſſiâ exſtincto à prophetis prædici & viciſſim ſolatium in ſpe & fiducia perſeverantibus promitti credit. Vaticiniū Zachariæ ſi ab initio *c.* 13. uſq;ad finem 14.attentè legamus, ſtatum Eccleſiæ N. T. ibi proponi & V. T. typis adumbrari videmus. *Verſ.* 7. *cap.* 13. prædicitur cædes Meſſiæ, *cap.* 14. *verſ.* 1. & 2. Hieroſolymæ per *Veſpaſianum* & *Titum* deſtructio, & conſervatio Hieroſolymæ ſpiritualis indicatur, deinde bellum Eccleſiæ hoſtibus indicitur. *Verſ.* 4. & *ſequentibus* Vocatio gentium ac verus Dei cultus ſub perpetuâ quadam typorum & figurarum ſerie, quę prophetis ut antea dictum admodum familiaris, quaſi occultata oſtenditur, adeo ut nihil in hoc vaticinio ſit quod partim adimpletum modò, partim ad finem uſque mundi eâdem quâ volvimur ſerie adimplendum dici non poſſit. Imprimis autem verba illa *verſ.* 9. à noſtro Rabbi citata dependent à *verſ.* 7. ubi Meſſias magnus *ille* populi Dei paſtor cædendus dicitur, quæ cædes calamitatis hujus qua ipſe populus diſſipandus & inſtar auri & argenti probandus & defæcandus erat, occaſio erat futura, hoc eſt quod volunt judæi, uti hoc loco videmus. Tota itaque res eò redit, ut deſpiciamus quis ille Paſtor ſit qui *verſ.* 7. cædendus dicitur. Communiter ſentiunt Rabbini illum eſſe Meſſiam Ben Ioſeph, excepto Kimchio, qui callidè prophetæ verba detorquet ne Meſſiam παθητὸν agnoſcere cogatur. Sed in Chriſto ſervatore ad amuſsim illa ſunt adimpleta, ipſo enim percuſſo oves ipſius, id eſt, diſcipuli diſperſi ſunt. Niſi itaq; judęi probaverint duos Meſsias, unum morti obnoxium & alterum gloxioſum patribus à Deo promiſſos eſſe, fruſtra hic ſunt: ſi enim illa quæ *verſ.* 7. de cæde Meſsiæ dicuntur, non pertinent ad Meſsiam Ben Ioſeph, etiam diſsipatio illa, pro-

ba-

batio & defœcatio verſuum ſequentium veluti conſequens aliquod iſtius cædis, quod hiſtoria ſeu potius fabula judaica præſupponit, eò trahi non poteſt. Sequitur locus *Ez.* 20. 38. In quo ipſa temporis quo Ezechiel vaticinatus eſt, circumſtātia totuſq; contextus ſatis oſtendunt, tantum illa diſtare à Meſſia Ben Ioſeph & Armillo quantum cœlum à terrâ. Ezechiel in captivitatem Babylonicam unâ cum Rege Iechonia magnaque judæorum copia abductus, eandem captivitatem minatur reliquis qui Hieroſolymis ſub Zedekia remanſerant. Deinde Eccleſiæ judaicæ conſervationem per liberationem ex captivitate iſtâ promittit, eâ tamen lege ut antequam in patriam redeant, rebelles & impii omnes à facie Dei in perpetuum rejecti è medio populi expurgentur. Danielis autem verba *cap.* 12. 10. ſi conferantur cum *cap.* 11. *verſ.* 35. liquet ad illud quoque tempus eſſe referenda, de quo antea ad *verſ.* 1. *cap.* 12. ſermo nobis fuit, adeo ut nec ibi commentum hoc quicquam ſubſidii reperiat. Addit *verſ.* 13. ex 2. *cap. Hoſ.* in quo ſolatium quærit pro Iſraelitis in deſerto palantibus & ſecundi Meſsiæ adventum in ſummis anguſtiis exſpectantibus. Senſus loci in contextu inveſtigandus eſt. Cap. 1. & 2. de duplici Dei cum Iſraele fœdere agit Hoſeas, corporali nimirum & ſpirituali: juxta fœdus corporale, Iſraël ſeu 10. tribus Iſraëlis dicuntur *Loammi* & *Loruchama cap.* 1. 6. 19. Iuxta fœdus ſpirituale dicuntur *Ammi* & *Ruchama verſ.* 12. & *cap.* 2. *verſ.* 22. De fœdere corporali loquitur ab initio *cap.* 1. uſque ad *verſ.* 10. De fœdere ſpirituali *verſ.* 10. & ſic deinceps. Modò itaque conſtet, fœdus illud de quo à *verſ.* 10. *cap.* 1. agere incipit non eſſe redintegrationem fœderis carnalis & legalis (quod volunt judæi) ſed aliud naturâ & ſpecie differens fœdus eſſe, etiam conſtabit ſolatium *verſ.* 13. *cap.* 2. propoſitum, ad eos qui

priori fœderi adhęrere volunt nō pertinere. Suprà multis verbis docuimus Iſraëlitas à propheta *Loruchama* & *Loammi* vocari reſpectu fœderis quod Deus cum Patribus ipſorum ſecundum carnem pepigerat, quo propter fœdiſſimam defectionem abrogato neq; eorum ſe miſerturum neq; eos pro populo ſuo habiturum expreſſe pronunciat. Quæritur ergo unde illa tam ſubita mutatio? quod *v.* 9. dicantur *Loammi non populus meus*, at *v.* 10. *Ammi populus meus.* Chriſtiani reſpondent prophetam à fœdere carnis ad fœdus ſpirituale v. 10. ſe convertere, ſub quo non tantum 10. tribus cum tribu Iudę & Benjamin ſed & omnes gentes comprehenduntur, quod confirmatur à Paulo Apoſtolo *Rom.* 9. 25. 26. ubi citat verba Hoſeæ *c.* 1. 10. & 2. 22. & rationem reddit quare illi qui antea dicebantur *Loammi*, nunc dicantur *Ammi.* Et hoc homini Chriſtiano ſufficit etiam judæo niſi cor induratum ipſi eſſet, ſufficeret, qui mordicus carnali fœderi, licet ipſo Deo repugnante vult adhærere, ejuſq; redintegrationem *verſ.* 10. à prophetâ promitti credit. Sanè ſi de uno eodemq; fœdere ſermo eſſet, cui non videretur intoleranda tam ſubita contradictio abſque ullâ ſive conditione ſive limitatione interjectâ? Deus *v.* 6. & 9. non miſerturus, non condonaturus, Iſraelem pro populo ſuo non agniturus, *v.* autem 10. miſerturus, condonaturus, pro populo ſuo agniturus dicitur. An Deus qui immutabilis eſt, ſententiam ſuam tam ſubitò mutaret? An S. Scriptura tam abſurdè, directè & immediatè abſq; ulla ſubjecti quod tractat variatione ſibi ipſi contradiceret? Cui quæſo hoc fiet verisimile? Præterea notandum, fœdus illud quod *verſ.* 10. promittitur, decem tribus cum tribu Iudæ æqualiter comprehendere, ſi ergo illud nihil aliud eſt quā redintegratio fœderis carnalis quæ tempore Meſſiæ exſpectatur, quare in præcedentibus abrogatio iſtius fœderis non

æqua-

æqualiter prædicitur? quare tribus Iuda à decem tribubus distinguitur? quare harum status & conditio deterior erit quam illius? Nec juvat dicere, decem tribuum statum ideò deteriorem dici quam tribus judæ, quòd hæc ex captivitate reducenda esset, illæ non item: licet enim hoc verum sit, licet tum temporis Hoseas ad istum eventum respexerit, tamen sufficientem rationem non habuisset qui Deum à misericordiæ erga decem tribus affectu planè alienum ostenderet easq; *Loammi* vocaret, si de redintegratione carnalis fœderis & corporali fælicitate omnibus simul tribubus restituēda cogitasset. Suspensio enim gratiæ, sive ad multos sive ad paucos annos illa sit, non est sublatio gratię. De hisce vide plura superius.

(8) Numerus dierum 45. quibus Israelitę in deserto vagabundi novi Messiæ adventum exspectabunt, conficitur ex arithmeticâ subtractione dierum 1290 à 1335, de quibus agit Daniel *cap.* 12. *vers.* 11. & 12. unde isti 45. hic propositi inveniuntur residui. Advertendum verò de quo tempore loquatur propheta, *A tempore*, dicit, *quo ablatus fuerit jugis cultus*, jugis iste cultus per Antiochum Epiphanem ablatus est, ut ex collatione *vers.* 11, *cap.* 12. cum *vers.* 31. *cap.* 11. manifestè liquet. A tempore ergo istius ablationis, dicit propheta, erunt 1290. dies, id est, anni tres cum dimidio & aliquot diebus. Toto illo tempore stare debebat idololatricus cultus per Antiochum in Templum Hierosolymitanum introducendus, cujus initium videtur 1. *Mac.* 1. *v.* 58. Tempore verò isto exacto Iudas Maccabęus profligato exercitu Antiochi & occupatâ Hierosolyma jugē i.e. verū Dei cultū restituit, uti videtur 1. *Mac.* 4. 52. Adeò ut sanctuarium Dei per 1290. dies fuerit profanatū & jugis cultus abrogatus, hoc est quod prædicit Dan. *v.* 11. Deinde addit *v.* 12. *Beatus qui perveniet ad dies.* 1335. in quibus dies 1290.

antedicti denuo comprehenduntur. q. d. beatus qui illis 1290. dieb. adhuc 45. supervexerit, ille enim finem calamitatum istius periodi (nam aliæ postea calamitates Ecclesię Iudaicæ iterum abortæ sunt) per mortem Antiochi visurus erat : nam 45 diebus, postquam Iudas Maccabæus verum cultum restituisset, Antiochus infensissimus Iudęorum hostis interiit, anno Seleucidarum sive Græcorum Monarchiæ 149, 1. *Maccab.* 6. 16. Vide itaque quam concinnè illos 45. vagationis suæ in deserto dies ex hisce versibus exsculpant Iudæi, contenti nimirum quod 1290. diebus à numero 1335. abstractis illos 45. remanere videant, parum solliciti quid de totius vaticinii contextu & adimpletionis veritate sit statuendum. Sed videant ne decipiantur, nonnulli enim 45. illos dies totidem fore annos existimant, si itaque toto illo tempore urticis & foliis fruticum in deserto vescendum erit, Messias quando venerit Iudæorum suorum genas admodum macilentas & inediâ collapsas inveniet. *R. Ioseph Iachiades* contrario planè modo incedit, ille enim per additionem & multiplicationem rem conficere vult qua noster Rabbi per subtractionem suam se probè defunctum esse existimabat. Ex num. 1290. & 1335. dierum conjunctim totidem (nimirum 2625.) annos efficit qui à tempore Danielis ad finem usque mundi effluere debebant, his deinde adjungit 3391. qui jam modo à principio mundi usque ad Danielis tempus effluxerant, unde tandem exsurgit illa 6000. plus minus annorum periodus quam vetus Talmudistarum dogma mundi durationi præscribit. Hoc est Iachiadis de hoc dierum vaticinio judicium, quæ verò propriè mens prophetæ sit & ad quod tempus jugis cultus abrogatio, de qua loquitur, sit referenda, hoc aliis inquirendum relinquit, officio ille suo satis benè se defunctum & bono publico.

blico rabbinico optimè consuluisse sibi videtur, quod suos 6000. annos tam ingeniosè & acutè inde exsculpserit.

(9) Ex antedictis abundè liquet, quo verba *Dan.* 11.42. spectent & à quo Ægyptus sibi metuere debebat, ab eod. sc. Antiocho Epiphane; non verò ab Armillo de quo ne per somnium quidem cogitavit Daniel. Et sanè terram Ægyptii ab Antiochi invasionibus non fuisse liberam constat ex 1. *Maccab.* 1. 17. &c.

(10) Ejusdem Antiochi mors testimonium perhibuit veritati quæ *Dan.* 11. 45. continetur, cum enim *monte decoris sancti* id est Zionis occupato, ad supremum gloriæ gradum se evectum putaret, & populi Dei exstirpationem animo suo meditaretur, *ecce ad finem suum pervenit nullusque fuit qui ipsi auxilium ferret*: sive ad animam ipsius hoc referatur, sive ad judæorum potentiam cui amplius viribus exhaustis tyrannus resistere non poterat, propheta respexerit, utrumque veritati consentaneum esse ex 1. *Maccab.* 6. colligitur. Nihil itaque est quod Armillus ab hoc telo quo alius ante ipsum percussus fuit, sibi metuat, & hactenus in utramvis aurem securè dormire poterit.

האות השמיני

יעמוד מיכאל ויתקע בשופר שלשה פעמים שנאמר והיה ביום ההוא יתקע בשופר גדול ובאו האובדים וגו' וכתיב וה' אלהים בשופר יתקע והלך בסערות תימן תק"ע ראשונה יגלה משיח בן דוד ואליהו הנביא לאותן הצדיקים הנחרים מישראל שנסו למדבר יהודה לסוף מ"ה ימים ישיבו את לכם ויחזיקו את ידיהם והרפות

Signum Octavum.

Exsurget Michael, & tribus vicibus buccinâ clanget, uti dicitur, (1) *Esai* 27. 13. *In die illo clangetur buccina magna & venient qui perierant* &c. Scriptum etiam est (2) *Zach.* 9. 14. *Dominus Deus buccinâ clanget, & vadet procellis austri.* Ad primum clangorē revelabitur *Messias Ben David*, & (3) *Elias propheta*, ad quorum signum justi & mundi ex Israele qui in desertum judeæ auffugerant, sub finem

ובריחיהם הכושלות יאמצו וישמעו כל שראל הנשארים בכל העולם את קול השופר וירעו כי פקד ה' אותם וכי באה הגאולה השלמה ויתקבצו ויבאו שנא' ובאו האובדים בארץ אשור והנדחים בארץ ונו' ומאותו קול יפול פחד ורתת על אומות העולם ויפלו עליהם חלאים רעים וישראל מתאזרים לצאת ויבא משיח בן דוד ואליהו הנביא עם הצדיקים ששבו ממדבר יהודה ועם כל ישראל הנקבצים ויבאו לירושלם ויעלה במעלות בית הנשארת וישב שם וישמע ארמילוס שעמד מלך לישר' ואמר יש אנה האומה חבוזה והשפלה הואת יעושין כן מיד יקבוץ כל חילי אומות ה' העולם ויבא לחלחם עם משיח ה' ואז ה"קה אינו מצריכו למלחמה אלא אומר לו שב לימיני והוא אומר לישראל התיצבו וראו את ישועת ה' אשר יעשה לכם היום מיד ה"קה נלחם בהם שנ' ויצא ה' ונלחם בגוים ההם כיום הלחמו ביום קרב וה"קבה מוריד אש וגפרית מן השמים שנא' ונשפטתי אתו בדבר ובדם וגשם שוטף ואבני אלגביש ונו' מיד ארמילוס הרשע ימות הוא וכל חילו וכל הרשעים שהחריבו בית אלהינו והגלונו

45. dierum animos colligent, manus eorum remissæ corroborabuntur, & genua debilia firmabuntur, auditoque clangore buccinæ omnes Israelitæ reliqui per totum orbem cognoscent Deum se visitasse, & perfectam liberationem dedisse, congregabuntur itaque & advenient, quod dicitur *Esai.* 27. 13. *Venientque qui perierant in Assyriâ* &c. Clangor autem iste mundi gentibus pavorem & tremorum injiciet, corripienturque gravissimis morbis. Interim Israelitæ ad exeundum se accingent, venientq; Messias Ben David & Elias propheta cum justis, qui ex deserto judeæ reduces erunt, omnibusq; Israelitis congregatis, & ingredientur Hierosolymã, conscensaq; regiâ relictâ considebit ibi Ben David. Armillus autem cum inaudierit surrexisse regem Israëli, dicet: Quousque tandem vilissima illa & abjectissima gens negotium facesset? Collectisque omnium gentium per orbem terrarum viribus veniet ad pugnandum cum Messiâ Dei, quem Deus ad ineundem bellum non adiget, sed dicit ipsi solummodò, (4) *sede ad dexteram meam. Ps.* 110. 1. Ipseque dicet Israelitis, sistite vos & salutem Domini aspicite, quę hodiè vobis parabitur. Et confestim ipse Deus pugnabit cum hostibus, quod dicitur (5) *Zach.* 14. 3. *Et exibit Deus & pugnabit cum gentibus illis sicut illo die quo pugnavit, die conflictus.* Demittetque Deus ignem & sulphur è cœlo, id quod dicitur (6) *Ezech.* 38. 22. *Et disceptabo cum illo peste & sanguine, lapidesque immanes grandinis, ignem & sulphur depluam super illum.* Et ilicò impius Armillus morietur cum toto exercitu suo omnibusque impiis qui domum Dei nostri vastarunt, & è terrâ

מארצנו ובאותה שעה יעשו בהם ישראל נקמות גדולות שנא' והיה בית יעקוב אש ובית יוכף להבה ובית עשו לקש.

terrâ noſtrâ nos deportarunt. Illa ipsâ horâ vindictam de illis ſument Iſraelitæ, quia dicitur. (7) *Obad.* 1. 18. *Eritque Domus Iacobi velut ignis & domus Ioſeph flamma, domus autem Eſau in ſtipulam.* &c.

DIALEPSIS.

(1) Fingit Rabbi Michaëlem buccinæ ſonum editurum quod textus non dicit in quo nihil de Michaele. Mentem prophetæ optimè percipiemus ſi inquiramus de quo tempore loquatur, non enim dicta Scripturæ allegare ſatis eſt, ſed deſpiciendum ut hoc fiat ſecundum ſcopum illius quem teſtem advocamus, alias fruſtra laboramus, & mentem vanitate paſcimus. Propheta poſtquam *verſ.* 10. vaſtationem Hieroſolymæ prædixiſſet, *verſ.* 12. denuo gratiam in captivitatem abductis & reditum in patriam promittit, Deique populum per clangorem buccinæ recolligendum ait. Diſputamus itaque hic cum judæis de adimpletione iſtius vaticinii quoad hiſtoriam & literam. Statuunt judæi clangorem iſtum buccinæ nondum eſſe auditum, neque reduces adhuc eos qui in terrâ Aſſur perierant, quod de decem tribubus eſt intelligendum, quæ cum in hodiernum uſque diem detineantur in exilio, vaticinium hoc adimpletum dici non poſſe. Sed falsò præſupponunt univerſalem decem tribuum reductionem hic promitti, ſicut enim *Ier.* 3. 14. *unus de civitate & duo de familiâ* reducendi dicuntur, ſic hic *verſ.* 12. *unus ad unum*, id eſt, non turmatim nec magno numero, ſed pauci palantes & vagabundi ab exilio in patriam revertentur. Hoc itaque ſi ad literam ſumatur, iſto tempore de quo Eſaias loquitur factum eſt. Quis enim credat, Prophetam, ubi de captivitate & urbis

bis deſtructione vaticinatus eſt & ilicò ſpem liberationis ſubjunxit, voluiſſe Iudæos remittere ad illam redemptionem quam hodie ſub finem mundi per adventum Meſſiæ expectant Iudæi, (quæ ſanè conſolatio tum temporis admodum jeiuna fuiſſet) & non potius ad liberationem ex iſtâ captivitate, de quâ tum loquebatur (Babylonicâ nimirum) ſæpè etiam alibi promiſſam reſpexiſſe. Regerunt Iudęi ſi ad iſtam liberationem reſpexiſſet, illam non decem tribubus in Aſſyriâ perditis (ut potè quæ eâ potiti non ſunt) ſed tribubus juda & Beniamin quæ ſolæ ex captivitate reduces fuere, duntaxat promiſiſſet. R. Non erat neceſſe iiſdem ſemper tribubus juda & Beniamin promeſſionem iſtam, quæ ſæpius alibi ipſis facta erat, repetere, ſed amplius quid oſtendere voluit propheta, ſc. non tantum duas illas tribus ex captivitate Babylonicâ eſſe reducendas ſed etiam ex decem illis in Aſſyriam abductis item Iudæis in Ægyptum profugis 2. *Reg.* 25. 26. *unum ad unum* ſive *unum de civitate & duos de fami'ia*, ideſt, paucos numero recolligendos & una cum duabus illis integris libertati & Patriæ reſtituendos eſſe: quod ſanè adimpletum eſſe ipſâ experientia comprobatum eſt, & quando? cum *clangor buccinæ* audiretur, ideſt, finitâ captivitate edictum Cyri Perſarum regis buccinæ clangore (ſic enim regia mandata notificari conſueverunt) promulgatum, omnibus non Iudæis tantum Babylonicis ſed & aliis redeundi libertatem concederet 2. *Chron.* 36. 22. Ecce ſenſum literalem & hiſtoricum. Typicè verò clangor buccinæ Euangelii prædicationem qua omnes non Iudæi tantum ſed & gentes à ſatanæ & peccati captivitate ad libertatem regni Ieſu Chriſti ſub fœdere gratiæ convocandæ erant, ſignificat.

(2) Non minus ineptè agit quod Eſaiæ *buccinæ* libertatis

tatis & gratiæ, addat Zachariæ *buccinam* furoris & iræ divinę contra hoſtes Eccleſiæ judaicę (typicè Ieſu Chriſti) cujus reliquias quæ adhuc in captivitate remanſerant, ut in patriam revertantur, invitat propheta *verſ.* 12. *cap.* 9. iiſque *verſ.* 13. robur & auxilium contra vim hoſtium, imprimis *Græcorum* id eſt Regum Syriæ, Antiochi Epiphanis &c. ex Græcis oriundorum promittit, quę promiſſio locutione figuratâ à buccinę clangore & turbine Auſtri mutuatâ illuſtratur. q. d. Irruam in hoſtes veſtros inſtar potentiſſimi exercitus ad buccinę clangorem certamen nectentis, & inſtar fævientis tempeſtatis quę furentibus ventis in plagâ meridionali excitari ſolet. De complemento hujus prophetiæ teſtantur libri Maccab. adeò ut clangor buccinæ iſtius Meſſiæ quem judæi exſpectant hic nondum audiatur.

(3) Eliam propheram unà cum Meſſiâ adfuturum credunt judæi, idque vi loci *Malach.* 4. 5. *Ego miſſurus ſum vobis Etiam prophetam antequam veniat dies Domini maximus & reverendus.* Kimchi in comment. modum & finem iſtius adventus hiſce verbis exponit, אף על פי שאני מזהירכם על הורת משה בכול דור ודור אף על פי כן לטובתכם אשלח לכם את אליהו הנביא והטעם שיעיב נשמתו שיעלה לשמים אל גוף נברא כגופו הראשון כי גופו הראשון שב אל ה׳ארץ ביעלותו כל יסוד אל יסודו ואחר שיהיה אתו בגוף ישלחנו לישראל לפני יום המשפט והוא יום השם הגדול והנורא והוא יזהיר האבות והבנים יחדיו לשוב בכל לב אל השם והשבי׳ נגלו מיום המשפט וזהו שאמר והשיב לב אבות על בנים כמו עם בנים וכן לב בנים על אבות כמו עם אבות כלומ׳ האבות והבנים יחדיו *Etiamſi ego* (Deus) *in lege Moſis vos erudiam de generatione in generationem, nihilominus in veſtrum bonum mittam vobis Eliam prophetam. Senſus eſt, animam Eliæ, quæ in cælum aſcenderat, reverſuram in corpus de novo creatum ad ſimilitudinem corporis prioris quod cum ad cælum aſcenderet in terram abiit, ad ejuſdem elementi naturam a qua deſumptum erat rediens Et poſtquā illum Deus cum corpore vivificaverit, mittet illum ad Iſraelem antę diem judicii, qui magnus ille & tremendus Do-*

mini dies est ad exhortandum patres & filios simul, ut toto corde se ad Deum convertant, & qui conversi fuerint à die judicii liberabuntur. Hoc est quod dicit propheta, convertet cor patrum ad filios, idem ac si diceret, cum filiis, & cor filiorum ad patres, idem ac si diceret, cum patribus, id est, patres & filios simul convertet. Quatuor hic docet Kimchi. Primò Eliam venturum dicit, secundò modum, tertiò tempus, quartò finem adventus ostendit. Modum quod attinet, prȩter scopum nunc est examinare an cum corpore veteri an verò cum novo recens à Deo creato compariturus sit Elias. Sed quæstio est an ex loco Malachiæ necessariò sequatur ipsum venturum ubi etiam tempus & finis adventus erunt considerandа. In materia hâc non Iudæi tantum sed & pontificii à nobis dissident, utrique vi hujus vaticinii Eliam exspectant ante finem mundi sed diverso fine: Iudæi illum exspectant ut Messiæ comitem, quem idcircò nondum venisse concludunt, quia Elias nondum apparuit: pontificii illum exspectant ut præcursorem secundi adventus Iesu Christi, & antichristi in fine mundi revelandi debellatorem. Sed hic cum Iudæis nobis res est, quæ verò argumenta habent communia ad ea etiam respondebimus. Sufficit homini Christiano orthodoxo responsio illa quam Christus discipulis suis eandem quæstionem de adventu Eliæ agitantibus dedit *Matth* 17. 12. *Dico vobis Eliam jam venisse* &c. postea subdit Matthæus *vers.* 13. *tunc intellexerunt discipuli eum de Iohanne Baptista hæc dixisse.* Hęc itaque est sententia orthodoxa, *Eliam à Malachia promissum esse Iohannem Baptistam Christi præcursorem*: contra quam excipiunt Iudæi his argumentis. *Primum.* Absurda & dura est ista expositio *Veniet Elias* id est veniet aliquis qui non est Elias sed vocatur Iohannes. R. Quomodo Iohannes sit Elias angelus Dei exponit *Luc.* 1. 17. *præ-*

cedet

cedet in conſpectu Domini cum ſpiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios &c. Hoc Chriſtiano homini ſufficit. Prȩterea ſcit Iudæus in propheticis locutionibus antitypum geſtare nomen typi, ſic Meſſias dicitur David *Hoſ.* 3. 5. quia David typus erat Meſſiæ, dignitatis nimirum regiæ reſpectu qua David Meſſiam referebat: eodem modo Iohannes dicitur Elias, reſpectu ſpiritus & virtutis quâ Ioannes Eliæ ſimilis erat futurus. *Secundum.* Dicitur Elias adfuturus ante diem terribilem Domini, qui potius eſt dies ultimi judicii, quam primi adventus Chriſti, qui non terribilis ſed ſalutaris dicitur. R. Etiam dies primi Chriſti adventus terribilis dici poteſt omnibus impiis, & terribilis iſtius diei nuncius fuit Ioannes Baptiſta, nam dicit *Mat.* 3. 10. *jam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt, omnis arbor non ferens fructum bonum excidi-tur & in ignem abjicitur.* & *verſ.* 12. *Cujus* (ſc. Chriſti) *ventilabrum eſt in manu ſuâ, perpurgabit aream ſuam, congregabit triticum in horreum ſuum, paleam autem exuret igni inexſtincto.* Ipſe etiam Chriſtus dicit *Ioh.* 9. 39. *ſe veniſſe in Iudicium ut qui vident non videant ſed cæci fiant.* Ipſis imprimis Iudæis terribilis fuit dies iſtius adventus Chriſti qui ipſis Hieroſolymorum excidium & exilium non ſemel prædixit cujus vaticinii veritatem poſtea experti ſunt. Non minus itaque terribilis dicendus iſte dies quo Chriſtus primò venit ad particulare illud Iudicium in impios quam illius quo ſecundò ad univerſale Iudicium in vivos & mortuos exercendum apparebit. *Tertium.* Eliȩ debet eſſe magna authoritas quam Iohannes baptiſta non habuit. R. Imò ſi fides Ioſepho habenda, major fuit authoritas Ioannis quam Chriſti, ipſe enim præclaram mentionem facit Ioannis & mortis ipſius cauſas recitat, quem ſanè honorem Chriſto non exhibet, cujus quidem meminit ſed paucis admodum verbis, in quibus candor

& ingenuitas desiderantur, adeò ut verum sit quod N.T. testatur de Ioanne, ipsum pro eximio propheta fuisse habitum à judæis, quem etiam ipse Herodes licet impius magni fecit. Hæc sunt argumenta judæorum, pontificiorum autem cavilla contra sententiam orthodoxam, & quid ipsis ex N.T. respondendum sit vide in *Prælection: Cameronis ad Mat.* Iam verò ut & nostra קשיות sive argumenta quibus judæos gravamus, in medium adferamus, notandum. I. Finis adventus Elię indicatur à propheta, *ut convertat corda patrum ad filios* &c. id est ut convertat corda tam patrum quam filiorum ut Kimchi exponit, ad timorem Dei, unde liquet eo tempore quo venturus erat iste Elias, corda hominum à vero Dei timore fore aliena, pœnitentia enim & conversio ad Deum ipsis erit necessaria. Præterea Kimchi, ubi ista verba exponit *ne percutiam terram anathemate* dicit. לב׳ יזהיר׳ הוא כדי שהיו ביגלי תשובה ליום תבא כדי שלא יכה הארץ כלה ותהיה חרם אשר לא יזהרו בהזהרתו יכלו ויסופו במדב׳ היגמים או ליום המשפט בארץ ישראל *Ad illos erudiendum veniet Elias, ut resipiscant ante diem illum futurum, ne percutiat Deus terram & ne sit anathema, qui enim admonitionem ejus suscipere noluerint peribunt & consumentur in deserto gentium sive in die judicii in terrâ Israël.* Quomodo quæso ista conveniunt cum historia de adventu Messiæ? Primò, Elias veniet ut convertat homines (Israelitas nimirum, hos enim indigitat Kimchi) ad Deum, & jammodò antequam Elias cum Messiâ venerit erunt satis conversi, sistent enim se coram Messiâ & Elia ut mundi, justi, sancti postquam in deserto judeæ per 45. dies fuerint probati, dealbati, defæcati, & impii omnes è medio eorum expurgati adeo ut Elias opus illud ad quod mittendus dicitur jam modò peractum & omnibus numeris absolutum reperturus sit. Deinde minatur Kimchi interitum in deserto illis qui

admo-

admonitioni Eliæ non parebunt, & jam modò ceciderint impii in deſerto antequam advenerit Elias, vel itaq; nimium tardaverit, vel alia rerum facies tum erit quam hic narratur. Adde, quod Kimchi vocem ארץ *terra* ad terram Iſraëlis adſtringat & rectè quidem, quando enim ארץ abſolutè & ſimpliciter ponitur, terram Iſraëlis notare ſolet, & ſic quoque apud Malachiam vocem illam ſumendam eſſe non eſt dubitandum. Intelligit itaque hoc de judicio particulari quod Deus in terrâ Iſraëlis contra impios Iſraelitas exercebit qui non paruerint voci Eliæ, & ſic rectè. Sed ſi jam per *diem terribilem* intelligit diem ultimum judicii, optimè novit ex ipſa judæorum doctrinâ non fore illud judicium particulare contra impios Iſraelitas ſolummodò, ſed univerſale omnium gentium in mortuorum reſurrectione. Non debet itaque iſta prophetæ comminatio de judicio univerſali intelligi, ſed tantum de judicio particulari contra judæos & terram Iſraëlis, vel ipſo Kimchio teſte. Hoc jam dudum adimpletum eſſe norunt, terram ſcil. Iſraëlis *Anathemate percuſſam* & judæos in exilium fugatos eſſe, quia voci Joannis Baptiſtæ auſcultare noluerunt. II. De Eliâ etiam agi *Malach.* 3. 1. (licet Kimchi ibi per *Angelum fœderis* perperam ſtatuat poſſe intelligi Eliam) agnoſcunt judæi, jam autem certum eſt illa quæ ibi & verſſ. ſequentib. dicuntur ad extremum judicium referri non poſſe, quod textum & res in eo contentas perpendenti fiet manifeſtum.

(*) Nota, Authorem hunc ad Meſſiam referre verba *Pſal.* 110. 1. שב לימיני *Sede ad dextram meam.* Si hoc rectum, pertinebit ergò Pſalmus iſte ad Meſſiam, & quæ ibi dicuntur, dicuntur de Meſſia, in quo complementum ſuum ſortiri debebant. Quare ergo Rabbini tantopere adlaborant ut illuſtre hoc vaticinium detorqueant?

Antiquiores illud de Abrahamo intelligunt, quam ſententiam *R. Salomo* & *R. Lipman* confirmant, *Aben Eſra* autem quòd illam difficultate laborare videret, ad Davidem potius refert quicquid hic dicitur, cui adſtipulatur *D. Kimchi.* Quid quæſo impellit judæos quòd potiùs de quovis alio Pſalmum hunc intelligi velint quàm de Meſſiâ, cum tamen multa alia vaticinia fortè minus illuſtria ei tribuere non vereantur? Quid damni inde ad eos accederet ſi hoc quoque ejus gloriæ darent? Eſtne quòd Pſalmus hic contineat aliquid quod gloriam Meſsiæ ſuperet? At illud Abrahamo & Davidi tribuere non erubeſcunt, quorum tamen gloria minor fuit quàm erit gloria Meſſiæ: Vel quòd aliquid ibi ſit, quod in Meſſiam non quadret? Sed quid quæſo illud eſſet quod non æquè de Meſſiâ dici poſſit, quam de Davide vel Abrahamo? Præſertim cum in Meſſia nihil crepent pręter gloriam, & nihil in hoc Pſalmo ſit quod non videatur glorioſum, ſaltem juxta ſenſum quem judæi ei aſſingunt vel de novo aſſingere poſſent ſi vellent. Dicam. Fatale odium quo flagrant iſti homines contra Ieſum Chriſtum obſtinatæ iſtius malitiæ cauſa eſt: Chriſtus enim cùm Phariſæis judæorum magiſtris quæſtionem proponeret quid ipſis videretur de Meſſia, cujus filius eſſet futurus? Reſponderunt ipſi, *Davidis filius.* Regeſſit ſervator, *quomodo ergò David per ſpiritum vocat illum Dominum, dicens, dixit Dominus Domino meo. Si ergo David vocat Dominum, quomodo filius ejus eſt?* Ad hanc quæſtionem tum temporis reſpondere non potuerunt, nec in hodiernum uſque diem poſſunt. Et hæc eſt cauſa quod Pſalmum hunc de Meſſia intelligi nolint, ſi enim Meſsiæ darent quæ ibi dicuntur, etiam rationem reddere tenerentur, quare David ipſum appellet *Dominum ſuum*, quæ alia dari non poteſt, quam quod David ipſum pro Deo agnoverit, ſed

hanc

hanc gloriam ipsi tribuere nolunt judæi. Libet hic adjicere quid homines isti nobis obganniant, quo vaticinium à Iesu Christo Dei filio avertere conantur. Duo antagonistæ inter judæos celebres causam hanc contra nos agunt. *R. David Kimchi* & *R. Lipman*. Prior in suis תשובות ad finem comment. in Psalmos Isnæ in fol. edit. subjunctis, ad *Psal.* 110. hæc habet הנוצרים מפרשים זה המזמור על ישו ואמרו כי בפסוק ראשון יתבאר בו האב והבן שנים קוראים נאם ה' לאדני בקמץ הנון אמרו היאך יאמר ה' אל אדני אלא שהם שנים והרוח השלישי ועוד טיעות אחר קוראים בזה המזמור עמך נרבות קוראים עכך בחרק היוד ואומר בהדרי קדש הוא הקדש שנולד מרחם ואתה תאמר להם טעות קריאתם כי ג'רומיש המיעתיק שלהם טעה כי לאדני בחרק הנון והוא אומר על דוד כמו שפירשנו ואין יכולו להחזיק איש טעות איש אחר כנגד רבים כי ממזרח שמש ועד שבואו ימצא בכל הספרים בחרק הנון עמך נרבות בפתח היוד והלא הם אומרים כי התורה שלנו עדות להם אם כן יאמינו ביוד ועל טעות אמונתם תאמר להם אם האב והבן הם אלהות אין האחר צריך לחברו כי לא יקרא אלוה אם יצטרך לזולתו ואיך יאמר האב לבן שב לימיני עד אשית עוביך אם כן צריך הוא לימינו וליעזרתו אם חולשה אחו והאלוה אינו חלוש וחסר היכולת והוא אמר לו אתה כהן לעולם ומקדם לא היה כהן ונגיד ואם יאמרו כהן כמשמעו ויאמרו מהיום ואילך תהיה הכהנה ביענין אחר לא שיהיה מקריבין בשר ודם כמו שה ומקריבים עד היום אלא לחם ויין כמו שיעשה מלכיצדק שנאמר עליו ומלכיצדק מלך שלם הוציא לחם ויין והוא כהן לאל עליון אמור להם למי אמר אתה כהן אם לבן הוא אמר כמו תאמר בתחילת המזמור עד זה הפסוק וכן מזו הפסוק עד סוף המזמור והכהן הוא העובד המקריב והאלוה לא יקריב אבל יקריב לפניו ואם יאמר לאדם בעולם ואינו מדרך המזמור למי יאמר כי הם אין להם לכהן משפחה אלא כל הבא ימלא את ידו אם כן למי יאמר נשבע ולא ינחם אתה כהן לעולם ועוד למה שנה רצונו כי מתחלה צוה להקריב בשר ואחר כך לחם ויין ואיך אומר ולא ינחם והרי נחם והרי לא נחם התורה לזמן והנה מלאכי חותם בנביאים אמר זכרו תורת משה עבדי אשר צויתי אותו בחורב חקים ומשפטים ואמר הנה שולח לכם את אליה הנביא והנה אליהו לא בא עדיין ולא יבא עד זמן ימות המשיח והנה אמר שיזכרו תורת משה לעשותה כמו שצוה אותה בסיני לא כמו שצוה ישו מזה תראה כי לא תשתנה התורה ליעולם אלא כמו שנתנה למשה כן תהיה לעולם ויעוד אמר מחץ ביום אפו מלכים ואיה המלחמות שנלחם ישו ואיה המלכים אשר נצח ואך אמר ירין בגוים והלא לא בא לדון אלא הנשמות ולהושיעם ואמר על כן ירים ראש ועד היום ההוא לא הרים ראשו יפקחו עורים את עיניהם ויאמרו אך שקר נחלו אבותינו *Christiani Psalmum hunc de Iesu* (Hebr. ישו contemptim truncato ע, ad vitandam nominis ישוע IESUS notationem, quod SERVATOREM significat. Tres autem istas literas ישו blasphemè exponunt per ימח שמו וזכרו deleatur nomen.

nomen ejus & memoria ejus.) *exponunt, ac dicunt v.* 1. *Patrem & Filium designari, legunt enim, dixit Dominus* לארני *Domino, Nun cum Kametz, dicentes, quomodo posset Deus ad Deum loqui nisi essent duo, & Sp. Sanctus tertius? Alium etiam errorem committunt, quod in eod. Psalmo vers.* 3. *legant* עין *cum chirec sub Ain, & ubi dicitur in decore sanctitatis, de sanctitate quæ ex utero nascitur intelligunt. Respondebis autem ipsis, lectionem eorum esse vitiosam, erravit enim Gerolmus* (sic Hieronymum vocat) *interpres eorum nam Nun in* ארני *est cum Chireck, & hoc de Davide est intelligendum, quemadmodum exposuimus. An possibile virum unum & quidem errantem resistere posse tam multis? In omnibus codicibus qui reperiuntur ab ortu solis usque in occasum extat chirec sub Nun & patach sub Ain in* עין. *Dicunt legem nostram ipsis testimonium perhibere, quod si verum esset isti testi fidem adhiberent. Et quod attinet errorem fidei eorum, dices ipsis, si Pater & Filius sunt Deitas, alter alterius ope non indiget, non enim Deus dici debet si aliquâ re extra se constituta opus habet. Et quomodo dicet pater ad filium, sede ad dexteram meam donec posuero inimicos tuos &c., sic enim filius indigeret ipsius dextera & auxilio, si quando debilitatus fuerit, at Deus nunquam debilitatur neque caret potentiâ. Et quomodo dicet ipsi, tu es sacerdos in aternum cum tamen olim ipse non fuerit neque sacerdos neque princeps. Si dicant ipsum sensu peculiari sacerdotem dici quod postmodum Sacerdotium circa aliud objectum versari deberet nec amplius sacrificaturi essent carnem & sanguinem uti hactenus sed panem & vinum sicut fecit Melchisedeck de quo dicitur.* Gen. 14. 18. *Melchisedeck rex Salem protulit panem & vinum ipse autem erat sacerdos Deo excelso. Respondebis ipsis interrogando quis nam ille fuerit cui dixit tu es sacerdos? An Deo filio hoc dixit? (ad hunc enim referunt quicquid ab initio hujus psalmi usque ad hunc versum & deinceps à versu hoc usque ad finem dicitur)*

tur) at ſacerdos ille eſt qui ſervit, qui holocauſta offert, ipſe autem Deus non offert ſed alius ipſi offert. Si verò hominem mortalē ſacerdotem nominat quod tamen eſt præter ſcopum pſalmi, (non vult Kimchi כהן hic ſacerdotem denotare) cuinā ita loquutus eſſet ? cum ſacerdotibus nulla fuerit hæreditaria ſucceſſio, ſed in locum alterius eligebatur qui dignus judicabatur. Et quia hoc ita ſe habet, cuinam dictum eſſet juravit & non pœnitebit ipſum tu es ſacerdos in æternum ? Ad quid mutaſſet Deus conſilium ſuum, qui ab initio offerre juſſit carnem, ut poſtea panem & vinum offerri voluerit ? Quomodo dixiſſet non pœnitebit ipſum ? Nam ecce pœnituit modò. Certè lex ad tempus tantum non eſt data, Malachias enim qui ultimus propheta rum fuit, dixit : Recordaminī legis Moſis ſervi mei, cui præcepi in Choreb ſtatuta & jura. Malach. 4. Et deinde addit: Ecce mittam vobis prophetam Eliam, ipſe autem nondum venit, neque veniet uſq; ad dies Meſſiæ, jubet ut recordentur legis Moſis ad obſervandam illam uti ipſe Deus illā præcepit in Sinai, non verò ſicut præcepit Ieſus. Unde videmus legem in æternum non eſſe mutandam, ſed ſicut data eſt Moſi ſic erit in ſeculum. Præterea dicit, in die iræ ſuæ confringet reges, quænam ſunt bella illa quæ geßit Ieſus ? Ubi ſunt reges quos vicit ? & quomodo ipſe dici poteſt judicium exerciturus in gentes ? cum tamen non venerit niſi ad judicandum animas & ad ſervandum illas. Et quomodo dici poteſt caput ſuum exaltaturus ? Cum tamen in hodiernum uſque diem caput ſuum non exaltaverit. Aperiant oculos ſuos cæci, ac dicant, falſum poſsidebant majores noſtri Ier. 16. 19. Hactenus D. Kimchi. Acerbiorem hoſtem non tamen ideò magis metuendum habemus in Lipmanno qui in כפר נצחון ad Pſalmum hunc ita ſcribit. כל זות מפרשים הנוצרים על הנוצרי ולא עור אלא לארוני הנקוד בחיריק קורין הפוקרין בפתח או מרם על חול שהוא קריש והוה טעו בכמה דברים שמש: ן הידוע שנקוד בחיריק ועוד הלא דבר זה בהפין מהרכר השגור בפ הסת מיר שיש להם שלושה אב ובן ורוח והשילש אחר ואם הוא אחרות וזה נבלל בזה אי אפשר שיש

אחד בצד חבירו לימינו ועוד שאמר לו לישב אצלו עד שיפול אויביו ולאחריכן היכן יגרשהו ועוד שאמר משה עוך יבא מציון ואדרבא הנוצרי נהרג בציון ונשבר עוד שמה ועוד שאמר כרחם משחר לך וידוע שהוא אותו מקום של אישה ואיככה יפרשו זאת אם מפרשים על עצמו מה לו להזכיר זה אדרבא גנאי הוא לו ולהם להזכיר מקום הטינופות עליו ואם מפרשים על אמו היכן מצינו שהיה לה קדושת רחם יותר מלאם אחרת ועוד שנאמר נשבע ולא ינחם אתה כהן לעולם איככה מבינים מה שייך שבועה שאלוהות הוא יחיה שר ואילמלא השבועה מה תהא לאלהיה' או איך יאמרו אם לא השבועה ינחם על טובת אלהיהם ולהפכו לרעה ועוד שאותו שבועה נאמר על דברת מלכיצדק מלך שלם הנזכר בפרשת לך לך שנא' ומלכיצדק מלך שלם הוציא לחם ויין וגו' והיכן דבר מלכיצדק מן הנוצרי ואין כי הבל הכל

Hoc totum explicant Chriſtiani de Nazareno. Neque tantum hoc, ſed etiam vocem לארני *quæ cum Chirec punctata eſt, hæretici iſti legunt per Patach,* (vult dicere, *Kametz*, uti Kimchi) *ac ſtatuunt ſanctum eſſe* (id eſt nomen Dei proprium *Adonai* eſſe) *quod hic profanum eſt* (i. e. quod homini hic tribuitur.) *Multis autē modis errant, dum notiſſimam hanc lectionem quæ chirec eſt, mutant. Et ſanè contrario modo ſe omninò habet quod continuò in ore ipſorum verſatur, tres ſc. ſe habere, Patrem, filium & ſpiritum, qui ſint una Trinitas, ſi unum illi ſunt, adeò ut hic in illo comprehendatur, quomodo poſsibile eſt unum ſedere poſſe ad latus ſocii ſui ad manum ejus dexteram? Porrò cùm juxta ſe eum ſedere jubeat donec inimicos ipſius ſubjugaverit, poſtquam hoc factum fuerit quonam illum depellet? Non magis quadrat illud quod ſequitur, ſceptrum potentiæ tuæ veniet ex Zione, è contrario, Nazarenus occiſus eſt in Zione & potentia ipſius ibi confracta eſt. Præterea cum dicitur, ex utero auroræ tibi &c. notum eſt, uterum eſſe locum mulieris. Quomodo autem exponent illud ſi de ipſo Nazareno intelligant, quid illius refert iſtius loci mentionem facere? Econtra turpe hoc eſt ipſi & ipſis, locum ſordium ad ipſum referri. Si verò de Matre ipſius hoc dicatur, ubi reperiemus illam majorem uteri munditiem habuiſſe quam quævis mater alia? Deinde ubi dicitur, juravit & non pœnitebit ipſum tu es ſacerdos in æternum, quomodo perſuadere poterunt Deum juramento confirmaſſe, Deum iſtum fore Principem? & niſi jura-*

mentum eſſet quid fieret ipſorum Deo? Aut quomodo dicent, niſi adeſſet juramentum Deum pœnitentiâ duci poſſe boni Deo ipſorum promiſſi, adeò ut illud in malum ſit converſurus. Adde quod juramentum illud ſit reſpectu Melchiſedeci Regis Salem, de quo in ſectione לך לך *ubi dicitur, Melchiſedeck Rex Salem protulit panem & vinum &c. Ubinam verò Melchiſedechus locutus eſt de Nazareno? Nil niſi vanitas.* Hactenus *R. Lipman.* Prior cum ratione inſanit, hic ſine ratione, qui præ nimia acerbitate uſq; adeo ineptum ſe oſtendit ut refutatione vix dignus ſit. Duplici modo nobis ægrè facere conantur, κατ' ἄρσιν ſc. vaticinium hoc à Chriſto removendo, & κατὰ θέσιν illud ad alium quendam detorquendo. Argumēta ἀνυπαιτα ex utriuſq; oppoſitione collecta hęc ſunt. I. Verba illa *Dixit Dominus Domino meo*, de Chriſto tanquam Dei filio intelligi nequeunt, quia falſum eſt Nun in לאדני habere punctum Kametz ac ſi nomen Dei eſſet, & ſecundam Deitatis perſonam denotaret, uti putavit Hieronymus, ſed habet punctum Chireck affixo jod ſequente, eſtq; nomen profanum. *Reſp.* Quis tenebrionibus illis dixit, vim argumenti noſtri in eo conſiſtere, ut Nun in לאדני ſcribatur cum Kametz, & Chriſtianis perſuaſum eſſe, fieri non poſſe ut ſecunda Deitatis perſona denotetur per vocem לאדני niſi Nun illud ſit cum Kametz, & ſit nomen A D O N A I unum ex nominibus divinis? Unde probabunt Hieronymo hoc unquam in mentem veniſſe? Imò contra, quia vocem לאדני reddit *Domino meo*, facilè conſtat linguæ perito ipſum non legiſſe Nun cum Kametz ſed cum Chireck, A D O N A I enim nomen Dei redditur ſimpliciter per *Dominus.* Neque in eo quæritur vis argumenti, utpote quæ in ratione illa duntaxat conſiſtit, quam Chriſtus allegavit & ad quam judæi nunquam reſpondere potuerunt, *ſi Meſſias Davidis filius eſt, quare ergo David ipſum vocat Dominum ſuum?* Præſuppo-

nit ſervator Pſalmum eſſe Davidis,ipſumq;hęc verba ore ſuo protuliſſe,*Dixit Dominus Domino meo*,unde concludit Davidem amplius quid in perſonâ Meſſiæ prævidiſſe quam nudam humanitatem, aliàs enim ipſum non vocaſſet Dominum ſuum quem filium ſuum futurum noverat,Patres autem nō conſueverunt filios vocare ſuos Dominos. Gordius iſte nodus erat Phariſæis,quem tum temporis ſolvere non poterant, donec tandem ipſorum ſucceſſores vafri Rabbini poſtquam diu ſed fruſtra luctati eſſent ſumpto Alexandri gladio lorum abſcinderent, dicentes, non ad Meſſiam ſed ad alium ſpectare hoc vaticinium, quod non eſt ſatisfacere ſed eludere. Fruſtra itaq;ſunt iſti homines & aërem verberant Nun Kametzatum negantes de quo ipſis litem non movemus. II. Si Deus Pater Deum filium alloqueretur ipſi opem & auxilium ſuum promitteret, dicendo, *ſede ad dexteram meam donec poſuero* &c. at abſurdum hoc eſſet qui enim verè Deus eſt nullius auxilio indiget *Reſp.* Non promittit Pater auxilium filio tanquam Deo ſed tanquam θεανθρώπῳ, mediatoris officio in humanâ ſuâ naturâ cum divinâ inſeparabiliter unita defuncturo, & Diabolum proprio ſuo & Patris auxilio à Divinâ naturâ quam cum Patre communem habet petito, debellaturo. Quod S.S. Trinitatis myſterium & myſticam naturarum in Meſſiâ unionem ſi cum Davide rege apprehendere poſſent, futilibus illis argumentandi modis quibus quicquid divinarum proprietatum eſt humani ratiocinii pede metiuntur homines inſulſi, facilè ſuperſederent. Cumque Trinitatis myſterium ἀνεξιχνίαστον omninò ſit, fideique non *perſcrutantis* ſed *recipientis*, quæ argumentis inartificialibus potiùs quam artificialibus perſuaderi debet, difficulter admodum cum hominibus à communi Chriſtianæ & priſcæ judaicæ fidei principia

cipio apoſtatis diſputatur, nec melius ſtulta ejuſmodi ratiocinia contra perſonarum in Deitate pluralitatem refellere poſſumus, quam Vet. Teſt. teſtimonia quibus illa verè adſtruitur, contra ipſos quoties in iſtum lapidem impingunt, vindicando. Quieſcat ergo hæc ipſorum objectio & aliæ ſimiles donec argumento noſtro quod ex verbis *dixit Dominus Domino meo* pro perſonarum Divinarum pluralitate urgemus, ſatisfecerint, quod quàm rectè præſtent, vaticinium à Meſſiâ detorquendo, poſtea videbimus. III. Virga roboris tui eſt è Tzione, at Nazarenus occiſus eſt in Tzione. *Reſp.* Occidi debebat in Tzione, teſtibus judæis, qui Meſſiam morti obnoxium agnoſcunt, vide ſupra pag. 37. Nec hoc impedit quominus robur Chriſti ſit ex Tzione, imò contra, ideo occiſus eſt in Tzione ut robur ipſius eſſet ex Tzione & gentibus etiam notum redderetur, id eſt ut ſpirituale regnum quod in morte Meſſię fundatur in Tzione loco occiſionis initium ſumens per totum orbem diffunderetur, quod experientiâ comprobatum eſt, juxta parallelum *Eſaiæ* vaticinium *cap. 2. verſ. 3. Nam Tzione prodit doctrina, & verbum Domini Ieruſchalaimis, qui judicem aget inter gentes* &c. Quæ verba D. Kimchi hoc modo exponit זה רצרי הנביא לא דברי העמים כלומר למה יאמרו הגוים לכו ונעלה ירנו מרתביו כי מציון תצא תורה ומצוה לכל העמים והמורה הוא מלך המשיח ועל׳ו אמר ושפט *Verba illa non ſunt populorum ſed prophetæ, quaſi dicat, quare dicent gentes?* Venite, aſcendamus ut doceat nos de viis ſuis, *quia ex Tzione lex & præceptum prodibit ad omnes gentes, & Doctor hic erit Rex Meßias, & de eo loquitur cum addit* & judicabit &c. Diſce ergo Lipmanne à Kimchio ſocio tuo, imò tu Kimchi diſce à teipſo quomodo verba illa, *ſceptrum roboris tui mittet Deus ex Tzione*, ſpectent ad Meſſiam, nec ad alium eſſe detorquenda. Si regeritis, (quod tamen non audetis) licet

ſpectent ad Meſſiam, non tamen ideò pertinent ad Ieſum Nazarenum, reſpondete ad argumentum quomodo David appellet Meſſiam Dominum ſuum? ſi enim verſus ſecundus Meſſiæ dari poteſt, totus Pſalmus ipſius erit. IV. *Verſ.* 3. Non legitur עמה ע cum Chirec, ut ſenſus ſit, *tecum principium* ſive *principatus*, uti malè reddunt Chriſtiani, ſed ע habet patach, & ſignificatio vocis eſt *populus tuus*. *Reſp.* Sic quidem rectè carpunt judæi verſionem 70. interpretum, qui verba Hebræa עמך נדבת reddunt μετὰ σοῦ ἡ ἀρχή, & Vulgatæ, quæ errorem ſuum inde mutuavit *tecum principium*. Adſtipulamur Iudæis verſionem illam eſſe abſurdiſſimam, nec ullo modo poſſe defendi, licet *Genebrardus*, *Bellarminus*, & alii pontificii omnem lapidem moveant, ut illam cum textu Hebræo concilient, vel Hebraicâ veritate contemptâ tueantur. Vid. Doctiſs: *Sixti. Amamam in Antibarb. Biblico* pag. 859. Sed an inde ſequitur, locum hunc non pertinere ad Meſſiam? vel ideo minus Ieſu Nazareno tribui quæ hic dicuntur quia legendum עמך cum patach *populus tuus*, & non cum chireck *tecum*? Quis ſanâ mente præditus tale conſequens fingat? Imo contra, quia legendum eſt *Populus tuus* & non, *tecum*, eò magis contextus iſte ad Meſſiam pertinet, ſenſus enim eſt, *populus tuus erit populus ſpontaneus*, id eſt, obedientiam ſpontaneam præſtabit, quod veriſſimè de Meſsię populo cum illis quæ ſequuntur dici poteſt. Et hoc optimè convenit cum loco Eſaiæ ſupra citato, quem Kimchi de Meſsia exponit, ut dicitur, *ad eum omnes gentes confluent* Hebr. ונהרו quod *R. Salomo* exponit יתקבצו וימשכו אליו כנהרות *congregabuntur & trahentur ad ipſum inſtar fluviorum*. *Kimchi* ירוצו *current*, ſicut aquæ fluviorum ſpontaneo motu feruntur, & ad locum declivem rapido curſu deſcendunt ſic Meſsiæ populus voluntariè, cupidè ſine coactione, ברוח נדיבה נכמך

Spi-

Spiritu ſpontaneo (de quo David *Pſal.* 51. Ubi vox Hebræa נדיבה *Spontaneus*, quæ *Pſal.* 110. eſt נדבות *Spontaneitates*) *ſuſtentatus* Deo ſerviet, quam liberrimam obedientiam & ſpontaneum obſequendi motum nullâ elegantiori Metaphorâ quam quæ à declivi aquarum fluxu petitur, exprimere poterat. Vaticinii autem complementum & veritas in fide Chriſtianâ per charitatem erga Deum & proximum efficace abundè demonſtratur. V. Verba illa, *ab utero auroræ* de Nazareno dici non poſſunt, nam רחם vulvam mulieris notat cujus mentionem facere ipſius reſpectu dedecus eſſet, & ſi de vulva matris ipſius dicatur, unde probabunt majorem ejus utero munditiem fuiſſe quam matris alterius? *Reſp.* Videtur *Lipmannus* obſcura hac objectione reſpicere ad portentum illud opinionis veterum aliquot Chriſtianorum patrum *Epiphanii*, *Tertulliani*, *juſtini*, *Auguſtini*, *Ambroſii* &c. Qui Hebręæ linguæ inſcitiâ, & 70. interpretum nec non vulgatæ Latinæ ineptiſsimâ verſione deluſi, locum hunc alii de æternâ filii Dei generatione, alii de nativitate ejus ex utero Mariæ virginis expoſuerunt, quos hodiè ſequuntur pontificii eò magis culpandi quod melius edocti mordicus tamen & obſtinatâ quadam malitiâ, inſulſæ verborum interpretationi adhæreant, eamque contra Hebraicam veritatem eam mutilando & pervertendo tueri non erubeſcant, quaſi textus Hebræus ab interpretibus ejus, & non interpretes à textu Hebræo corrigendi ſint. Verba Hebræa ſunt מרחם משחר לך טל ילדותך quorum veriſsima expoſitio hæc eſt, *ex utero auroræ tibi ros juventutis tuæ.* LXX. habent ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε. Vulgata hoc reddit de verbo ad verbum *ex utero ante Luciferum genui te* משחר ergo, quod *auroram* notat legerunt *ante luciferum* quaſi מ eſſet præfixum & non heemanticum, voces לך טל in medio reliquerunt, ילדותך *juventus tua* legerunt

gerunt *genui te*, ac si esset prima præt. in Kal: corruptissimæ hujus interpretationis fundamento hanc utramlibet expositionē superstruxerunt antiqui. *Ego Pater* genui te *filium meum* ex utero *sc. meo, id est, ab essentiâ meâ generatione sc. æternâ ante* auroram *sive* luciferum, *id est, antequam lucifer sidus illud auroræ comes crearetur.* VEL. *Ego Pater* genui te *filium meum* ex utero *beatæ virginis Mariæ* ante luciferum, *id est, mediâ nocte antequam oriretur lucifer.* Vah crassam inscitiam! quæ meritò ludibrium debet ludæis, nam ne per somnium quidem de filii Dei sive æternâ à patre sive corporali à Mariâ generatione hoc in loco cogitavit Psaltes. Hinc dicit Lipmannus, dedecus esse Christo & Christianis vulvæ muliebris mentionem facere, ubi sc. de æternâ ejus à Patre generatione agitur, & rectè quidem, quis enim per *uterum* essentiam Divinam intelligat? Quod autem de *uteri sanctitate* addit, negatque majorem utero Mariæ virginis (si de corporali Christi generatione agatur) fuisse sanctitatem quam matris alterius, alienum hoc est, non ideo quia de corporali Christi nativitate hic agi negant, sed quia ratio quam addit, nimis est inepta, sumit enim versum hunc ac si de utero muliebri proprie dicto loqueretur Psaltes & cum ipso facit R. Salomo, ambo ut ante dictum ad Abrahamum totum hoc vaticinium referunt, & verba textus ad inveniendum sensum quem ipsis affingunt hoc modo conjungunt עם נדבות ביום חילך Populus spontaneus in die exercitus *fuit tibi, O Abraham cum ad bellum contra hostes tuos te accingeres, servi tui sponte auxilium tibi tulerunt.* בהדרי קדש מרחם משחר in decoribus sanctitatis ab utero auroræ, *id est, facit hoc ad tuam gloriam O Pater Abraham, quod decora sanctitatis in te fuerint inde ab utero matris tuæ ab utero auroræ summo illo manè cum primum ex utero matris tuæ excidisses, agnovisti enim creatorem tuum cum esses puer*

trium

trium annorum לך טל ילדותך Tibi ros juventutis tuæ *id eſt imputatæ tibi ſunt rectitudinis & juſtitiæ viæ in quibus ambulaſti in juventute tua earumque fructum inſtar roris ſuaviſſimi percepiſti.* Eodem ergo jure quo illi de Maria virgine quærunt, etiam de Abrahami matre quæri poſſit, unde conſtet majorem ejus utero ſanctitatem fuiſſe quam aliarum matrum? Kimchi de Davide exponens alium ſenſum introducit & hæc ſimul jungit, *ex utero auroræ tibi ros juventutis tuæ* id eſt *O David! cum ex utero matris tua prodires quæ nativitatis tuæ aurora erat, Dei benedictionem (quæ ros juventutis tuæ erat) conſecutus es eo quod ab ineunte ætate regno deſtinatus fuiſti.* Sed Aben Eſræ expoſitio præferenda eatenus ſaltem quod metaphoræ locum det ſtatuatque cum R. *Moſe* בקיעת השחר *Auroræ proruptionem* & ושם הרחם כנוי כדרך אז יבקע כשחר *nomem uteri periphraſticam locutionem eſſe, ſicut illud Eſai.* 58. 8. *Tunc erumpet velut aurora lux tua &c.* Quam deinde expoſitionem ſubjungit hoc modo המעם אם הי׳צרכת לעשות מלחמה יעמך יבואו אליך ביום כנשם נדבות ותראם בהדרי קדש כרחם משחר מעת עלות השחר יבוא כטל שהרגלת לראות בילדותך כאשר היית רועה בצאן *Senſus eſt, cum neceſſe tibi fuerit* (O David) *bellum inire, populus tuus maturè ad te accedet inſtar pluviæ liberaliſſimæ pſal.* 68. 10. *videbiſque illum cum decoribus ſanctitatis ex utero auroræ, id eſt quo tempore oritur aurora venietque tibi inſtar roris quem videre conſueviſti in juventute tua aurorâ prorumpente, cum eſſes paſtor gregis.* Non ineptè modo à ſenſu carnali ad ſpiritualem revocetur. Promittit propheta Meſſiæ, ſe habiturum populum ſpontaneum, (ſicut antea expoſitum) in die exercitus ſeu roboris ſui id eſt quo tempore Euangelium ſuum quod eſt potentia Dei ad ſalutem, ut ait Paulus, prædicari juſſerit, cum decoribus ſanctitatis, vita ſancta & virtutibus Chriſtianis ornatum. Deinde addit *Ex utero auroræ tibi ros Iuventutis tuæ*, per

trànſpoſitionem poeticam nota ſimilitudinis omiſſa quam recte obſervavit Aben Eſra idem ac ſi dicat *Sicut ros ex utero auroræ ſic juventus tua*, jam ſenſus eſt perſpicuus: Sicut tempore auroræ rorem copioſiſſimè veluti ex utero auroræ natum decidere videmus, tantâ abundātia tibi naſcentur liberi per generationem illam ſpiritualem Euangelii. Sic omni obſcuritate remota elegantiſſimam hanc locutionem eſſe videmus eo magis hoc ſenſu amplectendam quod ejus complementum ipſa experientia comprobaverit. Quod itaque Iudæi hoc verſu Meſſiæ generationem ſive æternam à patre, ſive corporalem à Maria agnoſcere nolint, in eo minime culpandos eſſe judicamus. Qui inter Chriſtianos corruptæ verſioni vulgatæ & opinioni intempeſtivè illi ſuperſtructæ adhærent viderint quomodo argumentis quibus premuntur à Iudæis ſatisfaciant. Nos hac in parte nihil in illis deſideràmus, quam quod verſum hunc à Meſsię populo, cujus generatio ſpiritualis & proprietates ibi deſcribuntur & metaphoricis locutionibus illuſtrantur, avertere ſtudeant. VI. Verba *verſ* 4. *Tu es ſacerdos* non pertinent ad Ieſum Nazarenum quia ipſe nunquam fuit neque ſacerdos neque princeps. Si dicant Chriſtiani, ipſum peculiari modo nimirum juxta ordinem Melchiſedeci fuiſſe ſacerdotem, id eſt, ſicut Melchiſedeck *Gen.* 14. 18. produxit panem & vinum qui erat ſacerdos Deo excelſo, ſic Chriſtum fore ſacerdotem offerendo non carnem & ſanguinem uti olim, ſed panem & vinum: Reſpondendum ipſis, ritum ſacrificandi carnem & ſanguinem à Deo per Moſem inſtitutum eſſe perpetuum, Deus enim ſententiam ſuam non mutat, nam ſi mutaret falſum eſſet quod hic dicitur *juravit & non pœnitebit ipſum*, ſi enim ſacrificium carnis & ſanguinis mutaſſet in ſacrificium panis & vini, jam modo pœnituiſſet ipſum prioris ſuæ inſti-

inſtitutionis. Præterea docet Malachias inſtitutioni Moſaicæ ſemper eſſe adhærendum ergo ſolum ſacrificium carnis & ſanguinis quod inſtituit Moſes eſt ſecundum Dei beneplacitum, non verò ſacrificium panis & vini quod inſtituit Ieſus. *Reſp.* Ut videatur vis totius argumenti, in ſyllogiſmi formam redigendum erit. Qui nunquam fuit neque Princeps (quare vocem נשיא reddant *Principem*, poſtea videbimus) neque ſacerdos, in eum non quadrant verba *Tu es ſacerdos in æternum.* Atqui Ieſus Nazarenus nunquam fuit neque ſacerdos neq; Princeps. Ergo &c. Minorem quam à Chriſtianis negari vident, ſic probat Kimchi: Qui non obtulit carnem & ſanguinem juxta ſacerdotii ritum à Moſe. inſtitutum ille non fuit ſacerdos. Atqui Ieſus hoc nunquam fecit, ergo non fuit ſacerdos. Reſpondent Chriſtiani negando conſequentiam majoris, licet Chriſtus non obtulerit carnem & ſanguinem pecudum juxta ritum ſacerdotii Moſaici, tamen fuit ſacerdos, imò eò magis ſacerdos, quia omnes ſacerdotes legales ejus typi tantum fuerunt. Illi ſacerdotes duntaxat erant, non ſacrificia, Chriſtus ſacerdos & ſacrificium ſimul fuit, quia propriam carnem & ſanguinem Deo patri obtulit veluti victimam pro peccatis humani generis, quod ſacrificium omnibus illis ſacerdotum legalium ſacrificiis fuit adumbratum. Pontificii hâc reſponſione non contenti ei ſuperaddunt, Chriſtum non tantum in cruce carnem ſuam & ſanguinem obtuliſſe pro peccatis ibiq; ſacerdotis officio eſſe defunctum ſed etiam antequam hoc faceret novum N. T. ſacerdotium inſtituiſſe cum cœnæ Dominicę uſum injungeret, quod in eo conſiſtit, ut quemadmodum ſacerdotes V. T. obtulerunt carnem & ſanguinem pecudum, ſic ſacerdotes N. T offerrent carnem & ſanguinem Jeſu Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini. Adeo ut Chriſtus ſacerdotis offi-

cio bis defunctus fuerit, primò in institutione cœnæ, ubi carnem suam & sanguinem Deo Patri obtulit sub speciebus panis & vini, & apostolos suos idem facere jussit, deinde in cruce ubi seipsum visibili modo obtulit, quòd in cœna fecerat modo invisibili sub externa elementorum forma latens. Inter fundamenta autem quibus dogma hoc nititur est locus Psalmi *Tu es sacerdos in æternum juxta ordinem Melchisedeci*, unde concludunt, quia Melchisedeck qui erat sacerdos Dei Excelsi produxit panem & vinum, uti legitur in Genesi, etiam Christus qui sacerdos juxta Melchisedeci ordinem futurus erat, sub speciebus panis & vini offerre debuit & sacerdotium hocce N.T. instituere. Kimchi relictâ in medio verâ, & Catholicâ Christianorum ad argumentum suum responsione, particularem hanc Pontificiorum opinionem arripit contra quam ingenii sui vires experitur, sed nimis oscitanter hoc agit, adversariis suis effugii locum relinquens, nihil enim habet quod ei opponat quàm sacrificiorum legalium perpetuitatem ex intentione institutoris, quam duplici argumento confirmare conatur, primum petit ex verbis hujus *vers. juravit & non pœnitebit* quod Deus dicere non potuisset si in animo habuisset commutare sacrificium carnis & sanguinis in sacrificium panis & vini, sic enim prioris institutionis ipsum pœnituisset. Secundum petit ex dicto Malachiæ. Sed frustra est iste homo; si enim Deus utrumque ab æterno constituit, nimirum sacrificium carnis & sanguinis per aliquot secula stante œconomiâ Ecclesiæ Iudaicæ duraturum, postea per Christum in sacrificium panis & vini commutandum, sanè non pœnituit Deum instituti primi, quando mutatio ista initium sumpsit, imô contra, pœnituisset si non mutasset, quia mutatio erat decreta. Nihil itaque hoc argumento efficit judæus, nisi probet, Deum absolu-

tè decreviſſe, ritus ſacrificiorum legalium nunquam quamdiu mundus ſtabit, mutandos eſſe, quod nunquam probabit, ubi enim dicitur Moſaicas ceremonias duraturas לעולם ibi לעולם non ſignificat in æternum, vel uſque ad finem, ſed indefinitum aliquot annorum ſive ſeculorum tempus prout ſæpe aliàs ſumitur, notat, quod ipſe Kimchi in ספר השרשים agnoſcere cogitur, ubi ad vocem hanc dicit פ׳רושו זמנים ארוכים כי כן בא על ימים רבים קצת העולם האריך *Longum tempus notat, & ſæpe pro diebus multis ſumitur qui ſeculi longi particula ſunt*, quod deinde pluribus exemplis illuſtrat. Locum Malachię quod attinet *Malach.* 4. 4. Nihil ibi de abſolutâ Moſaicorum rituum perpetuitate, ſed injungitur duntaxat legis iſtius obſervatio uſque ad tempora Eliæ ut ipſe Kimchi agnoſcit, modò itaque conſtet quis iſte Elias ſit & de tempore quo ipſum propheta adfuturum prædicit, etiam lis iſta erit deciſa. Supra autem *pag.* 83. demonſtravimus Eliam iſtum fuiſſe Ioannem Baptiſtam, unde concluditur legis ceremonialis obſervationem quæ uſq; ad ipſius adventum duntaxat præcipitur, poſt ipſum fuiſſe abrogandam. Sic itaq; telum Kimchii quo mutationē ſacrificii carnis & ſanguinis in ſacrificium panis & vini, legis Moſaicę perpetuitate eludere ſatagebat, eſt eliſum, proindeque alio medio quàm quod ipſe ſubminiſtrat, erroris ſui in hoc argumento convincendi ſunt pontificii, idque ex ipſo loco cui panis & vini N.T. ſacrificium ſuperſtruitur erit petendum; Primò enim (ut & hoc licet præter ſcopum obiter addamus nam non hic cum pontificiis ſed cum judæis tantum diſputamus) non dicitur in loco Geneſeos Melchiſedechum panem & vinum obtuliſſe ſed ſolummodò produxiſſe (הוציא non הקריב) non ut iſta elementa Deo veluti ſacrificium offerret ſed ut illis defeſſos Abrahami ſervos reficeret. Deinde licet Deo obtulerit, quid hoc ad ſacri-

ficium N. T. cujus ſubjectum non panem & vinum ſed carnem & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini eſſe pertenditur. VII. Quæ applicatio falſa nititur expoſitione, illa quoque falſa eſt, at applicatio verborum illorum *Tu es ſacerdos in æternum juxta ordinem Melchiſedechi* ad Ieſum Nazarenum falsâ nititur expoſitione, ergo falſa eſt, neque ad Nazarenum referenda quæ verbis illis continentur. Minor ſic probatur. Statuunt Chriſtiani vocem כהן hic *ſacerdotem* denotare, & Nazarenum hic dici כהן לעולם *ſacerdotem in æternum* idque juxta ordinem Melchiſedek, jam verò, poſito Nazarenum fuiſſe ſacerdotem (quod antea negatum) falſum eſt ipſum fuiſſe *ſacerdotem in æternum juxta ordinem Melchiſedeci*, vel enim ratione *perſonæ* hoc eſſet, adeò ut ſit æternus ſacerdos ſicut Melchiſedechus fuit, vel ratione *familiæ* adeo ut iſta ſacerdotii æternitas conſiſtat in dignitatis ſacerdotalis per filios & nepotes propagatione, idque juxta ordinem ſeu ſucceſſionem poſterorum Melchiſedeci. At neutrum dici poteſt. Non ratione *perſonæ*, Melchiſedechus enim non fuit ſacerdos in æternum quia mortuus eſt, ergo nec Nazarenus ſacerdos in æternum dici poteſt juxta ipſius ordinem, ſive ad ipſius imitationem, quaſi in hoc tertio convenirent. Non ratione *familiæ*, quia Chriſtianorum ſacerdotes quos Nazarenus inſtituiſſe dicitur non habent ſucceſſionem filii in locum patris ſed eliguntur prout viſum fuerit, ergo Nazareni ſacerdotium non eſt æternum juxta ordinem Melchiſedechi, qui ordo ſiquis fuit, hæreditarius fuit non electivus. Aptior itaque judæis videtur expoſitio *Kimchii* qui de Davide verba Pſaltis intelligens, hoc ſenſu illa reddit אתה כהן *Tu* David *es Princeps* לעולם *in æternum*, id eſt ad multa ſecula per regiæ dignitatis in filios & nepotes tuos propagationem על דברתי *Propterea quod* מלכי צדק *Rex juſtitiæ* tu es

(idem

(idem quod מלך צדק habito jod pro paragogico uti in דברתי.)
VEL *Lipmanni*, qui hoc modo de Abrahamo exponit: אתה כהן *Tu es princeps* לעולם *in æternum* id est in maximâ liberorum & successorum multitudine, quia tibi dictum est; Patrem multitudinis te constitui. על דברתי מלכי צדק *juxta verbum Melchisedechi*, id est prout Melchisedeck, quando (*Gen.* 14.) tibi benedixit, eloquutus est. *Resp.* Quàm benè in Davidem vel Abrahamum hæc verba quadrent mox videbimus, sufficiet nunc illa Messiæ vindicasse & absurditatem quam obtendunt sustulisse. Verissimum est Christum esse sacerdotem לעולם *in æternum*, non ratione *successionis in familiâ* sed ratione *Personæ*, ipsius enim sacerdotium quoad vigorem ejus & efficaciam est æternum, sine principio & sine fine, & sacrificium illud quod ipse Deo patri obtulit, æternæ electionis & hominum servandorum salutis est fundamentum. Si quæratur quomodo hoc etiam in Melchisedecho ad cujus imitationem Christus talis futurus erat verum esse possit? R. Comparatio inter Christum & Melchisedechum non habet ad sacerdotii *æternitatem* sed ejus *dignitatem* duntaxat, ac si dixisset Psaltes, *Sacerdos eris in æternum*, idque non ad modum sacerdotum Leviticorum qui nudi sacerdotes erant, sed longe digniorem, Melchisedeci nimirum, qui Rex & sacerdos simul fuit, sic tu æternus rex es & æternus sacerdos. Aliæ hujus comparationis rationes præter hanc afferuntur in Epistolâ ad Hebræos, quas interpretes ibi exponut. Unde liquet על דברתי appositè reddi non per *Propterea quod* uti Kimchi, neque per *juxta verbum*, uti Lipman, sed per *juxta ordinem*, uti author Epistolæ ad Hebræos, *Hebr.* 6. 20. Nec malè *Aben Esra*, licet cætera ineptus, על כנהג *juxta consuetudinem*, respectu nimirum comparationis quæ inter Christum & Melchisedechum instituitur, quæ anologia

Hebr.

Hebr. 7. 15. indicatur per κατὰ ὁμοιότητα *ſecundum ſimilitudinem*, quo Græcum κατὰ τάξιν & Hebræum על דברתי exponitur, & convincuntur pontificii (ut & hoc obiter addam) qui per τάξιν Romani ſacerdotii (de quo ſupra vidimus (ſucceſſionem qualem in Melchiſedecho fingunt, ſignificari volunt, de qua ſucceſſione ſcriptori Epiſtolæ ad Hebræos, qui hujus comparationis fundamentum accuratè oſtendit, nihil in mentem venit. Et contra hoc imprimis diſputat Kimchi (veram Chriſtianorum ſententiam quam nos hic propoſuimus intactam relinquens) dum ait כי הם אין להם לכהן משפחה אלא כל הבא ימלא את ידו *Non habent ſacerdotes eorum familiam* (hæreditariam ſucceſſionem) *ſed qui advenerit, manum ſuam implebit* 1. *Reg.* 13. 33. Id eſt, eligitur. Quia nimirum Pontificii per τάξιν ſive ordinem, longam ſacerdotum N. T. panem & vinum vel potius corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini conſecrantium ſeriem intelligunt, & in hoc tertio comparationem inter Chriſti & Melchiſechi ſacerdotium conſtituunt; eludit Kimchi iſtam comparationem eo quod dicit ſacerdotibus ordinis Melchiſedechiani procul dubio fuiſſe familiam, id eſt, hæreditariam ſucceſſionem ad inſtar ſacerdotii levitici, in Romano vero ſacerdotio à Nazareno (uti volunt) inſtituto familiæ rationem non haberi ac proinde propter ordinum iſtorum diſſimilitudinem comparationem eſſe ineptam. Videant pontificii quomodo cauſam ſuam tueantur qui licet fortè eludere poſſint quæ Kimchi ipſis opponit, fruſtra tamen, uti ſupra oſtendimus, ſacerdotium ſuum analogiâ illâ quæ eſt inter Chriſtum & Melchiſedechum confirmare conantur. Nos τάξιν hanc non in ſacerdotum ſerie (quam nullam nec in Chriſto nec in Melchiſedecho agnoſcimus) ſed in perſonarum collatione, quam author Epiſtolæ ad Hebr. inſtituit, conſiſtere affirmavimus. VIII. Nazarenus nullos

los *in die iræ ſuæ reges confregit*, *verſ.* 5. nulla certamina iniit, nihil *cadaveribus implevit*, *nulla capita contrivit v.* 6. neque hominum deſtructorem ſed animarum ſervatorem ipſum eſſe ſtatuunt Chriſtiani, ergo ad eum non pertinent quæ hic dicuntur. *Reſp.* Lapis offendiculi, in quem ſtolidi iſti homines perpetuò impingunt, eſt quod quicquid Chriſtus 34. illis annis quibus inter mortales vixit ad literam nō implevit, id de eo dici nō poſſe, quaſi jam non amplius ſit in rerum natura, neque regnum ſpirituale obtineat in quo indies adimpleat, & imprimis in die Iudicii ſui adimpleturus ſit, quicquid prophetæ de regno ipſius prædixerunt. Si ad literam præſtitiſſet quæ in fine hujus pſalmi dicuntur, quomodo quæſo illuſtre vaticinium Eſai. 53. ubi Meſſiæ ſtatus humilis & perpeſſiones deſcribuntur, in ipſum competeret? Et falſum eſt Chriſtianos talem agnoſcere animarum ſervatorem qui non ſimul hoſtium Eccleſiæ ſuæ judex ſit & cauſæ ſuæ vindex. Quomodo autem capita regum confringat, Herodes *Actor.* 12. 23. & infiniti hoſtes qui gloriam Filii Dei temere oppugnarunt cum æterno animarum ſuarum diſpendio ſunt experti, & indies experiuntur. Ridiculi itaque ſunt homines iſti quod literam vexent, & ad certum aliquod temporis intervallum, ea quæ de univerſali & æterno Meſſiæ regno more prophetico, id eſt figuratis locutionibus prædicta ſunt, reſtringant. IX. Nazarenus non *ſuſtulit caput ſuum*, ergo ad eum non ſpectat quod dicitur *verſ.* 7. *Reſp.* Hic Chriſti reſurrectionem negat, & hæc judaicę incredulitatis cauſa pręcipua eſt, ſi enim Chriſtum à mortuis reſuſcitatum crederent, erroris ſui eſſent convicti, ipſumque æternum eſſe regem credere cogerentur. Quapropter obſtinatè perſiſtunt in errore, quem ſacerdotes & ſeniores tempore reſurrectionis Chriſti ſpargere juſſerunt milites ſepulchri cuſtodes

pecunia corruptos ut dicerent, ipſum non eſſe reſuſcitatum ſed diſcipulos ipſius corpus de nocte furatos eſſe, *Matth.* 28. 12. ubi additur *& divulgatus eſt ille ſermo apud Iudæos uſque ad hodiernum diem.* Non magis itaque neceſſe eſt hiſtoricæ fidei veritatem demonſtrare Iudæo, quam neceſſe eſt ſplendorem Solis demonſtrare homini cęco qui rabie & furiis agitatus lumine corporali ſe ſponte privavit, ne ſplendor iſte oculos perſtringeret, ſed ſicut cæci, licet mente capti cœleſte illud lumen negent, radiantis tamen aſtri calorem ſentire coguntur, ſic induratus & occæcatus Iudæus, licet Chriſti reſurrectionem neget, Chriſti tamen reſuſcitati manum vindicem & Iudaicæ genti gravem, æterno ſuo opprobrio & exillo experiri cogitur. Hactenus argumenta Iudæorum [illegible]. Diximus illos in theſi hoc vaticinium referre, alios ad Davidem, alios ad Abrahamum, alios ad alium quendam, non enim inter ſe conveniunt, quod oſtendit quam lubrico fundamento nitantur, cum nihil habeant ubi pedem certò figant. Pluribus autem rationibus ex locis parallelis & fidei analogiâ petitis ad refellendam judæorum expoſitionem non utar, quę ſupra dicta ſunt ſufficiant homini Chriſtiano. Paucas tamen & præcipuas ex hoc ipſo Pſalmo eductas delibare animus eſt, quibus evincam nec ad Davidem nec ad Abrahamum nec ad alium præter Meſſiam vaticinium hoc pertinere. *Prima.* Titulus Pſalmi מזמור לדוד *Pſalmus Davidis*, id eſt à Davide compoſitus & decantatus. Unde refelluntur *Eben Eſra & Kimchi*, qui dicunt, pſalmum hunc eſſe compoſitum à quodam ex cantoribus in laudem Davidis, & ל in לדוד non eſſe notam Genitivi ſed Dativi caſus, vel eſſe pro בעבור *propter*, q.d. *Pſalmus Davidi*, vel *propter Davidem* compoſitus. Sed cum in aliis titulis ubi extat מזמור לדוד *Pſalmus Davidis*, ſemper agnoſcant ל notam genitivi & Davidem

Pſal-

Pſalmi authorem, quis non videt in hoc titulo detortam illam expoſitionem malitiosè quæſitã eſſe ad declinandũ telum quo ſe à Chriſtianis peti vident. Nõ eſt hoc indulgendum hominibus illis ut pro lubitu ſuo exponant ſcripturas,& notiſſimã phraſin ad aliũ detorqueant ſenſum, ubi communẽ & obvium perverſæ ſuæ fidei obſtare viderint. Allegat quidẽ *Aben Eſra* pſal. vigeſimũ, ubi cantorẽ Davidi dicentem introducit יענך יהוה *Reſpondebit tibi Deus* &c. quaſi cantor Pſalmi author omnia fauſta regi precaretur. Sed hic iterum à communi expoſitionis formulâ recedit, titulus enim Pſalmi eſt למנצח מזמור לדוד *Præcentori Pſalmus Davidis*, ideſt Pſalmus à Davide compoſitus præcentori traditus,ad illum populo præcinendum, quę expoſitio communis eſt,quod autem verba ore alterius Davidẽ alloquentis concepta videantur,nõ impedit quo minus Pſalmus à Davide compoſitus dicatur, docet enim non ſuos tantum ſed & omnes alios pios & fideles ſubditos quomodo preces ſuas & pia vota pro regibus & magiſtratibus ſuis concipere debeant. Non pertinet itaq; Pſ. CX. ad Davidem, quia ipſe David in laudem alterius illum compoſuit. Nec dici poteſt illum in laudem Abrahami à Davide compoſitum eſſe,hoc enim refutat ipſe *Aben Eſra* qui ex verbis *v.* 2. *Sceptrum roboris tui mittet Deus ex Tzione*, probat pſalmum iſtum ad Abrahamum referri non poſſe. *Secunda* eaque præcipua. *Verſ.* 4. vocatur כהן *ſacerdos*, ille de quo ſermo eſt, ſed David nõ fuit ſacerdos & licet Abraham Deo victimas offerens ſacerdotis munere defunctus fuerit,attamẽ ut res ſuas in tuto habeant, unanimi conſenſu cœtera perpetuò diſcordes tradũt vocem כהן hic non ſignificare *ſacerdotem* ſed *Principem*,non enim aliud medium vident quo telum hoc elidant. *Reſp.* 1. Cum communiter per totam ſcripturam vox כהן notet *ſacerdotem*, quis nõ videt illam hic malitiosè ad ſignifica-

tionem *Principis* esse detortam? An ergo tenebrionibus illis concedere cogimur, ut ludant S. Scripturâ? Nos itaque potiori jure hic defendimus significationem *sacerdotis*, quam illi *principis*, quia nostra communis est, ipsorum non item, & probandum prius foret *principis* notationem hic potius habere locum quam *sacerdotis*, si à communi significatione desistendi necessitatem nobis imponere velint. 2. Futile est istud effugium, licet enim nomen כהן alicubi *Principem* denotare possit, & ab interpretibus Chaldæis aliquando sic sumptum fuerit, quæritur quo sensu, quâ occasione & quo jure illud fuerit factum. Negámus כהן *absolutè & propriè* denotare *Principem*, שר enim sive נשיא est *Princeps* non כהן. Quando verò interpretes alicubi reddunt כהן *Principem*, non habetur ratio proprietatis vocis sed tantū dignitatis personę, & translatio vocis est impropria. Sępe enim contigit ut כהן *sacerdos* aliquis muneri sacerdotali dignitatem aliquam politicam haberet annexam. Sic Iethro socer Mosis vocatur *Exod.* 18. 1. כהן מדין Alii reddunt *Præses Midian*, alii *Sacerdos Midian*, propria & proxima denotatio est *sacerdos Midian*, sacerdotio enim fungebatur apud Midianitas, & ob dignitatem muneris istius populus ipsum etiam pro præside & principe suo agnoscebat, adeò ut dignitas politica isti muneri fuerit annexa. Hoc disco à Kimchio in *libro radicum* ubi ait היו כהנים עובדי השם וראשי העם *Erant sacerdotes illi servi Numinis & principes Populi*: Postea addit וכן עובד ע"ז כמו כהן מדין *Etiam* כהן *sacerdos erat qui serviebat idolis*, *juxta illud*, *Sacerdos Midian* sc. erat Iethro. Dicebantur itaque sacerdotes isti Principes, quod populus ob muneris sacerdotalis dignitatem eos etiam pro Principibus suis agnosceret, prout sub templo secundo summi sacerdotes Levitici ob muneris dignitatem etiam Principatum in populo Iudaico obtinebant, & hodie

Ro-

Romanus pontifex & Episcopi idem jus sibi arrogant. Licebat enim sacerdoti esse principem populi, sed non principi esse sacerdotem, vel munere sacerdotali defungi qui non esset ordinis Levitici. Et hinc orta est impropria nominis כהן significatio, quia nimirum כהנים *sacerdotes* subinde pro principibus habebantur adeo ut duplex munus Ecclesiasticum & politicum obirent simul, qualis fuit Melchisedechus, contigit ut improprie & abusivè etiam aliquando כהנים dicerentur qui politici duntaxat erant & nullum munus habebant in Ecclesiâ. Pauca tamen impropriæ hujus denotationis exempla occurrunt in S. Scripturâ, primarium est illud 2. *Sam.* 8. 18. ubi filii Davidis vocantur כהנים, *Principes aulici*, id est *primarii ad manum regis* uti exponitur 1. *Chron.* 18. 17. certò autem constat illos non fuisse sacerdotes quia non erant de tribu Levi. Sic etiam videtur nomen illud sumi 2. *Sam.*20.26. *Hira Iairites* erat כהן לדוד *Princeps aulicus Davidis.* Addamus & hoc, si כהן *propriè & per se* æquè principem quam sacerdotem denotaret, verbum quoque inde ortum (vel si mavis dicere nomen esse à verbo) כהן *in pihel, sacerdotio fungi*, etiam *principatu fungi* & כהנה *sacerdotium*, etiam *Principatum* significare posset, at hoc alienū est ab usu radicis in sacrâ scripturâ. Hac facta demonstratione quæro jā à judęo, quâ conscientiâ, quave fronte nomen cujus propria significatio est *sacerdos*, quod non nisi abusivè & per accidens notat principem' idq; non nisi paucis in locis quod ex locorum circumstàntiis tantummodò colligitur, hoc in loco ubi nulla necessitas præter obfirmatum judæi animum id exigit, reddere audeat per *principem* propriâ ejus denotatione neglectà ? 3. Ipsa comparatio quæ instituitur ostendit, nomen hoc hic non denotare principem sed sacerdotem, ille enim qui comparatur vocatur כהן, ille cum quo comparatur, Melchi-

ſedeeh nimirum vocatur כהן *Gen.* 14. 18. Non quodvis & fundamentum comparationis conſiſtat in iſto nomine, ſed quod ipſa judæorum & ſpeciatim Kimchii in libro radicum confeſſione liquet, quando Melchiſedech vocatur כהן לאל עליון ibi כהן ſignificare ſacerdotem: nec aliter eſſe poteſt quia additur ipſum numen cui ſervivit, ac proinde exponi nequit *Princeps Dei excelſi*, ſed *ſacerdos Dei excelſi.* Cum itaque ipſi Iudæi (licet non omnes) hæc duo loca inter ſe conferant, nulla cauſa eſt quare nomen כהן apud pſaltem ſumatur aliter quam in geneſi ubi de Melchiſedecho agitur ſumptum eſt. 4. Cuinam quæſo fiet veriſimile, ſi mens pſaltis fuiſſet, illum de quo loquebatur vocare *Principem*, ipſum uti voluiſſe nomine omnium non tantum maximè improprio ſed etiam viliſſimo, præſertim ubi de principe ſupremo agitur, qui ſedeat ad dexteram Dei, cujus ſceptrum ſit ex Tzione, qui capita regum confringat, & quæ ſunt plura magnifica ſanè quæ de ipſo prædicantur, an talis vocabitur כהן nomine viliſſimo? viliſſimo dico, nullum enim nomen eſt quod vilius *Principem* notet; nam כהנים in hoc ſignificato ſunt Principes aulici, regum ſubditi, utpote qui ad *manum eorum ſunt*, uti ſupra vidimus, & ipſis à conſiliis. Neque dicere audebunt, כהן etiam Principem ſupremum & caput populi ſignificare poſſe, ſicut lethro כהן Princeps & caput populi fuit, ſic enim cauſâ ſuâ caderent, quandoquidem ubi talis ſupremus Princeps vocatur כהן principatum ſuum debet ſacerdotio ſuo, eſt enim ſacerdos & Princeps ſimul, & quia ſacerdos eſt ſummam hoc ipſi authoritatem conciliat in republicâ, & ſic princeps eſt quia כהן eſt, & כהן princeps eſt, non quod vox propriè denotet principem, ſed quod qui כהן eſt unà cum digniſſimo ſacerdotali munere, etiam potiatur imperio in populum. Si talem Principem hic per כהן intelligere

ve-

velint Iudæi, qui ſimul ſit ſacerdos & princeps, & qui ummum ſuum Principatum debeat dignitati ſui ſacerdotii, quomodo jam hoc quadrabit in Davidem qui talis Princeps nunquam fuit? Nulla itaque alia eſt ratio quod Pſalres illum de quo loquitur vocet כהן quam quia illum confert cum ſacerdote Dei excelſi qui erat Melchiſedech, unde inferimus ipſum in animo habuiſſe ſacerdotis & non principis epitheton illi tribuere. Hæc autem dicuntur homini judæo non verò Chriſtiano, huic enim ſufficit authoritas ſcriptoris Epiſtolæ ad Hebræos qui כהן לעולם reddit per ἀρχιερέα εἰς τὸν αἰῶνα. Hebr.6. 20. Liceat ergo verba Kimchii quibus hanc controverſiam abſolvit retorquere in judæos יפקחו עורים את עיניהם ויאמרו אך שקר נחלו רבותינו *Aperiant oculos ſuos cæci, ac dicant, falſum poſſidebant Rabbini noſtri.*

(5) Locum *Zach.* 14.3. quod attinet, ſupra *pag.* 74. totius contextus hujus & præcedentis capitis connexionem vidimus, & ſcopum prophetæ expoſuimus, unde conſtabit quemadmodum gentium vocatio & ſtatus Eccleſiæ Ieſu Chriſti N. T. perpetuis typis & figurato ſermone ibi adumbrantur, (omnia enim illa ad literam eſſe ſumenda nemo judæorum uſque adeo ſtupidus & carnis ſenſui addictus eſt qui ſtatuat) ſic quoq; hoc verſu eod. dicendi genere per gentes (ut ſæpius alibi) hoſtes Eccleſiæ intelligi, & per Dei conflictum cum gentibus non unicum aliquem illuſtrem externum & viſibilem Dei actum ſed univerſalem hoſtium iſtorum exſtirpationem toto illo tempore continuandam quo Eccleſiæ (quæ etiã ſub Hieroſolymorum typo plurimis in locis nobis exhibetur) ſub vexillo Ieſu Chriſti ſervatoris ſui in hiſce terris erit militandum. Adeò ut fruſtra ad extremam illam pugnam ſub Meſſia ben David, de qua noſter Rabbi loquitur verba hęc referantur. Interim non uſque adeò omnia

mnia in hoc vaticinio figurata sunt & tropica quin etiam nonnulla historica admixta esse Iudęis concedamus quę ad literam sunt intelligenda, versus enim secundus imprimis est historicus, sed hoc causę ipsorum plus officit quam prodest. Sic ibi loquitur propheta, *Recipiam omnes gentes contra Ieroſolymam ad bellum, & capietur civitas diripienturque domus & fœminæ comprimentur, & exeunte parte civitatis in deportationem, reſiduum populi non exſcindetur à civitate.* Non debent ista trahi ad bella Gog & Magog nec ad Armillum quem post mortem Messiæ ben Ioseph Hierosolymam forte occupaturum somniant Iudæi, cum jam in excidio templi secuudi omnia hęc ad amussim adimpleta esse constet, mediaenim civitatis pars in captivitatem à Romanis est abducta, aliquot etiam centena millia fame & peste interierunt. Dubium aliquod nascitur ex verbis *reſiduum populi non exſcindetur à civitate*, cum ex historia Iosephi constet, in ultimo excidio Hierosolymitano totam urbem esse eversam, incolas omnes vel interiisse vel in captivitatē abductos, adeo ut nihil ibi fuerit residui quod non fuerit excisum. Dubium hoc nonnullos induxit ut statuerent vaticinium hoc ad tempora Antiochi Epiphanis potius esse referendum, adeò ut etiam magis ad literam illa quæ vers. 3. sequentur sumi possint. Alii quidem de ultimo excidio hæc dicta esse volunt, sed solutionem quærunt in verbis לא יכרת מן העיר *Non exſcindetur ex urbe.* q. d. altera pars non deportabitur ex urbe in captivatem quia in ipsâ urbe fame & peste peribit sed hoc à phrasi Hebræa est alienius. Quid necesse est tam anxiè ac literam ista sumere? Excidium interminatur propheta urbi Hierosolymæ, quod quidem licet universale sit futurum quoad externum reipublicæ statum, nonnihil tamen residui Israëli spirituali promittit. & quidem ex ipsa Hierosoly-

ma

ma oriundum: conſtat enim Chriſtianos ex judæis ante obſidionem urbis Pellam & ad alias Agrippę ditiones profugiſſe ibique ab interitu fuiſſe ſervatos, Sic Deus ex Hieroſolymę carnalis reliquiis novam ſed ſpiritualē Hieroſolymam propediem per introitum gentium (de quarū vocatione Propheta figuratè agit in ſequentibus)mirificè amplificandam exſtruxit. Huic reſiduo divinam gratiam *c. præced. v. 7.* pollicetur propheta,*reducam manum meam ad parvulos* recolligendos ſc. & in multitudinem propagandos poſt cædem magni illius Paſtoris de quo verſu eodem loquitur,vide ſupra *p.* 74. Iidem illi ſunt qui *verſ.* 9. ejuſd. cap. vocantur tertia illa pars, *quæ in ignem inducenda & conflanda* dicitur &c. cui Deus dicturus erat *populus meus es*, & illa viciſſim, *Dominus eſt Deus meus*. Ex hâc collatione liquidò conſtat totum utriuſque capitis contextum pertinere ad initia novi teſtamenti & *partem illam reſiduam* eſſe primitias Eccleſiæ Chriſtianæ ex judæis, cujus hoſtes *verſ.* 3. *cap.* 14 eo quo antea expoſitum modo, dicuntur exſtirpandi, & cui inde uſque ad finem capitis & libri magnificum ex gentibus incrementum ſtylo prophetico, id eſt,figurata locutione promittitur.

(6) Allegatio loci Ezechielis ad confirmationem ejus quod dicit, nititur communi judæorum opinione de bello Gog & Magog, de quo propheta in præcedentibus & ſequentibus prolixè agit, quod ad finem mundi & Meſſiæ tempora remittunt, ſed de eo commodior dicendi dabitur occaſio in ſecunda parte hujus libri primi. Prętер quæſtionem de tempore iſtius belli, errat hic errorem ſuum rabbinis familiarem, quod nimis ad literam urgeat verba prophetæ ubi de immiſſione ignis & ſulphuris loquitur, quæ locutio inopinata Dei judicia impiis immittenda figuratè ſignificat,ut in *Pſ.* 11. 6. & aliis locis parallelis videre eſt.

(7) In loco *Obad.* 1. 18. commentum Iudaicum, quod Rabbino vaticinium hoc ineptè citandi occasionem dedit, est notandum, & eadem operâ examinandum. Supra obiter monuimus Per Domum *Esau* sive *Edom* & *Idumæos*, Iudæos intelligere imperium Romanum & Christianos; videamus hic quo jure illud fiat. Multa nugatur *Abarbenel* in prophetiam Obadiæ, quæ cum unica tantum sit, nihilque præter horrenda Dei judicia Domui Edom propter summam ejus arrogantiam imminentia contineat, ille omnia ista in Christianos & Romam dicta, & in adventu Messiæ Ben David adimplenda esse ominatur. Nisi itaque *Edom* sit *Roma*, ineptus est hic noster quod ad fidem fabellæ suæ conciliandam loco hoc abutatur, everso enim fundamento totum ædificium collabitur. Sed ut perspicui simus, exponamus quid & ubi sit Edom, antequam judæorum placita & argumentorum robur in medium adferamus. *Edom* est cognomen Esavi fatris Jacobi, quod ipsi inditum fuit ob jusculum rubrum à fratre coctum, cui ex agro fessus rediens vehementer inhiabat, usque adeo ut pro jusculo jus primogenituræ suæ ipsi venderet, unde nomen *Edom* quod rufum notat est sortitus, *Gen.* 25. 30. & posteri ipsius dicti sunt *Idumæi.* Habitabat autem Esau in terrâ Canaan terrâ peregrinationis patris sui Isaci, duxeratque uxores Cananeas *Adam* sc. filiam *Elon Hetthæi*, & *Aholibamam* filiam *Zibeon Hevitæ Gen.* 36. 2. ex posteris Chami, cum autem frater ipsius ex Mesopotamiâ redux esset, & utriusque posteritas in multitudinem excresceret, adeò ut una terra eos non ferret, migravit inde Esau cum familiis suis *Gen.* 36. 6. sedesque suas fixit in terrâ cognationis uxoris suæ Aholibamæ in Montanis *Sëir Gen.* 36. 8. Erat enim Aholibama filia Zibeon Hevitæ, ut jam dictum ex *Gen.* 36. 2. qui Zibeon Hevita *vers.* 20. ejusd. *cap.* voca-

tus

tur Filius Sëir *Horitæ*, unde liquet *Hevi* & *Hori* eundem virum denotare cum poſteri Hevi (qui erat nepos Chami *Gen.* 10. 17.) videantur vocari non tantum Hevitę ſed & Horitæ, ex collatione *v.* 2. cum 20. citati capitis: aliàs ex poſteris Chami nemo reperitur cui nomen fuerit Hori. Ex poſteris itaque Hevi, ſive Hori fuit Seir (cujus filii Zibeonis filiam ſeu neptem duxerat Eſau) qui primus occupavit terram Seir ſitam ad plagam meridionalem terræ Canaan prope mare mortuum, in via quâ Iſraëlitis ex Ægypto venientibus per deſertum Zin ad poſſidendam terram promiſſionis tranſeundum erat. Nuncupata autem fuit iſta regio à primo ejus incola *Sëir*, donec ab Eſavi poſteris, qui eam tempore quo Iſraelitæ hærebant in Ægypto, pulſis inde Horitis *Deut.* 2. 12. occuparunt, vocaretur terra Edom ſive Idumea. Montes tamen Edom perpetuò nomen *Seir* retinuerunt, licet nonnulli exiſtiment illos ab Eſavo dici Seir nomine appellativo quod tamen in proprium degeneraverit, cognomento ſc. Eſavi, quaſi montes *hirſuti* dicas, legitur enim de Eſavo quod cum ex utero matris prodiret, ipſius cutem fuiſſe כאדרת שער *inſtar togæ villoſæ*, *Gen.* 25. 25. Sed his me non torqueo, vide *Cl. Mercerum in Gen. Et Exercit*: 114. *Cl. Riveti*, *in cap.* 36. Ubi & alia ſolvuntur dubia circa Eſavi migrationem & genealogiam, quæ jam ſcopum noſtrum non tangunt. Dederat itaque Deus poſteris Eſavi terram Sëir in poſſeſſionem, caveratque ne Iſraelitæ bellum ipſis inferrent, cum ne quidem *veſtigium plantæ pedis* regionis iſtius quam fratri Eſavo in ſolidum conceſſerat, Iacobi poſteris daturus eſſet *Deut.* 12. 5. Sed illâc in terram promiſſionis tranſeuntibus ab Idumæis tranſeundi venia erat petenda *Num.* 20. 17. quâ negatâ *verſ.* 18. 20. via alia difficili & moleſta per deſertum terram Edom circumire neceſſe habuerunt *Num.* 21. 4. Unde de-

inceps perpetuæ rixę & ſimultates inter Iſraëlitas & Idumæos ſunt obortæ, his ſummâ invidiâ contra illos flagrantibus, ipſorum calamitati inſultantibus, Cananæis ipſorum hoſtibus, Aſſyriis item & Babyloniis rempublicam Iſraeliticam deſtructuris & Hieroſolymam vaſtaturis ſemper faventibus, etiam auxilia ubi opus eſſet ſubminiſtrantibus. Quod fatale odium inter duas iſtas gentes variis ſcripturæ locis deſcribitur. Hinc tot ſanctorum Prophetarum de injuriis ab Idumæis Iſraëli illatis querelæ, vid. *Ez.* 25 12. *Amos* 1.11. &c. Hinc tot contra Edom vaticinia & imprecationes quibus ultio Divina ipſis prædicitur & expetitur. Notanda imprimis verba Pſaltis *Pſ.* 137 7. *Recordare Deus, contra Edomæos diei Hieroſolymorum, qui dicebant, nudate, nudate, quamtiſper fundamentum erit in eâ.* Sententia itaque Iudæorum de *Edom* & *Idumæis* ad hæc duo ſumma capita revocatur. I. *Poſteros* Eſavi *poſterorum* Jacobi *inde ab utriuſque natalibus & domeſtico diſſidio* (de quo *Gen.* 27.) *uſque ad finem mundi juratos hoſtes, ab initio quidem fuiſſe gentem exiguam, Montana Seir & adjacentem regionem ad latus terræ Canaan inhabitaſſe, & quamdiu Iſraelitæ ſummo omnibuſque gentibus formïdabili imperio potirentur in terrâ Canaan, facilè intra limites ſuos fuiſſe coercitam. Poſtmodum verò* 12. *tribuum potentiſſimâ republicâ per Aſſyrios & Babylonios deſtructa, mirum incrementum ſumſiſſe, dominationem ſuam in occidentem extendiſſe, Colonias ſuas longè lateque dilataſſe, Italiam ſibi ſubjeciſſe, Romam & Romanum imperium fundaſſe, tandem Rempublicam judaicam captivitate Babylonica finita reſtauratam per Titum Veſpaſianum deſtructo templo ſecundo funditus evertiſſe, hodieq; religionem Ieſu Nazareni (quā illa omnium gentium prima eſt amplexa) profitentes rerum per totā Europam potiri*, Eſavo *fratrem ſuum* Jacobum (*ſaltem quoad tribum judæ*) *captivum detinente donec Meſſias ipſius Ben David*

vid appareat. II. *Prophetarum vaticinia contra* Eſau, Edom, Seir, & civitates Edom, E*ſaiæ imprimis*, *Ieremiæ & Obadiæ, complementum ſuum nondum plenè ſortita eſſe, licet enim particularia quædam Dei judicia propter injurias diverſis temporum intervallis Iſraëli illatas Domus Eſau ſit experta, extremum tamen exitium idque propter ultimam illam ſummam injuriam templi ſc. ſecundi per Titum vaſtitionem, & judæorum in captivitatem in quâ etiamnum cum maximo opprobrio detinentur, abductionem, ipſi adhuc imminere, tempore Meſſiæ executioni mandandum & hoc à prophetis prædici quoties contra Domum Eſau, Civitates Edom, Montana Seir (quæ omnia Romam & Chriſtianos ſpectant) graviſſima & extrema quæque pronunciant.* Ecce tibi ſententiam ſeu potius ſomnium judæorum, quod *R. Iſaac Abarbenel* in comment. ad varia prophetarum vaticinia multis defendere conatur, contra quem prolixam admodum diſputationem inſtituit *Georgius Konig Eccleſiaſtes & S. Theol. profeſſor Altdorphinus*, quam qui habet adire poterit. Nos paucis tantum ipſius argumenta quibus abſurda iſta probare conatur, delibabimus. Ad *primi capitis* κατασκευὴν rationes nullas affert pręter Doctorum ſuorum talmudicorum authoritatē quam nobis obtrudit docetq; antiquam traditionem eſſe, Romanos deſcendere à duce *Magdiel* uno ex ducibus Eſavi 1. *Chron.* 1. 54. quam aliquot ſapientum placitis ex talmude petitis confirmat, qui verba benedictionis Iſaci quâ Eſavo filio benedixit *ecce terra pinguiſſima erit habitaculum tuum Gen.* 27. 39. de Italia exponunt. Sed nos authoritati ſapientum talmudicorum non multum deferimus, qui vix quicquam præter vaniſſimas nugas. Rationes petimus, quæ quærendæ erunt in parte ἀνασκευαστικῇ quam pro ſententiâ ſuâ contra *Paulum Burgenſem* Epiſcopum ex judæo Chriſtianum adornat Abarbenel, quem tribus rationibus illam oppu-

gnantem introducit quas refutandas assumit. Videamus successum. Sic dicit Burgensem argumèntari: Si *Edom* esset *Roma*, & *Edomæi* essent *Christiani*, vel sic esset ratione *loci*, vel ratione *gentis*, vel ratione *religionis*. Non ratione *loci* quia maxima distantia est inter *Idumeam* & *Italiam*, inter *Seir* & *Romam*, hæc est in occidente, illa in oriente Palestinæ vicina, ut docet scriptura. Non ratione *gentis*, quia *Idumæi* sunt posteri Esavi fratris Iacobi à *Semo* oriundi, *Romani* autem & *Itali* ortum ducunt ex generationibus *Iapheti*, & speciatim ipsius nepotis *Cittim*, quem istam plagam occupasse sententia communis est, authoritate *Onkelos* paraphrastæ confirmata. Non ratione *religionis*, Edomæi enim abominationibus Cananæorum semper adhęserunt, quos Romani & Christiani nunquam sunt imitati. Ergo *Roma* non est *Edom*. *Contra hæc omnia in genere triplici modo causæ suæ patrocinatur Abarbenel ad Esai. 34. concessivè, demonstrativè, & comparativè.* 1. Per concessionē. *Licet ob maxima temporum intervalla nulla amplius Chronica supersint quibus cōtinuus iste successionis ordo quo Edomitæ incoluerunt Romam & Italiam pro certo demonstrari possit non tamen ideo vetustissima sapientum traditio quæ statuit Romanos esse Idumæos, mendacii insimulanda est. De Roma enim ipse* Isodorus *scriptor antiquus & magni nominis apud Christianos, scribit prosapiam gentis ejus utrum à Trojanis aut viris Evandri, aut viris Romuli illa sit, nesciri, unde concludit verba historicorum antiquorum falsi arguenda non esse in illis quæ de origine populorum dicunt, si hi ab illis discrepent. Si falsi non sunt arguendi scriptores qui de populorum originibus scripserunt licet discrepantes, quia nulla alia extant monumenta quibus convinci possint; quare falsi argueretur vetus illa græviſsimorum sapientum traditio Romanos esse Idumæos, etiamsi in hoc ab aliis discrepet, quis enim contrarium demonstrare poterit? Et licet ab initio Italiæ in-*

colæ

colæ fuerint posteri Iavan ex generationibus Iapheti, quid impedit quominus dicatur, postmodum Edomeos descendisse, eamque incoluisse, quare hoc non æquè verum esse possit, quàm illud quod Salustius dicit de Trojanis, Virgilius de viris Evandri, alii de viris Romuli, qui Romam occupaverint? Nulla est ratio ut rectè statuit Isodorus, quare uni magis detrahatur fides quàm alii. II. Per Demonstrationem, quæ octuplex. PRIMA. *Scribit* Ioseph Ben Gorion. *Cum Ioseph Patriarcha ex Ægypto cum magno Ægyptiorum & Israelitarum exercitu ad sepeliendum patrem suum Iacobum in terram Canaan proficisceretur*, Gen. 50. *ei in viâ occurrisse duces Esavi transitum negantes. Iosephum autem cum suis prælio prævaluisse, & captivum in Ægyptum abduxisse unum ex principibus Edom* Zephonem *sc. filium Eliphasi, nepotem* Esavi Gen. 36.15. *Hunc Zephonem deinde, postquam fugâ ex potestate Ægyptiorum evasisset, venisse in Africam ad Annium regem Carthaginis, & ab eo magnis honoribus affectum, ducem exercitus, qui contra Italiæ populos Africanorum tum temporis hostes, mittebatur, fuisse constitutum. Sed paulò post plurimorum animis sibi divinctis, ad Italos commodâ occasione arreptâ, cum suis transfugisse, Annio, cujus militiæ dux antea fuerat, bellum intulisse, ac tam fortiter se gessisse, ut Carthaginensium copiis ex Italiâ profligatis & filiis Tubal qui habitabant in Pisa subactis, summam Italorum benevolentiam sibi conciliaverit, eorumque Rex fuerit salutatus, qui tantæ fortitudinis specimine in homine isto conspectis, nomen ejus* Zepho *in nomen* Iani *id est* Saturni, *qui ipsis* Ianus *dicitur commutaverint, quod stellæ ejus influxum ipsi inesse crederent. Hunc itaque* Zephonem *esse* Janum *illum, qui in Romanorum Chronicis primus & antiquissimus Italiæ rex statuitur, qui deorum & hominum pater vocatur. Hunc Genuæ & Palermam urbes condidisse & 50. an. regnasse in Campaniâ. Ex hujus posteris fuisse ducem* Magdiel, *qui primus tractum Romanum antequam*

veni-

veniret Romulus, habitaverit. Hæc ex Gorionide, unde Abarbenel colligit *dubium non esse, quin numerosa Edomæorum turba intelligens regem ex gente sua oriundum rerum potiri in Italia, illicò ad istas quoque oras confluxerit, sedesque suas longè latèque extenderit adeò ut & Roma abipsis condita fuerit.* SECUNDA à tempore petitur. *Constat ex ipsa Christianorum Chronologiâ janum ex Græcia in Italiam venisse* 1500. *annis antequam nasceretur Christus: Collato autem hoc calculo cum historia patriarcharum, invenietur annum* 1500. *ante Christum natum incidere in annum sextum post sepulturam Iacobi patriarchæ. Hinc conciliatur fides Gorionidi, si enim ipso sepulturæ anno Zepho cum Iosepho patrem sepeliente manus conserens captus & in Ægyptum abductus fuerit, indeque fugâ se proripiens per quinquennium circiter in Africa apud regem Annium hæserit, antequam in Italiam venerit, liquidò constat hunc* Zephonem *esse* janum *illum qui juxta historiam Romanorum Italicum regnum condidit, idque* 1500. *ante Christum natum annis juxta Chronologiam Christianorum.* TERTIA *à Nomine regis Latini unius ex jani successoribus, quod valde affine est nomini* Lotan *qui fuit ex ducibus Edom* Gen. 36. 20. *Unde nomen* Latini *videtur esse mutuatum, quem idcircò ex Edomæis fuisse probabiliter evincitur.* QUARTA *à* Chaldæo interprete ad Thren. 4. 21. שישי ושמח בת אדום Gaude & lætare filia Edom, *quæ verba Chaldæus exponit de Roma in Italia, & Constantinopoli in Armenia à Constantino Idumeo condita, utramque dicit repletam esse populis de Filiis Edom.* QUINTA à casu simili. *Scribit Josephus filios Tubal habitasse Pisam oppidum Italiæ, è filiis Tiraſi aliquos contendisse in Angliam, & aliquos è filiis Tarsisch habitasse Tuscanam, quid ergo impedit quominus dicatur posteros Esau similiter descendisse in Italiam & Romam condidisse?* SEXTA à verbis Gen. 36. 34. אלוף מגדיאל אלוף עירם Dux Magdiel,

dux

dux urbis eorum *id eſt Romæ juxta expoſitionem ſapientum in* Pirke Eleeſer *tradentium, Deum dediſſe Eſavo in compenſationem quod ceſſiſſet Iacobo Fratri* Gen. 36. 6. *centum urbes à Seir uſque ad Magdiel id eſt à terrâ Edom uſque Romam omnium maximam, quæ ibi* Magdiel *dicitur, à duce Magdiel qui ibi imperavit, ut ſupra dictum.* SEPTIMA, à teſtimonio R. Moſis filii Nachman, qui ſcribit, *Edomitas qui vicini erant Iſraelis, primos ſuſcepiſſe fidem Ieſu Nazareni, idque eâ occaſione quod poſtquam rex Hircanus eos ad accipiendam circumciſionem compuliſſet, in perpetuâ ſocietate cum Iudæis vixerint, donec Apoſtoli Ieſu Hieroſolymâ fugati, quò ſe conferrent neſcientes, ad Idumæos vicinos gentem notam ſe reciperent, iiſque ad recipiendam fidem Ieſu pellectis, poſtea Romanos ad imitationem gentis ſuæ facilè fuiſſe pertractos, adeò ut Chriſtiana religio à finibus judeæ ubi incipit terra Edom primò ad totam Eſavi poſteritatem Italiam incolentem pervenerit, proptereaque omnes aliæ gentes quæ deinceps eidem religioni ſe addixerunt etiamſi ex Eſavi poſteritate non eſſent, rectè tamen filiis Edom accenſeantur, cum eorum fidem ſuſceperint, ac proinde idem fatum illas maneat.* OCTAVA à voce דומה *Eſai.* 21. 11. משא דומה *Onus Duma* q. d. *Onus Romæ* משא רומה *mutato* ד *in* ר *juxta obſervationem quorundam ex veteribus* παραγραφικῶς. *Eſt enim vaticinium contra Edom, & à voce* ארום *per aphæreſin* א *Aleph eſt* דומה. Quod tamen argumentum (vel alluſio potius quam argumentum) non eſt Abarbenelis, ſed aliorum ex relatione Hieronymi. Vide *Fr. Riberam in Obad. verſ.* 1. III. Per comparationem Chriſtianorum cum Idumeis quæ varia. Prima reſpectu fidei. *Sicut Iacobus & Eſau conjuncti erant ratione patris & fidei, ſic hodiè fides Chriſtianorum in eo convenit adhuc cum judæorum fide, quod utriſque ſit idem in religione pater, & eandem Moſis legem pro vera agnoſcant, unde ſequitur illos in hoc tertio Edomæorum ſucceſſores eſſe*

quod in eo imitentur judæos ſicut olim Eſau Iacobum. Secunda reſpectu morum. *Eſau colebat fratrem ſuum doloſè, quia dicitur* venatio erat ori ejus, Gen. 25. 28. *Sic Chriſtiani fraudulenter & moribus minus ſinceris legi non reſpondentibus colunt Deum.* Tertia reſpectu conjugii. *Eſau ducebat uxores ex filiabus Cananæorum, ſed genealogia Iacobi qui è domo & familia patris ſui uxores ſibi elegit munda manſit quam extraneus non eſt ingreſſus, ſic Romani dum rerum potiuntur cum aliis diverſiſſimis gentibus ſe connubio miſcuerunt.* Quarta reſpectu benedictionis. *Sicut Iacob dignus fuit primogenitură & benedictione paterna, Eſau autem nihil retulit præter benedictionem bonorum corporalium, ſic Iſraelitæ digni ſunt adhæſione Numinis & benedictione cœleſti, Chriſtiani autem nihil receperunt niſi bona corporalia non verò talia quæ animam ſpectent.* Quinta reſpectu odii. *Sicut Eſau ſemper odio habebat Iacobum, ſic Chriſtiani perpetuo odio proſequuntur judæos, & eos in captivitate detinent, & hoc reſpectu verè ſunt Edomæi: Quod agnoſcit* Nicolaus à Lira *celebris Chriſtianus, qui dicit in expoſitione proph. Obadiæ, eò quòd Eſau odißet Iacobum, omnes Iſraëlis hoſtes de nomine Eſau & Edom dictos eſſe, & hoc verum eſt.* Sexta reſpectu coloris, *Eſau dicitur Edom, id eſt* rufus, *cum naſceretur erat* rufus *Gen.* 25. 25. *Edulium quod expetebat erat* rufum *verſ.* 30. *Clypeus fortium ejus* rubefactus eſt. *Nah.* 2. 3. *Bellatores ipſius* coccino induti *Ibid. Quicquid ejus erat,* rufum *erat, quia mars planeta ipſi dominatus eſt. Idem color proprius eſt Nazareno & Nazarenis. Ipſi Nazareno applicant verba Cant.* 5. 10. *Dilectus meus candidus &* rubicundus *eſt, quare* rubor *eſt veſtimento tuo? Sic omnes qui Italiæ imperabant martiales fuerunt, Romani Cæſares coccino induebantur. Ipſe Nazarenus ſub Marte erat, nam ſanguis ipſius ſuper proprio capite fuit, interfectus eſt ipſe & omnes ejus diſcipuli, plurimique poſtmodum ex ipſius ſectatoribus.* Septima à ſimili-

litudine morum inter Jesum & Esavum. *Sapientes traditione acceperunt, animam Esavi migrasse in corpus Iesu* (apage blasphemię monstrum) *Ideo ruri libenter agebat sicut Esavus, commorabatur in locis desertis eratq; vir contentiosus & litigans cum sapientibus scribis & pharisæis, & forte ideò dictus est Iesus, ab* עשו *Esau enim literis transpositis est* ישוע *Iesus.* Hæc sunt argumenta Abarbenelis. Antequam ad illa obiter respondeamus, (conjecturę enim quibus nullum est fundamentum & res fictæ multa refutatione non indigent) non omittendum nos magnas debere gratias judæis quod nos tanto mactent honore, quod non Japheti & Chami generationibus longius à judaicâ cognatione dissitis nos accenseant, sed pro Esavi posteris id est, fratribus suis agnoscant, quo materiam nobis congratulandi consequimur non exiguam, quò enim gens aliqua proximiori cognationis gradu nobilissimam illam gentem judaicam attingit eò major est dignitas ejus. Nescis autem quanta sit dignitas & eminentia gentis judaicæ supra alios terrarum orbis populos? Ecce illam de se ipsâ testimonium perhibentem in שבט יהודה *fol.* 8. *Edit Amstelod.* Ubi Rabbi quidam Tomas ex ore Abarbenelis hæc profert האלמוג הוא אמצעי בין הדומם והצומח והאספוג הוא אמצעי בין הצומח והחי שהרי יש לו חוש ההרגש והקוף הוא אמצעי בין החי והאדם והאדם הוא אמצעי בין החי ליהודי והיהודי הוא אמצעי בין השמים והארץ והשמים הם אמצעיים בין המלאכים והיהודי *Corallium est medium quid inter inanimatum ut lapidem & animatum vegetativum, spongia medium inter vegetativum & vivum facultate sensitiva præditum, simia medium inter vivum sentiens & hominem, homo medium inter vivum sentiens & judæum, judæus medium inter cælum & terram, Cælum medium inter angelos & judæum.* O acumen Rabbinicum! Quanto itaque simia quavis aliâ præstantior est bestiâ, tanto sc. judęus homine quovis alio dignior est, nihilque inter naturam angelicam & judaicam in-

tereſt quam cœlum interjectum, quod utramque participat, quis itaque non honori duceret angelicis iſtis hominibus cognatione quæ conſanguineis ſuis etiam angelici quid affricare poſſit, eſſe junctum? Sed Chriſtianis Italis & Romanis hæc felicitas duntaxat contigit ut ſoli honorifico iſto *Idumæorum* titulo gaudeant. Iam argumenta Abarbenelis quod attinet, ad illa reſpondemus. I. *Ad argumentum ejus* συγχωρητέον *Reſp.* 1. à poſſe ad eſſe non valere conſequentiam, non enim ſequitur, æquè poteſt eſſe verum Romanos eſſe ab Idumæis juxta traditionem Rabbinorum, quam quod ſint à Trojanis vel viris Evandri vel à Romulo juxta Saluſtium, Virgilium & alios, ergo verum eſt illos eſſe ab Idumæis. Quod Iſodorus dicit de non detrahenda fide hiſtorico qui convinci non poteſt, id æquè facit contrà cauſam Abarbenelis quam pro illâ, ſi non detrahenda fides hiſtorico, quare ergo detraherem fidem illis qui dicunt Romanos eſſe à Romulo ut ſentiam cum judæis? Quid me cogit ut his plus tribuam quam illis, qui æquè veraces eſſe poſſunt? 2. Non loquitur ibi Iſodorus de gente quæ ante Romam conditam Italiam coluit de quâ non diſceptatur ibi unde oriunda ſit, ſed dubium eſt tantum de ipſis Romæ & Romanæ Reipublicæ fundatoribus de quibus quia diverſa tradunt Hiſtorici, cauſam non eſſe dicit, quare fides major penes unum ſit quam penes alium. At judæi ante Romam conditam Italiæ incolas Idumæos fuiſſe volunt, qui & ipſi Romæ fuerint conditores, quæ quæſtio & ſententia prout alia eſt ab illa de qua Iſodorus, ſic etiam de fide ipſi ſive danda ſive deroganda nihil pronunciavit, cum ne quidem in mentem ipſi venerit. Quantum itaque talmudica authoritas ſtringit, tantum roboris habet hoc argumentum. Commodùm hic mihi incidit quod nuper in talmudico quodam compendio cui nomen עין ישראל

oculus

oculus Israëlis, legi de amplitudine urbis Romę, unde lector facilè judicare poterit quo loco nobis esse debeat ista authoriras. Sic loquitur sapiens *R. Ula* ex cap. מגלה נק' quod est primum lib. *Megilla Com.* 7. איטליא של יון זה כרך גדול של רומי והוא ש' פרס' יעל ש' פרסה וישנה ש"סה שוק' כבנין ימות החמה וקטן שבכלם של מוכר עופת והויא י"ומיל יעל י"ו מיל ומלך סויגר בכל יום באחד מהן והדר בו אף יעל פי שאינו נולד בו נוטל פרס מבית המלך והנולד בו אף על פי שאינו דר בו נוטל פרס מאת המלך ושלשת אלפים בי בני יש בו חמש מאות חלונות מיצלים עשן חוץ לחומה צדו אחת ים וצדו אחת הרים וגביעות צדו אחת מחיצה של ברזל וצדו אחת חולסית ומצורדת *Italia Græciæ est magna urbs Romæ, quæ trecentas habet Parsas* (id est milliaria Germanica, una enim Parsa continet 4000. passus sive quatuor milliaria Italica vid. *Drus. animad. lib.* 1. *cap.* 44.) *in longitudine & totidem in latitudine, suntque in illa* 365. *plateæ, juxta numerum dierum solis, inter quas omnium minima est forum volatilium, quod est* 16. *Milliar. in longitudine & totidem in latitudine.* (id est 16. Milliaria Italica sive quatuor Germanica, unum enim מיל *Mil* est quadrans Parsæ vid. *lex. Talm: Buxt.* in voce מיל) *Rex autem singulis diebus unam ex plateis illis cibat, & quicunque ibi commoratur etiamsi ibi natus non sit, frustum cibi habet è domo regis, & qui ibi natus est etiamsi non habitet, frustum tamen suum habet à rege. Sunt etiam ibi tria millia balneorum, & quingentæ fenestræ fumum extra murum attollentes,* (qualis ista sit fabrica non satis percipio, neque glossatores satis id explicant, forté camini sunt, suspensi in aere. Qui Romam viderunt consulendi sunt) *Ab una parte habet mare, ab altera montes & valles, tertium latus muro ferreo clausum est, à quarto ager est incultus & sterilis.* Mira etiam fabulantur de urbis Romæ primâ origine vid. *lex Talm. Buxt,* in רום. Quis ergo nugatoribus istis fidem adhibeat, qui de rebus notis tam apertè mentiri non erubescunt ? An ergo de gente quæ Romam condidit veriora nobis dictura sunt, quam quæ R.

Ula de ejus magnitudine mendaciſſimè effutit? Imo ab ipſis Talmudicis refutatur Abarbenel, (fatentur enim Romam à Romulo & Remo fuiſſe exſtructam vid. *lex. Talm. ibid.*) niſi illos etiam Idumeos fuiſſe ſtatuat dicatque Romulum fuiſse principem illum Magdiel de quo urbs nomen habeat, uti nugatur in ſequentibus. II. *Ad argumenta demonſtrativa*, *Ad demonſtrationem* PRIMAM. *Reſp.* 1. Narrationi *Gorionidis* fidem nullam eſſe adhibenbam. 1. Quia Joſeph Ben Gorion non eſt Flavius Joſephus, ac proinde illius authoritas non eſt tanta apud Chriſtianos quanta hujus. Controverſia eſt inter Chriſtianos & judæos. Volunt judæi eundem Flavium Joſephum qui ſcripſit Græcè, etiam ſcripſiſſe hiſtoriam ſuam Hebraicè, & ſpeciali inſtituto in exemplari Hebraico ſe ipſum vocare Joſeph Ben Gorion, qui in Græco dicatur Flavius Joſephus. Major eſt apud ipſos authoritas Joſephi Hebraici quam Græci, præſertim cum non perhibeat teſtimonium de Chriſto, uti Græcus, multataque figmenta contineat (inter quæ & illud de Zephone) quæ ſomniis aliquot judaicis adſtruendis non parum inſerviunt. Excuſus eſt Hebraicus Joſephus *Venetiis* & Baſileæ. Baſilienſis editio an. 1541. mutila eſt, deſunt enim libri de bello judaico. Ejus exemplar ego habeo cum verſione & annotationibus *Sebaſtiani Munſteri*, qui etiam cum judæis ſentit hunc Joſephum eſſe eundem cum Flavio, quod aliquot rationibus in præfatione ſuâ ad edit. Baſil. evincere ſatagit. Non tamen ideò majorem ei tribuit authoritatem quam Græco cum corruptum eſſe agnoſcat, fabellis judaicis conſpurcatum, & teſtimonium de Chriſto judęorum malitiâ eraſum. Sed diverſos eſſe ſcriptores communis Chriſtianorum ſententia eſt, quæ his rationibus nititur. *Primò* Gorionidis pater fuit Gorion, at pater Flavii Joſephi vocabatur Matthias,

thias,*in vita Iosephi pag.* 1. Ubi dici non debet *Gorion* non esse nomen patris sed familiæ ab alio quodam ex majoribus mutuatum, Iosephus enim Flavius ad atavumusq; genealogiã suam enumerat sed nullus ibi occurrit Gorion, unde ratio dari non potest quare Iosephus scribens Græcé se vocet filium Matthiç, scribens verò Hebraicè filium Gorionis cum in genealogia sua non meminerit Gorionis. Nec audiendi sunt Iudæi qui ex suo Gorionide probare conantur ipsum non esse alium à Flavio Iosepho, cum dicatur *lib.* 2. *de bello judaico cap.* 25. Iosephum sacerdotem filium Gorionis universæ Galileæ gubernatorem fuisse constitutum, quę præfectura etiam in gręco codice ibid. Iosepho Matthiæ filio tribuitur, adeò ut filium Gorionis & filium Matthiæ eundem fuisse oportuerit. Dicimus Iosephum Græcum se ibid. à Iosepho Ben Gorion distinguere, & affirmare non ipsi sed sibi contigisse præfecturam Galileæ: hæc enim sunt ipsius verba apud interpretem Latinum: *Declaratus est Iosephus Gorionis filius & Pontifex Ananus, omnia quæ in civitate* (Hierosolyma) *gerenda essent, imperaturi,* paulò post subjungit: *Utriusque autem Galileæ Iosephus Matthiæ filius rector designatus est.* Si ergo is Iosephus Ben Gorion de quo ibi Flavius, est Scriptor Iosephi Hebraici, sanè alius esse debet à Flavio. Neque locus Flavii ex Gorionide, uti vult *Munsterus*, sed potius Gorionidis locus ex loco Flavii est corrigendus. *Secundò.* Gorionides alicubi fatetur sibi non licuisse ingredi sanctuarium, eò quòd id solis sacerdotibus fas esset. Vide *Cl. Vossium lib.* 2. *de Histor. Græc.* Ergo ille non fuit Flavius Iosephus, cui prohibitum non erat ingredi sanctuarium, cum ex sacerdotali familia esset oriundus. *Tertiò*, Contradictoria scribunt Flavius & Gorionides. In Gorionide *Edit. Basil lib.* 5. *cap.* 26. Hæc leguntur וב׳ימים
ההם מת ארכילאוס בן ארודוס וימלוך אנשים אחיו תחתיו ויסוב את שמו ארודוס וגם
יהוא

הוא הרשיע לעשות מכל אשר היו לפנ׳ ולא עזב תועבה אשר לא עשה וימלוך יא׳ שנה והוא לקח אשת פילפוס אח׳ בעודנו חי וגם הי׳ לה בנ׳ם מאחיו ויקדשה לו לאשה והרוג רבים מחכמי ישראל וגם הוא הרג את יוחנן על אשר אמר לו אסור לך לקחת את אשת פילפוס ויהרגהו הוא יוחנן אשר עשה אבילות.

Diebus illis mortuus est Archilaus filius Herodis, & regnavit Antipas frater ipsius ejus loco, & sumsit nomen Herodis. Hic impiè egit supra omnes qui ante ipsum fuerunt, neque erat abominatio quam non perpetraret, regnavitque undecim annis. Sumpsit hic uxorem Philippi fratris sui, ipso adhuc vivente, qui jam liberos ex illa procreaverat, accepitque illam sibi in uxorem, qui & multos ex Sapientibus Israëlis interfecit. Inter alios Ioannem, quod ipsi dixisset, non licere ipsi sumere uxorem fratris sui Philippi. Hic ille Ioannes est qui baptismum instituit. Longè autem aliter narrat Flavius Iosephus *libr.* 18. *Antiquitat. cap.* 7. *Herodes Tetrarcha* (qui est idem ille Herodes antipas de quo Gorionides) *uxorem habebat Aretæ filiam, sed Romam iter faciens divertit ad Herodem fratrem. Hujus uxoris Herodiadis amore captus, quæ erat Aristobuli communis fratris filia, ausus est de impetrando ejus conjugio mentionem facere, interceſſit ergo pactum, ut Aretæ, filiam ejiciat, & ipsa in ejus domicilium migret &c. Bellum ergo ortum est inter Herodem & Aretam, quo Herodis exercitus internecione periit &c. Apud judæos autem fuit opinio, juxta ultionem Numinis deletum Herodis exercitum propter Ioannē qui baptista cognominatus est, hunc enim tetrarcha necavit virum optimum judæos excitantem ad virtutum studia & imprimis pietatis ac justitiæ, simulque ad baptismi lavacrum: quod ita demum Deo gratum ajebat fore, sinon ab uno tantum alteroque peccato abstineant, sed animis per justitiam prius mundatis addant & puritatem corporis. Quumque magni concursus ad eum fierent plebe talis doctrinæ avida, Herodes veritus ne tanta hominis authoritas defectionem aliquam pareret, quod viderentur nihil non facturi ex*

ri ex ejus conſilio, judicavit ſatius eſſe, prius quàm novi aliquid exoriretur, illum tollere, quàm rebus turbatis ſeram pœnitentiam agere. Itaque vinctum miſsum in Machæruntem, illic occidi imperat. Duplex hic eſt contradictio, prima quod Flavius dicat Herodiadem quam rapuit Herodes fuiſſe uxorem fratris Herodis, Gorionides autem fratris Philippi. Secunda quod Gorionides cauſam cædis Ioannis fuiſſe dicat quod Herodi ſignificaſſet non licere ipſi habere uxorem fratris ſui, Flavius autem aliam ejus cædis cauſam aſſignet, metum nimirum, quia veritus eſt ne tanta Ioannis, cujus doctrina omnibus arridebat, authoritas defectionē aliquam pareret, ipſum è medio tolli juſſit. Quis hic credat, Flavium tam oſcitanter ſibi contradixiſſe? Unde liquet ipſum non fuiſſe Gorionidem. Interim obiter notandum non in nullo pretio Gorionidem apud Chriſtianos eſſe habendum, videmus enim ipſum hic agere cauſam Euangeliſtarum contra Flavium, optimèque ipſi cum Hiſtoria Euangelica *Matth.* 14.3.&c. convenire, quod-ſi innotuiſset *Maldonato*, non tantum ex Euangeliſtis ſed etiam ex Gorionide Flavium emendandum eſse jure merito ſtatuiſset. 2. Quia Hiſtoriæ Gorionidis multa ſunt admixta quæ non tantum ſunt fabuloſa ſed & recentiorem ætatem ſapiunt, uti ipſe Munſterus fatetur, ut cum dicit Francos interfuiſſe ſepulturæ Herodis, quod recens & rabbinicum commentum eſt, tempore enim Gorionidis nomen Francorum nondum erat in uſu. Et hæc cauſa eſt quod *Ioſ. Scaliger*, *Voſsius* & alii hunc Gorionidem planè rejiciant, ſtatuentes à quodam judæo impoſtore Gallo qui nomen Ioſeph Ben Gorion uſurpaverit poſt annum Chriſti ad minimum ſex centeſimum, librum iſtum ex Flavio Ioſepho fuiſſe compilatum, rabbinicis nugis refertum, proindeque nullius momenti. Sed Munſteri argumentum hic prævalere videtur, qui

ex eleganti & merè Hebraico ſtylo quo liber iſte conſcriptus eſt & quo recentiores rabbini uti non conſueverunt,non ineptè ejus antiquitatem evincit. Dicamus itaque Gorionidem (Flavio fortè ſi non coætaneum ſaltem non adeò multis annis poſteriorem) ſi hiſtoriam ejus puram (qualem ante 500. circiter annos adhuc extitiſſe probabile eſt) & à recentiorum rabbinorum corruptionibus & admixtis figmentis terſam habere liceret , non minus fide dignum fore quàm Flavium. In qua ſententia fuit *Cl. Druſius* ubi ait: *Accidit ante* 400. *annos quod aliis multis authoribus bonis , quorum lucubrationes ab hominibus otioſis interpolatæ imò falſatæ fuere , aut præter propter Ioſepho Gorionidi , qui & Aben Gorion, quem cum Flavio Ioſepho eundem faciunt judæi , cujus hiſtoriam agyrta quidam homo imperitus nimium auxit ne dicam corrupit.* Et alibi. *Nulla huic authori fides eſt apud me, niſi ubi verum dicit, ac tunc etiam Ioſepho Græco præfertur.* 3. Inter ſuppoſitia autem & falſo nomine Gorionidi adſcripta etiam recenſendum eſſe figmentum de *Zephone, Sebald. Snellius* in ſuprac. *Georg. Konig.* diſputatione accuraté demonſtrat. Ratio à narrationis & eventus diſcrepantiâ petita id ſatis evincit, eadem enim fabella de principum Edom occurſu in talmude etiam tradita legitur in compendio talmudico *Beth Iſrael* ex cap. המקנא quod eſt primum libr. Sota *com.* 46. his verbis וכואו יד גרן האטד אמר ר' אבהו מלמד שהקיפוהו כתרים לארונו של יעקוב כגרן זה שמקיפין לו אטד שבאו שם בני עשו ובני ישמעאל ובני קטורה תנא כולם למלחמה באו כיון שראו כתרו של יוסף שתלו בארונו של יעקוב נטלו כולם כתריה' ותלאום בארונו של יעקוב תנא שלשים וששה כתרים נתלו בארונו של יעקוב Ad illa Gen. 50. 10. *cum autem veniſſent ad aream rhamnorum. Dicit R. Abihu doctor, ipſos cinxiſſe coronis feretrum Iacobi , ſicut area illa rhamnis erat cincta. Venerunt enim filii Eſau cum filiis Iſmael & filiis Ketura , traditumque eſt omnes illos belli inferendi cauſa veniſſe , ſumulac autem anim-*

animadverterunt Ioſephi coronam appenſam feretro Iacobi, attulerunt & illi coronas ſuas omnes, eaſque eidem feretro appenderunt, fuerunt itaque, ut fert traditio, 36. coronæ feretro Iacobi appenſæ. Eadem traditio legitur in libro *Ialkut*, ubi additur Edomeos & Iſmaelitas poſtquam coronas ſuas ſeretro Jacobi applicuiſſent, unà cum Iſraelitis & Ægyptiis magno luctu funus ad locum uſque ſepulcri fuiſſe comitatos; Ergo & Zepho inter coronarum ſuſpenſores, lugentes & funeris comites numerandus eſt. Quomodo jam hoc convenit cum ipſius captivitate & hoſtili abductione in Ægyptum? Sic unum mendacium confodit alterum. Nondum itaque Talmudis compilatores quinto poſt Chriſtum natum ſeculo hanc hiſtoriolam legerant in Gorionide, alias enim melius inter ipſos conveniſſet ſed uſque ad iſtud tempus mera tantum oralis traditio fuerat, id'eſt commentum judaicum, in cerebro cujuſdam Rabbini excogitatum, ac deinceps in poſteros diverſimodè prout in rebus fictis, ubi difficile eſt mendacem eſſe memorem, evenire ſolet, tranſmiſſum, donec tandem individuum iſtud vagum fixam fidem reperiret in Gorionide ut ſub ipſius vexillo militaret contra Chriſtianos. Eandem quoque fabulam narrat *R. Bechai* comment. in leg. qui dicit Zephonem uſque ad mortem Ioſephi in captivitate Ægyptiaca fuiſſe detentum, & poſt mortem Ioſephi profugiſſe in Campaniam & regnaſſe ſuper Romam primumque templum Romæ exſtruxiſſe. Vide quam pulchrè huic conveniat cum Abarbenele. Vult Zephonem fuiſſe regem Romanum, quod Abarbenel tribuit Magdieli, dicit præterea ipſum poſt mortem Ioſephi demum profugiſſe ex Ægypto: hæſit ergo 54. annis in carcere. Abarbenel autem ejus captivitati in Ægypto & moræ in Africa antequam in Italiam veniret annos tantum ſex tribuit. Interim uterque jactat Gorio-

nidem, & fortaſſe neuter viderat Gorionidem cum iſta ſcriberent. Quis itaque non videt purum putum eſſe mendacium cujus artifex Gorionidis tempore lumen ſolis nondum aſpexerat. Præterea multa alia in iſta fabula ſunt abſurda quæ ignorantiam Rabbinicam arguunt, ſed illa brevitatis cauſa præterimus. *Reſp.* 2. Conceſſo Zephonis fabulam veram eſſe hiſtoriam, an ergo ad unum hominem Idumeum qui regnum Italiæ uſurpavit omnes Italiæ incolæ originem ſuam referre tenentur? An ille omnes Italos convertit in Idumæos? mira iſta metamorphoſis fuiſſet. At dicit Abarbenel maximam Idumæorum multitudinem deinceps migraſſe in Italiam. Probandum hoc prius erat antequam ſtatueretur, neque adhuc inde ſequeretur Italos eſſe Idumeos, niſi probetur etiam omnes præcedentium generationum familias ab Idumeis uſque adeò fuiſſe abſorptas ſive ejectas ut nulla ex aliâ gente oriunda remanſerit. Sed ad hoc demonſtrandum aliud rabbinicum acumen in fingendo felicius quam quod Zephonis fabellam procudit, requiretur. Ad SECUNDAM *Reſp.* Fallaciter ibi agere Abarbenelem. Falſum eſt juxta Chronologiam Chriſtianorum Ianum veniſſe in Italiam 1500. annis ante Chriſtum. Chriſti enim nativitas incidit in annum mundi 3947. Iani autem navigatio in Italiam, in annum 2621. intercedunt anni 1326. Mors Iacobi incidit in annum 2255. adeo ut juxta ſupputationem Chriſtianorum Iani navigatio in Italiam, non ſex (ut fingit Abarbenel) ſed 366. annis fuerit poſterior vid. *Chriſtoph. Helvici Theatrum Hiſtoricum.* Confundit autem impoſtor ſupputationem. Chriſtianorum cum judaica, ut incauto lectori imponat & figmento ſuo aliquam veritatis ſpeciem conciliet Nativitas Chriſti juxta calculum judęorum, refertur in *Zemach David* ad annum mundi 3761. ſi demas

1500.

1500. habes annum mundi 2261. qui est sextus post mortem Iacobi juxta calculum Christianorum, non judæorum, quo Abarbenel fingit janum venisse in Italiam. Et ut hanc mentem Christianis quoque affingat, qui jani adventum non ad annum 2261. sed ad 2621. referunt, assumit annum mundi 3947. qui est annus nativitatis Christi juxta calculum Christianorum, indeque demptis 1500. annis, reperit annum quo janus jam in Italiâ agebat, 2447. non in calculo Christianorum sed judæorum. Atque ita si supputationes confundas apparet, quod tamen falsum est, Christianos Chronologos statuere janum in Italiam venisse 1500. annis ante Christum natum, id est anno sexto post mortem Iacobi, hoc modo.

Computum Christianorum *Computum Iudæorum.*

Annus sextus post mortem Iacobi Patriarchæ est. A. M. 2261. 2072.

Venerat janus in Italiam. 2636.



2447. annis 1500.

Nascitur Christus 3947. 3761. annis 1500.

Ecce vafritiem hominis, si alterutrum sive Christianorum sive judæorum computum retinuisset, mendacem se prodidisset, qui jam calculis confusis sub specie veritatis imponit. Ad TERTIAM. *Resp.* 1. Nomen regis *Latini* esse à *Lotan* non nisi inanis est conjectura. 2. Istius paronomasiæ suavitas tam suaviter imposuit Abarbeneli ut sui ipsius oblitus nō animadverterit Lotan non fuisse ex

principibus Idumeis ſed Horitam *Gen.* 36. 20. Poſteri autem Hori ab Idumeis pulſi fuerunt, ut ſupra *Pag.* 117. oſtenſum. Ad QUARTAM. *Reſp.* 1. Quanta Chaldæi in Hagiographa paraphraſtæ apud Chriſtianos ſit authoritas ſupra *Pag.* 39. vidimus. 2. In Baſileenſis editionis paraphraſi ad verba *Thren.* 4. 21. *Gaude & lætare filia Edom* nihil additur de Româ vel Conſtantinopoli. Sed codice Veneto Bragadini inſpecto nominari video Conſtantinopolin in Armenia, non verò Romam Italiæ. Oportet itaque Abarbenelem (niſi paraphraſtæ hoc de ſuo affinxerit) tale habuiſſe exemplar ubi utriuſque urbis nomen fuerit expreſſum. Sed licet jam iſte R. *Cæcus* cui Hagiographorum Targum tribuitur aliquo pretio dignus eſſet, quis tamen pro certo affirmabit illam paraphraſin quam citat Abarbenel potius eſſe ipſius, quam illam quam fert codex Baſileenſis ubi nihil de Roma nec Conſtantinopoli? Quis paraphraſium authoritati amplius deferat, ſi homines iſti in illarum editionibus procurandis, addendi, truncandi, mutilandi prout viſum fuerit, licentiam ſibi ſumant? Ad QUINTAM. Reſp. 1. Argumentum à caſu ſimili nihil probat. 2. Quo loco Gorionidis teſtimonium ſit ſupra vidimus. 3. Proclivius eſſet ſtatuere poſteros Tubal & Meſchech (de Meſchechitis enim id imprimis affirmant Abeneſra & Kimchi *Pſal.* 120. editionis Fagianæ authoritate Gorionidis, in quo fortè tum temporis legebatur Meſcheck cui poſtea Tubal ſubſtitutum) habitaſſe Tuſcanam & agrum Piſanum, (licet nec illud veriſimile ſit, nihilque de eo memoriæ proditum ſit) quam poſteros Eſau agrum Romanum, cum illi fuerint ex filiis Iapheti, quorum nonnullos Italicas quæſiviſſe ſedes ſententia communis eſt, hi verò quam regionem occupaverint ipſa Scriptura docet. Ad SEXTAM. *Reſp.* Expoſitio verborum *Gen.* 36. 34.

אלוף מגדיאל אלוף עירם *Dux Magdiel, dux urbis eorum*, id eſt Romæ, nugamentum Rabbinicum eſt. עירם enim hic non eſt appellativum neque mem affixum, ſed eſt nomen proprium, teſte Onkelo Chaldæo. רבא מגדיאל רבא עירם *Dux Magdiel dux Iram*, ſi enim עירם ſumpſiſſit ut appellativum, vocem non retinuiſſet ut pote quæ Chaldæa non eſt, ſed poſuiſſet קרתהון ut *Gen.* 34. 20. Quod itaque ex *Pirke Eleeſer* citatur, inter Principes Edom Magdielem fuiſſe conſtitutum imperatorem *urbis eorum* id eſt Romæ, illud inter figmenta judaica reponimus. Ad SEPTIMAM. *Reſp.* Hic Abarbenel oſtendens modum quomodo Chriſtiana religio per Idumeos terræ Iſraëlis vicinos ad Romanos pervenerit, directè quidem reſpondere incipit ad argumentum *Burgenſis*, ſed quia nugatoris cujuſdam ſibi ſimilis, Nachmanidis ſc. quo ipſe tribus duntaxat ſeculis poſterior fuit, teſtimonio nititur, refutationi ſuperſedemus, donec teſtis fide dignior in medium producatur. Ad OCTAVAM *Reſp.* Quia mutatio vocis רומה in רומה argumentum propriè non eſt ſed tantum paronomaſtica alluſio, illud ad argutias Rabbinicas, quibus convellendis hic non immoramur, referimus. III. Comparationem inter Idumæos & Chriſtianos ab Abarbenele inſtitutam quod attinet, cum nihil ibi ſit quod argumenti vim habeat, vel præter Rabbinicas argutias & ineptias aliquid refutatione dignum contineat, brevitatis ſtudioſi locum hunc prçter inſtitutum longius excurrentem claudimus. De μετεμψυχώσει autem, quâ animam Eſavi in Chriſti corpus migraſſe dicunt nebulones, de eoque multa blaſphemè effutiunt in libr. contra Chriſtum conſcripto תולדות ישו (cujus exemplar ſe habere dicit Cl. Buxtorffius in Biblioth. Rabbin.) in progreſſu plura dicendi dabitur occaſio.

Vidimus itaque caput primum hujus controverſiæ, rationes

tiones sc. quibus judæi persuasi sunt Christianos esse filios Edom. Isto jam fundamento nituntur omnes illæ scripturæ locorum expositiones, quibus quæ de filiis Edom hinc inde dicta sunt, de Christianis suo tempore adimplenda dici affirmant. Obadię vaticinium ex quo hic noster, vers. 18. citat imprimis eo referunt, sed quam intempestivé & inepté, jam in thesi demonstratum est. Et sanè siquis vers. 18. Obad. conferat cum 1. *Maccab.* 5. 3. 4. 5. & 2. *Maccab.* 10. 16. & seqq. dictum vaticinium accuratè & ad literam quidem tempore Maccabęorum adimpletum esse, adeò ut novos hic Idumeos qui in rerum naturâ nunquam exstiterunt neque existent in quibus prophetarum prædictiones complementum suum nondum sortitæ sint, fingere necesse non sit.

האות חתשיעי

יתקע מיכאל תקיעה גדולה ויבקעו מחילות המתים בירושלם ויחייה אותם הק"בה וילך משיח בן דוד ואליהו הנביא ויחיו משיח בן יוסף הנאם' בשיערי ירושלם וישלחו את משיח בן דוד בשביל שארית ישר' הפזורי' בכל הארצות מיד כל מלכי אומות העולם נושאי' אותם על כתפותיהם ומביאים אותם לה' וגומר.

Signum Nonum.

Clanget Michael clangorem magnum quo sepulcra (1) mortuorum aperientur Hierosolymis, eosque Deus Ben. vitæ restituet. Messias etiam Ben David & cum ipso Elias propheta è mortuis suscitabunt Messiam Ben Ioseph qui sub portis Hierosolymæ asservabatur. Deinde mittent Messiam Ben David ad colligendas judæorum reliquias in omnibus terris dispersas. Et confestim omnes gentium reges totius orbis Israelitas humeris suis impositos ad Deum deducent. &c.

DIALEPSIS.

(1) PRout in omnibus aliis fidei suæ articulis non idem sentiunt judæi, sic imprimis circa mortuorum resurrectionē diversa credunt tam quoad ejus modum & tempus quam quoad ejus materiam sive populos resuscitandos

dos, variisque modis à se invicem dissident. Quot capita tot sensus. Tempus Messię adventus incertum ansam disputandi dedit. *Menasse Ben Israel* qui hunc adventum in finem mundi rejicit & 40. duntaxat annos inter ejus apparitionem & extremum judicium constituit, unicam tantum agnoscit resurrectionem *lib.* 2. *de resur. cap.* 3. quæ à sepultis in terrâ Israëlis initium sumptura sit, in reliquis tamen orbis partibus nullo vel exiguo admodum temporis intervallo immediatè continuanda. Sed ipsius antecessores qui ampliorem spem quam ipse de Messiâ suo conceperant, eique vitam longævam,& imperium summum in posteros & nepotes propagandum (quod tam angustos intra limites, spacium sc. 40. annorum arctari non potest) tribuunt, duplicem resurrectionem fore profitentur, unam *particularem*, alteram verò *generalem*. De generali quæ ad diem judicii refertur in progressu, Deo dante, loquemur. Hic de prima illa & particulari tantum quæstio est, quam noster rabbi hic, tanquam adventui Messiæ annexam promittit. Nullum ipsis dubium est priscos patres qui Messiam anxiè exspectarunt & in spe ista diem suum obierunt, ejus tempora visuros ac proinde in vitam esse revocandos, quam primum advenerit. In eo etiam satis benè nonnulli conveniunt, non omnes Israelitas neq; vulgariter pios, sed sapientissimos & justissimos quosque duntaxat resuscitandos esse, ut temporum Messiæ felicitate fruantur, & lautissimo isti convivio (de quo postea dicemus) intersint, denuò tamen (uti & ipse glorioſus Mesias) morti obnoxii & postmodum multis exactis seculis in resurrectione generali vitę restituendi. Sed longa disputatio est de ratione locorum, an sc. sapientes qui in terra Israëlis sepulti jacent soli ad Mesiæ regnum resuscitandi sint, an verò & alii aliis in locis defuncti ejus gaudii futuri sint partici-

pes? In diversis codicibus utriusque talmud. controversia hæc agitatur, præsertim Cod. כתובות c. 13. Talm. Babylon. Ubi multis quidem de hac materia altercantur & nugantur Doctores, nihil tamen quod istis hominibus in more positum finaliter concludunt, sed Elias quando venerit hanc & infinitas alias similis momenti quæstiones plenè decidet. Nostri authoris sententia esse videtur solos in terrâ sanctâ & Hierosolymis defunctos & sepultos esse resuscitandos, alios non item, juxta mentem R. Eleazaris, cit. Talmud. cod. in *Beth Israel* fol. mihi 16. יו׳ אליעזר צדיקים שבחוצה לארץ אינם חיים *Iusti qui sunt extra terram* (Israelis) *non vivent*. Sed hanc opinionem alii rejiciunt, iniquum fore judicantes hoc beneficium ad solos terræ sanctæ defunctos referri, sibi etiam in Babylonia & alibi degentibus hâc in parte prospectum volunt, seque & socios sapientes licet extra terram Israelis mori contingat, tamen resurrectionis tempore Messiæ fore participes. Ne tamen hoc modo mortuos in apertam lucem producendi honos (utpote terræ sanctæ proprius) alieno solo tribui videretur, medium invenerunt sagacissimi Rabbini, quo sapientes extra terrā Israëlis licet defuncti & sepulti in ipsâ tamen terra sancta è sepulcris suis prodeant: Hoc medium vocatur גלגול *Revolutio* quâ sepulti per meatus subterraneos in terram Israelis devolventur. Sic sentit R. Ila על ידי גלגול מתקיף לה *mediante revolutione comprehendet illos Deus in terra Israelis*. Hæc sententia mirè placet nisi quod *Aben Sala* illam aliquâ difficultate premat dum ait גלגול צדיקים ציער הוא *fore istam revolutionem dolorificam justis*. Procul dubio, per tot enim saxa & petras in terrâ latentes ipsis penetrandum erit antequam ad optatum solum perveniant, quæ res sine summo dolore & molestiâ confici non poterit. Et hæc causa est quod multi judæi in terram Israelis ante mortem ibi defuncturi pro-

ficiſcantur, ne tempore reſurrectionis iſtum revolutionis dolorem experiri neceſſe habeant, & ſanè R. Sira citat: Talm: loco in procinctu erat ut eò contenderet, niſi R. Iehuda ipſum retinuiſſet in Babylonia. Sed quid iſti homines ſibi metuunt à dolore revolutionis? an etiam mortui ſentiunt? Docet enim author libri Zohar, animas corporibus immittendas non eſſe niſi cum jam factâ revolutione ad ipſum reſurrectionis locum pervenerint, ſint itaque bono animo, ſaxis iſtis & petris ſubterraneis allidantur corpora quantum volent, nullum inde ſentient dolorem. R. tamen Abai videtur in ea ſententia non fuiſſe, animas ſc. corporibus poſt revolutionem demum immittendas eſſe, aliter enim proſpexit Iſraëlitis ne ullum in revolutione ſua dolorem experiantur dicens: מחילות נעשות להם בקרקע *cavernæ ipſis conficientur in terrâ*, Quæ verba gloſſator ibidem hoc modo exponit מחילות נעשה להם בקרקע ויעומדים על רגליהם והולכים במחילות עד ארץ ושם מבצבצין ויוצאין *Fient ipſis cavernæ in terrâ, in quibus in pedes erecti ſtabunt, atque ita per cavernas iſtas ambulabunt donec ad terram Iſraëlis pervenerint, ibique prorumpent & prodibunt.* Nunquid lepidum nugandi genus hoc eſt? Pudet Menaſſen Ben Iſrael iſtarum magiſtrorum ſuorum ineptiarum unde hanc ſententiam veluti privatam ſolius cujuſdam R. Simmai fuiſſe docet, quæ aliis doctoribus recepta non fuerit. Sed fallit; communem enim opinionem fuiſſe & etiamnum eſſe ex dictis conſtat, cum eam quamplurimis Talmudicis Doctoribus variis codicibus repetitam, gloſſatoribus etiam, authori libri Zohar, Targumiſtæ in Hagiographa aliiſque perplacuiſſe videamus, quod etiam animadvertens Ben Iſraël addit eam allegoricè exponendam eſſe, quod ſanè futile eſt & ridiculum, & recentius Abarbenelis (quo præceptore Ben Iſraël iſtud effugii genus didicit) commentum, vaniſſimas quaſque Talmudi-

carum nugas quas cum scripturâ & ratione pugnare & Christianis ludibrium debere videt, emollire, stultitiamque allegorico quodam lenimento excusare conatur. Quis quæso hanc magistrorum de revolutione mortuorum per cavernas terræ opinionem sumat allegoricè? Cum ab ipsis ponatur veluti medium quo consultum volunt sapientibus & justis extra terram Israëlis defunctis, idque super traditionis communiter receptæ fundamento quæ statuebat extra terram Israëlis non fore resurrectionem, quod sanè pessimam illorum conditionem reddidisset nisi hæc revolutionis via fuisset reperta. Si itaque hoc allegoricum est, etiam ipsa resurrectio erit allegorica, imò Messiæ adventus allegoricus, tandemque tota judæorum religio efficietur allegorica.

האות העשירי

תוקע מיכאל תקיעה גדולה
ויוציא הק"בה מנהר גוזן ומלחלח
וחבור ומערי מדי כל השבטים
ויבאו עם בני משה באין מספר
ובאין שיעור בגן ערן הארץ
לפניהם תלהט להבה
ולא ישאירו מחיה לאומות העולם
ובשעה שיצאו השבטים ענני כבוד
יקיפו אותם וה"קבה הולך לפניהם
שנ' ועלה הפורץ לפניהם והק"בה
יבתח להם מעינות של מים חיים
וישקה אותם בדרך שנ' בישימון
אפתח על שפיים נהרות ובתוך
בקיעות מעינות משים מדבר לאגם
מים וציה למוצאי מים וכתיב לא

Signum Decimum.

Cum denuò Michaël clanxerit clangore maximo, educet Deus omnes tribus à fluvio Gosan, Lachlach & Chabor, & ex urbibus Medorum, venientque sine numero cum filiis Mosis. Terra coram facie eorum erit sicut hortus Edenis, & à tergo ipsorum flammea erit & ignea, nihilque relinquent mundi gentibus unde vitam sustentare possint. Et tempore illo quo exibunt tribus, nubes gloriosæ Majestatis Divinæ circumdabunt illas. Ipse Deus Ben. ante faciem illarum incedet sicut dicitur (1) *Mich.* 2. 13. *Ascendit effractor in conspectu eorum.* Fontes arboris vitæ ipsis aperiet & potabit illas in via sicut dicitur in

(2) *Esai* 41. 18. *Aperiam in locis eminentibus flumina & in medio convallium fontes, disponam desertum in stagnum aquarum & terram solitariam in processus aquarum.* Scriptum etiam est (3) *Esai* 49. 10. *Non*

ירעבו ולא יצמאו ולא יכם שרב ושמש וגו' הב"ה יזכנו לראות את הגאולה מהרה ויזכנו לראות בית הבחירה ויקים בנו מקרא שכתוב הנני שב את שבות אהלי יעק' ומשכנותיו ארחם ונבנתה עיר על תלה וארמון על משפטו ישב ויקיים עלינו כל נחמותיו וכל הבטחותיו שנ' ע"י נביאיו וכתיב בעת ההיא אביא אתכם ובעת קבצי אתכם כי אתן אתכם לשם ולתהלה וגו'.

esurient neque sitient neque feriet illos æstus aut Sol &c. Dignos nos efficiet Deus qui redemptionem brevi videamus, dignos nos efficiet videndi Domum electionis (*Templum.*) Scripturam in nobis ratam faciet quæ dicit (4) *Ier.* 30. 18. *Ecce ego reducam captivitatem tentoriorum Iacob, & tabernaculorum ejus miserebor, & ædificabitur civitas in aggere suo, & palatium pro ratione sua consistet.* Ratasque faciet in nobis consolationes omnes & fiducias suas per prophetas suos promissas, imprimis illud (5) *Zeph.* 3. 20. *Tempore illo adducam vos, tempore quo congregavero vos, nam dispositurus sum vobis nomen & laudem &c.*

DIALEPSIS.

(*) *Ascendit effractor in conspectu eorum* &c. In verba hæc Kimchi commentatur hoc modo: פירש אא"ל על צדקיהו נש"א דרך בין החומות שפרצו לפניו החוכה כמו שכתוב בנבואת יחזקאל בקיר יחתרת להוציא בו *Pater meus b. m. intellexit hoc de rege Zedekia, quod eum fugam meditans inter muros incederet coram ipso murum perfregerint ut elaberetur, juxta vaticinium Ezechielis Ezech.* 12. 12. *Princeps ipse cæca nocte egredietur, in mero perfodient foramen ad educendum eo.* Et ad verba seq. *Transibit rex eorum coram ipsis* &c. addit: וה צדקיהו שברח לפני חילו וחילו אחריו *Zedekias iste erat, qui fugiebat in conspectu exercitus sui propter exercitum qui ipsum insequebatur.* Si ista sit mens hujus loci, ut per *effractorem* is intelligi debeat qui regi Zedekiæ murum perfregit, ut è manu Babyloniorum evadere posset, ridiculi forent Iudæi qui Messiæ hoc *effractoris* epitheton, utpote aditum Israelitis ad terram sanctam divino auxilio paraturo, omniaque obstacula perfracturo tribuunt. Et licet dici possit, particularem duntaxat fuisse istam Patris Kimchii opinionem

nem, ex verbis tamen Kimchii præcedentibus & ſeq. ſatis conſtat duos ultimos verſus cap. 2. *Michæ* dubium ſenſum admittere, aliis illa quæ dicentur veluti comminationis Iudiciorum divinorum contra univerſum populum Iudaicum (quo præcedentia totius capitis ſpectant) continuationem ſumentibus, aliis è contra ſtatuentibus, futuræ conſolationis promiſſionem commination̄i præcedenti oppoſitam, prophetam hic exponere, & ſane Hebraiſmi omnes licet accuratiſſimi examinis incudi ſubiiciantur utrique ſenſui ex æquo favere videntur, adèo ut uter eligi debeat definiri non poſſit. Si prior obtineat, nomen *effractoris* collectivum eſt, eoque indigitantur Aſſyrii & Chaldæi Iſraëlem vaſtaturi, ſi poſterior, effractor iſte ipſe Deus erit, omnia promiſſæ liberationis & ſalutis impedimenta ſublaturus. Si authoritatibus certandum ſit, poſterior ſenſus potior erit, eò enim inclinat Ionathan Paraphraſtes, quem multi tam ex Iudæis quam Chriſtianis ſequuntur. Ponamus itaque Deum hic populum ſuum benignius alloqui quàm in precedentibus fecerat, an inde ilicò ſequitur hanc ſalutis promiſſionem eſſe carnalem & non potius ſpiritualem, in Chriſto animarum ſervatore, et rege populi ſui verè adimplendam? prout prophetis in more poſitum eſt, ubi longâ oratione Iudaicæ reipublicæ interitum & carnalis fœderis æternam abrogationem deduxerint, ut poſtmodum novi in Chriſto fœderis & regni ſpiritualis, cujus beneficia Iudæis & gentibus erunt communia, promiſſione animos afflictorum revocent, & æternæ animarum felicitatis carnali iſta longè dignionis ſolatio perfundant. Et quoniam ipſe eventus & experientia hanc expoſitionem pro ſenſu ſpirituali comprobarunt, quare carnali iſti Iudæorum figmento cujus impletionem in Meſſiâ nunquam futuro fruſtrà indies exſpectant, non eſſet merito præferenda?

Et ſi carnale quid in hac promiſſione cogitandum, quid impedit quominus id in liberatione ex captivitate Babylonica adimpletum eſſe dici poſſit? (cum non tantum decem tribubus ſed & tribui Iudæ interitum minetur Micha, & per conſequens huic liberationem promittat ſiquam promittit) adeò ut iſta ad ultima Meſſiæ tempora referri neceſſe non ſit.

(2) Nihil ſtultius eſt, quam verba Eſaiæ verſuum 17. 18. 19. carnaliter & ad literam ſumere. Prout enim verſu 18. dicitur, Deum in locis eminentibus aperturum flumina & in medio convallium fontes, ſic verſ. 19. additur, ipſum in deſerto poſiturum cedros, lectiſſimas cedros, myrtos, arbores oleoſas, abietes, tædas, & arbores opacas. Rationem nobis dicit noſter Rabbi quare Deus flumina & fontes aperturus ſit in deſerto, ſcil. ne Iudæi ex captivitate reduces in via ſiti preſſi deficiant. Quæritur autem quis uſus iſtarum arborum & quidem tā diverſarum ſpecierum ipſis ſit futurus? Quid tranſeuntibus cum arboribus? quas præſtaret circa muros Hieroſolymæ plantari, ut Iudæis quando ſedes ibi defixerint poſſint eſſe in deliciis. Reſpondet Kimchi לא שימצאו מים במדבר לבד אלא אפילו עצים יגדלו בהם ואם תאמר מה צורך להם בעצים אלה ביעלות כהגלות נוכל לומר שבראו אלה העצים במדבר בקומתן כמו שנבראו בימי בראשית ויהיה להם צל שלאיכם שרב ושמש או להעמיד הפלא ההוא בהיום ההוא והלאה ויהיו באותן מדבות לעולם מים ועצים גדלי בהם ויאמרו בני העולם בעברם בהם זה עשה חאל לכבוד ישראל ויודו לשם ה' לעלם על הפלא ההוא *Non tantum reperientur aquæ in deſerto, ſed etiam arbores ibi creſcent. Si roges, quid arboribus iſtis opus erit in tranſitu ex captivitate? Reſpondere poſſumus arbores ibi in altitudine ſuâ creandas eſſe ſicut factum fuit tempore creationis omnium rerum, idque ad umbram efficiendam ne tranſeuntes Iſraëlitæ ſolis æſtu percutiantur. Arboreſque illas miraculoſè productas & aquas in deſerto perpetuò remanſuras, ut quando gentes illâc tranſiverint, dicant: Hoc eſt miraculum illud quod Deus fecit in gloriam Iſraëlis, atque*

ita celebrabunt nomen Dei. Risum teneatis amici. Qui scripturæ phrasin extremis saltem labiis degustaverit, facile conjicere poterit quid figuratâ hoc locutione indicare velit propheta, adeò ut ad ejus modi carnales ineptias ad verum verborum sensum deprehendendum confugere necesse non habeat.

(3) *Non feriet illos æstus aut sol.* Hic ostendit usum istarum arborum, Kimchi ad hæc verba eod. modo ineptit uti supra, & ubi in textu sequitur ושמתי כל הרי לדרך. *Ponam omnes montes viam*, addit ille, כמו שאמר כל גיא ינשא וכל הר וגבעה ישפלו וזה יהיה כמשמעו דרך גם כדי שלא יעלו וירדו ברוכים *Convenit hoc cum verbis Esai.* 40. 4. *Omnis vallis attolletur & omnis mons collisque deprimentur eritque prout litera sonat via miraculosa ne scil. in viis ascendere & descendere necesse habeant.* Vult iste homo nobis persuadere quando Iudæi ex captivitate revertentur, montes deprimendos & vallibus æquandos esse ut semper via planâ incedere possint, ne scil. lassitudine deficiant. Iudæos Apellæ hoc facile est credere, homini autem Christiano non item: Atque ita videmus quomodo isti tenebriones S. scripturam ubique ad literalem & carnalem sensum torquere studentes in absurdissima quæque sese præcipitent & deridendos propinent.

(4) Vaticinium jeremiæ, si literam spectes, per liberationem ex captivitate Babylonica impletum esse, manifestum est. Nec est quod Iudæi urgeant aliquoties etiam capp. 30. & 31. Israelis & in specie Ephraimi ex reliquis decem tribubus mentionem fieri, iisque liberationem promitti quæ nondum impleta sit. Si quid enim in istis omnibus ad literam torquendum est, illud non de universa decem tribuum captivitate, sed aliquot duntaxat familiis ex tribubus istis intelligi debet, quibus speciatim gratia ista contigit, ut tribui judæ postmodum immixtæ natale

tale ſolum uſque ad tempora Chriſti coluerit. Cœterum totius Iſraelis reductionem pro deſperata habendam eſſe ſupra ex Ier. 3. &c. ſatis ſuperque demonſtravimus. Præcipuus itaque prophetæ ſcopus myſticus eſt qui id primariò intendebat ut reductionem ſpiritualem corporali longè illuſtriorem, omnibus omninò tribubus imò & Gentium Eccleſiæ non ex captivitate hominum ſed diaboli & peccati per Ieſum Chriſtum verum Meſſiam conciliandam, carnali aliqua captivitate & reductione duntaxat adumbratā, nobis ob oculos poneret. Hanc prophetę mentem fuiſſe, judæos ex ejuſd. verbis credere cogimus, quæ toti promiſſioni cap. 31. v. 31. ſubjuncta ita ſonant: *Ecce dies venturi ſunt, dictum Dei, quibus pangam cum domo Iſraëlis & cum domo jehudæ fœdus novum, non ſecundum illud fœdus quod pepigeram cum majoribus eorum* (arrigite aures Apellæ) *quo die prehendi manum eorum ut educerem eos è terra Ægypti, nam ipſi irritum fecerunt fœdus meum, & ego conjugio junctus manſiſſem iis, dictum Dei, nam hoc illud eſt fœdus quod pangam cum Domo Iſraelis poſt dies hos, dictum Dei, indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inſcribam illam, & ero eis Deus & ipſi erunt mihi populus.* &c. Hunc nodum Kimchi ſolvere conatur hoc modo:

חדושה היא שתהיה קיימת לא תופר כמו שהופרה חברית שכרת ה' עם ביני
ישראל בהר סיני בזה ואומר כי הנביא נבא על תורה חדשה שעתידה להיות לא
כתורה חדשה שנתנה בהר סיני כמו שאמר לא כברית אשר כרתי את אבותם והיא
התורה חדשה שחדש להם תשובתם הרי אמר ופי' מה היא לא כברית אשר כרתי את
אבותם והם הפרו את בריתי וזות הברית לא יפרוה כי אתן תורתי בלבם ועל לבם
אכתבנת שלא תשכח מהם לעולם וכל ענין כמו שמפ' והולך כי לא תהיה חדוש
חברית אלא קיומה והרי אומר מלאכי חותם הנביאים בחתימת דבריו זכרו תורת משה
עבדי אשר צויתי אותו בחורב על כל ישראל חקים ומשפטים וכל אותה הפרשה
עתידה כמו שחתם הנה אנוכי שולח לכם את אליהו הרי אתה רואה כי לא תהיה
לעולם תורה חדשה אלא אותה שנתנה בהר סיני כמו שכתוב אשר צויתי אותו בחורב:

Novum illud quod ſtabilietur, fœdus, non fiet irritum, ſicut irritum factum eſt illud quod Deus pepigerat cum filiis Iſraël in

Monte Sinai. Et de eo fœdere loquitur, vaticinatur enim propheta de lege novâ, quæ non futura est tanquam lex nova, siquidem in Monte Sinai data erat, prout dicitur: non secundum fœdus quod cum majoribus ipsorum pepigeram; sed nova dicitur, quia resipiscentiam eorum renovabit. Hoc est quod dicit, & sic explicat dum addit: Erit istud fœdus non juxta illud quod pepigi cum majoribus eorum, & quod illi irritum fecerunt sed tale nunc fœdus erit quod nunquam irritum facient, quandoquidem legem meam in cordibus ipsorum dabo & inscribam ne ejus in perpetuum obliviscantur. Et sanè res ita se habet sicut exponit & verba sonant. Nulla futura est legis innovatio sed confirmatio tantum. Ecce enim prophetam Malachiam verborum suorum sigillo prophetas obsignantem & claudentem: Recordamini legis Mosis servi mei, quam ipsi præcepi in Choreb super omni Israele, statutorum & judiciorum. Effectum autem suum sortietur tota hæc expositio sicut ipse obsignavit: Ecce ego mittam vobis prophetam Eliam: Vides jam legem in æternum non fore novam, siquidem eadem illa futura est quæ data est in monte Sinai, prout scriptum est: Quam præcepi ipsi in Choreb. Kimchii itaq; effugium fundatur in verbis: *Indam legem meam in cordibus eorum*, unde concludit non promitti novam legem diversam ab illâ quæ data est in monte Sinai, sed novam duntaxat & accuratiorem veteris legis observationem, quam majores transgressionibus suis sæpè irritam reddiderunt. Cœterum veterem illam legem nunquam abrogandam esse, probat ex verbis Malachiæ. *Resp.* Novum illud fœdus quod propheta promittit non est veteris fœderis nova & melior observatio, sed est aliud fœdus *diversum* ab illo & quidem *melius* illo quod illius *abrogationem* includit, sicut Paulus exponit *Hebr.* 8. 6. 13. Sed quia Pauli authoritas non est tanta apud judęos ut illos convincat, succedat in ipsius locum ipse Ieremias, doceatque judæos

quid

quid per fœdus illud novum intelligat. Conferatur textus cum verbis Ierem. 3. 11. *Erit temporibus illis, ut non dicant amplius, arca fœderis Dei, neque veniat in animum neque recordabuntur ejus, neque recensebunt, nedum ut magnificetur amplius.* Vide apella, annon Jeremiæ optimè cum apostolo Paulo conveniat, dum per novum fœdus, tale fœdus intelligit, in quo Arcæ fœderis & Mosaicorum rituum nullus amplius futurus est usus. Non est itaque idem illud fœdus, quod in monte Sinai pactum fuit, sicut tu somnias, sed planè diversum ab illo. Ridicula judæorum effugia ad loc. *Ier.* 3. supra *pag.* 50. excussimus. Etiam ad loc. *Malach.* 4. supra responsum est *Pag.* 103. Quod itaque legem Dei non ceremonialem illam, quæ externa duntaxat erat neque de ejus violatione multum conqueruntur prophetæ sed moralem hominum cordibus inscribendam dicit, illud novi istius fœderis necessarium consequens futurum erat, & singulare beneficium gratia Spiritus Sancti perficiendum.

(5) Præter Mysticum sensum, qui primariò in prophetarum vaticiniis attendendus est, præsertim ubi de Ecclesia ejusque beneficiis agitur, quæ typicè & sub rerum corporalium velamine ut sæpius dictum, proponi consueverunt, si quid ad literam hic exponendum supersit, id totum si contextus probè inspiciatur, jam modò complementum suum plenè sortitum esse liquebit. Initio enim cap. 3. alloquitur propheta urbem Hierosolymam, quam contaminatam, rebellem, impiam, perfidiæ & injustitiæ plenissimam esse conqueritur, cui postquam judicia divina denunciasset, tandem solatium & liberationem ex futura captivitate promittit.

עשר אבנים טובות — Decem Lapides Pretiosi.

וכנגד עשר אותות אלו עתיד ה"בה ליסד את ירושלם עשרה מיני אבנים טובות ואלו הן אודם פטדה וברקת תרשיש שוהם וישפה נופך ספיר ויהלום וזהב הרי עשר וה"בה מוסיף עליהם בבנין בית המקדש שנים והם כדכוד ואקדח שנ' ושמתי כדכוד שמשותיך וגו'.

Pro ratione, horum decem signorum fundabit Deus Ben. Hierosolymam super decem speciebus lapidum pretiosorum qui sunt *Ez.* 28. 13. rubinus, Topasius, Smaragdus, Turcicus, Onyx, Iaspis, Chrysoprasus, Sapphyrus, Adamas, Aurum. Ecce decem. Addetque illis Deus duos ad constructionem Templi, Pyropum sc. & Carbunculum, prout dicitur *Esai.* 54. 12. *Et disponam pyropo specularia tua* &c.

DIALEPSIS.

HIC jam magister noster magistraliter ineptire incipit. Enumerat lapides pretiosos ex *Ez.* 28. 13. & quia unus ibi deest ad constituendum numerum suum denarium, supplet per vocem זהב *Aurum*, quæ in textu sequitur. Ergo aurum etiam inter lapides pretiosos numerat. Transit deinde ad locum *Esai.* 54. 12. Ubi adhuc duos alios reperit pyropum sc. & carbunculum. Ex his lapidibus conficit fundamentum urbis Hierosolymæ & templi tertii, quod longè sanè pretiosius & magnificentius erit templo primo à Salomone exstructo, cujus fundamenta licet etiam facta fuerint מאבנים יקרות *ex lapidibus pretiosis.* 1. *Reg.* 5. 17. Ejus tamen speciei tantique pretii quales hic recensentur non fuerunt, docet enim Kimchi lapides fundamentales templi primi *pretiosos* duntaxat dici שהיו כבידות משא בי אותן הם טובות ליסוד מן הקלות *Ob ponderis gravitatem quod graves jaciendis fundamentis aptiores sint quam leves.* Unde etiam sequitur, Adamantes istos, Rubinos, Topasios, Smaragdos, Iaspides, Carbunculos &c. ex quibus fundamenta urbis & templi tertii conficientur, inusitatæ magnitudinis & gravitatis fore, ut tantæ

ſtructuræ onus ſuſtinere poſſint. Si novæ Hieroſolymæ fundamenta uſq;adeo pretioſa erunt,quid de humi ſuperficie quam ſanctiſſimi iſti homines calcabunt dicendum erit? Sed videamus an locus *Ezech.* tale quid,promittat. Vaſtationem & interitum minatur propheta Regi Tyri, cujus divitias & ſplendidum ſtatum ſic deſcribit: *In Hedene horto Dei eras, omnes lapides pretioſi operiebant te, pyropus, topaſius &c.* Felicitatem, delicias, & opes iſtius regis convenienti metaphorâ ab horto Edenis & lapidibus pretioſis petita ob oculos ponit. Annon inde egregiè ſequitur, fundamenta urbis & templi tertii ex ejus modi lapidibus, teſte ſcriptura, eſſe conficienda? Locum *Eſai.* 54. 12. quod attinet. Totum caput felicem Eccleſiæ ſtatum ſub capite ſuo Chriſto metaphoricè exhibere luce meridianâ clarius eſt & Paulus id teſtatur *Gal.* 4.27. Ubi verſum primum hujus capitis de Eccleſia exponit, quo ſequentia omnia referenda. Iſta itaque ſpecularium & portarum ex pyropo & carbunculo ſtructura nihil aliud ibi eſt, quam ſplendida illa domus Eccleſiæ ædificatio per Euangelii prædicationem feliciter promovenda, tandemque in ſtatu glorię ad finem perducenda *Apoc:*21. cujus *lapides vivi* ſunt fideles omnes, qui in unum ædificati *domum* hanc ſpiritualem conſtituunt. 1. *Pet.* 2. 5. ejuſque *lapis angularis* eſt ipſe Chriſtus *Epheſ.* 2. 20. Et ſane nihil hic eſſe quod Iudæorum ſomnio faveat, vel ex ſolo verſu 7. diſcere debebant. *Ad momentum parvum dereliqueram te pauculo fervore abſconderam faciem meam momento à te.* Dicant nobis Iudæi, an tot annorum ſecula, quibus captivitas & exilium eorum, quo nullum gravius antea exſtiterat, ipſis *momentum temporis* duntaxat eſſe videantur? Quid ergo queruntur? Quare tardigradus iſte Meſſias ad deſperationem illos adigit, ſi non niſi momentum temporis adhuc in exilio tranſegerunt? Et

ut serio agamus. Quomodo gravissimum istud & diuturnum præcipuè decem tribuum per totum mundum dispersarum & à gentibus penè absorptarum exilium קצף קצף *pauculus fervor* iræ divinæ dici potest? cum tamen 2. *Reg.* 17. 18. legatur ויתאנף יהוה מאד בישראל ויסרם מעל פניו *Irâ percitus valdè in Israëlem, à facie suâ eos amovit.* Quis credat Deum ad *pauculum* duntaxat *fervorem* tam horrendis peccatis, qualia ibi recensentur fuisse concitatum? Et sanè eventus docuit non leviter fuisse offensum cum in æternum exilium populum istum à facie sua abjecerit. Unde satis liquet verba Esaiæ sensum literalem & carnalem qualem scil. judæorum vana spes & expositio postulat, non admittere.

עשרה דברים.

וכנגדן יעתיד ה"בה להשיב להם לישראל עשרה דברים שאברן ה"בה מהם וחסרן בנין בית שני שנ' וארצה בה ואכבדה ו"א חסר ואלו הן ארון וכרובים ושמן המשחה ועצי המערכה ואורם ותומים ורוח הקדש וחמשה אחרים שיעתיד ה"בה להוסיף יעל מאיר חמה שלש מאות ושלשה וארבע' כאורה של יעבשו שנ' והיה אור הלבנה כאור החמה ואור החמה יהיה שבעתים כאור שבעת הימים ביום חבוש ה' את שבר עמי ומחץ מכתו ירפא ומנין מצינו שהוא שלוש מאות ושלשה וארבעים שכן מפורש יע"י יהונתן בן עוזיאל ויהא דיהור סיהרא כזיהור שמשא וזיהור שמשא עתיד לזוהרא

Decem Res.

Iuxta horum numerum reddet Deus Israeli decem res quæ perierant, ac defecerant stante templo secundo. Prout dicitur (1) *Hag.* 1. 8. *Acceptum habebo illud & glorificabo me.* Deficiente He. Illæ autem sunt: Arca cum Cherubim, Oleum unctionis, ligna dispositionis, Vrim & Tummim, & Spiritus Sanctus. Quinque res aliæ sunt, quod Deus splendorem luminis solaris trecenties & quadragies ter majorem efficiet quam nunc est, quia dicitur (2) *Esai.* 30. 26. *Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septupla, sicut lux septem dierum, quo die obligaverit Deus fracturam populi sui, & fractionem plagæ illius curaverit.* Invenimus autem numerum hunc esse 343. uti expositum per Ionathanem filium Vsiel: Erit splendor lunæ sicut splendor solis, & lux solis splendebit lumine trecenties & quadragies ter majore, qualis est lux septem dierum. Si enim multiplices numerum septenarium per septe-

narium

בזוהר על חר תלת כאה וארבעים ותלתא כזוהר שביעה יומיא וכשאתה כופל שביעה על שבעה נמצאו תשיעה וארבעים הכפל אותם על שביעה שנ' כאור ש שביעת הימים נמצאו שלש מאות ושלשה וארבעים וכן הצדיקים עתיד ה'בה להזהירם כמני' הוה שנ' ואוהביו כצאת השמש בגבורתו ומתרגמינן ועבדוהיה צדיקיא עתידין לזיהרא כזיהור יקרא על חד תלת מאה וארבעים ותלת' כזיהור שמשא בתוקפי' הרי אלו שבעה שיעתיד ה'בה להחזירן והכתרים שנאבדו בסיני שכולם זכה בהם משה ונטלם שנא' ומשה יקח את האהל ויעתיד ה'בה להחזירן הכתיב ושמחת עולם על ראשם יעד תערי הופיך ויצאת במחול משחקים וברכת הדגן לשויין הפרות הרי עשרה.

narium, invenies 49. & hunc numerum si denuo multiplices per septenarium, (quia dicitur: Sicut lumen 7. dierum) invenies 343. Atque juxta hunc numerum Deus splendere faciet justos, quia dicitur. (3) *Iud.* 5. 31. *Diligentes eum sicut cum procedit Sol in robore suo.* Quod targum sic exponit: Et justi servientes ipsi splendebunt sicut lumen quod dicitur 343. vicibus majus, & hoc est lumen solis in robore suo. Ecce septem res quas Deus bened. restituet. Reddet quoque coronas perditas de monte Sinai quas meruerat. Moses & quas gestaverat, quod dicitur (4) *Exod.* 33. 7. *Moses verò accepit tentorium.* Eas autem Deus restituet quia scribitur *Esai.* 45. 10. *Et latitia perpetua super caput eorum.* Item *Ier.* 31. 4. *Adhuc ornabis te tympanis tuis & procedes cum choro ludentium.* Dabit quoq; benedictionem frumenti ut pretium fructuum vilescat. (5) Ecce decem.

DIALEPSIS.

(1) TAlmudica observatio seu potius inepta speculatio, est, *Hag.* 1. 8. *Ædificate domum hanc, ut acceptam habens illam glorificem me*, in voce אכבר *glorificem me*, deficere ה paragogicum, ac legendum esse non אכבר sed אכברה, quam lectionem postmodum punctatores suâ punctatione comprobarunt. Rationem defectus dicunt esse, quod in templo secundo cujus ędificatio ibi præcipitur quinque res defecerint quibus Deus non glorificatus fuit ut in templo primo, in quo exstiterant, in templo tamen tertio quando Messias venerit, restituendæ. Quinque istę res sunt: Arca cum propiciatorio & Cherubim. *Exod.* 25. 10.

25.10. Oleum unctionis *Exod.* 30. 23. Ligna disposition is sive ignis de cœlo decidens consumens sacrificia lignis imposita *Levit.* 1.7. & 9.24. (Hujus rei loco alibi ponitur שכינה Præsentia Majestatis Divinæ, quæ per sacrificiorum absumptionem se imprimis conspicuam reddebat.) Urim & Thummim *Exod.* 28.30. *Num.* 27.21. Spiritus Sanctus, id est spiritus propheticus, qui cessavit post Malachiam ultimum prophetarum. Quid verò de restitutione harum rerum in templo tertio sperandum sit, ex verbis *Ierem.* 3.11. Supra contra Iudęos vindicatis est manifestum. De arca enim fœderis quæ harum quinque rerum prima est, expressè ait illam in æternum non restituendam, adeò etiam ut ne quidem recordabuntur ejus. Idem de reliquis esto judicium.

(2) Author noster quinque hisce rebus non contentus, iis quinque alias ut numerum suum mysticum, id est denarium inveniat, superaddit. Earumque prima est luminis solaris incrementum planè miraculosum. Quando enim Messias venerit, lumen solis trecenties & quadragies ter splendidius efficietur. Miserrimi tenebriones in tantâ obscuritate versantur, ut vulgaris lucidissimi astri splendor, licet totum terrarum orbem & universam cœlorum concavitatem illuminet, tamen tenebris ipsorum discutiendis non sufficiat, nisi 343. major fuerit. Utinam mentibus eorum vel minima luminis spiritualis portio accederet, sic facilè luminis externi incrementum quod in corpore solis frustra desiderant, compensaretur. neque operosa ista & vanâ luminis multiplicatione, quam hic noster cum Ionathane Chaldæo delirans instituit, indigerent. Sed videamus an locus Esai. ita ad literam torquendus sit. Solus Kimchi ineptæ huic expositioni confutandæ sufficiet, eâdemque opera genuinum loci sensum nobis ostendet. רוב המפרשים פ' פסוק זה לעתיד ויש

שפי'

שפי׳ כמשמעו ואינו נכון ויש שפי׳ משל לרוב הטובה שתהיה לעתיד בימי המשיח
וכן הוא אבל לפרשו גם כן משל בימי חזקיהו שיהיה להם טובה רבה אחרי מות
מחנה אשור והתשועה ממנו היתה גדולה וכמו שקורא הצרה חשך ואפלה כמו
שאומ׳ שמש וירח קדרו והכוכבים אספו נגתם והפסוקים הדומים לזה כן יקרא
התשועה אורה כמו שאימר ליהודים היתה אורה ושמחה לא שהוסיף להם אור השמש
ואור הלבנה אלא ששועה היא האורה וכן לא יבא עוד שמשך וירחך לא יאסף
עוד והדומים לזה *Multi expositores hunc versiculum de temporibus futuris exponunt, etiam nonnulli illum ad literam intelligunt, quod non convenit. Alii illum sumunt allegoricè, ad denotandum bonum, quod erit in diebus Messiæ, & sic quidem res sese habet. Sed imprimis Metaphorica locutio est ad dies Ezechiæ, quibus ingens beneficium Israëli obtingere debebat post interitum exercitus Assyriorum. Et sanè salus inde parata maxima fuit. Prout itaque anguſtia assimilatur tenebris & obscuritati, juxta Joel.2.10.* Sol & Luna obscurabuntur,& stellæ aufferent splendorem suum, & *locos similes huic, sic salus vocatur lux. Estque ac si dixisset: Erit judæis lux & lætitia. Non quod luci solis & lunæ incrementum daturus sit Deus, sed quod salus ipsorum lux futura sit, quod verbis Esai.* 60.20. *optimè illustratur: Non occidet amplius sol tuus & luna tua non recipiet se, nam Deus tibi erit luci perpetuæ & completi sunt dies luctus tui.* Posteà ubi tempus istius lætitiæ indicatur à prophetâ in verbis: *Quo die obligaverit Deus fracturam populi* &c. addit idem Kimchi. אם לעתיד
ביום קבוץ גליות או אחר מלחמת גוג ומגוג ועליו יתפרש לזה הפ׳ הפסוק
שלפני זה ביום הרג רב שלא תהיה אחר המלחמה ההיא צרה בעולם ובאלו יהיה
כל העולם אורה ואם בימי חזקיהו אחרי מות מחנה אשור ולענין הפרשיות האלו
לפני הפסוקים הבאים האלה ולאוריהם יראה הענין הזה בימי חזקיהו כמו שפי׳
וכן דעת הגדול רבי משה מ׳מון ז״ל ופירוש כאור שבעת ימים שבעת ימי חנכת
שלמה *Si de tempore collectionis exulantium tribuum Israëlis hoc intelligatur, sive quod immediatè sequetur bella Gog & Magog, eoque referatur versus præcedens, ubi de cæde magna sermo est. Sensus erit, post istud bellum nullam amplius calamitatem fore in mundo, eritque ac si totus mundus esset lux.*

lux. Sed ſi de tempore Ezechiæ, ſic ſe res habebit poſt interitum exercitus Aßyriorum. Præferentiam autem harum expoſitionum quod attinet, ſi ratio textus habeatur, & hic verſus conferatur cum ſequentibus, videbitur illam de diebus Ezechiæ eſſe potiorem ſicuti explicavimus, & hæc quoque eſt ſententia magni noſtri magiſtri Moſis Majemonidis b. m. Cæterum, lux 7. dierum eſt ſicut 7. dies initiationis Salomonis. Hic Kimchi virum ſe præſtitit, nec ullibi melius. In tres ſententias diſpeſcit expoſitiones hujus verſiculi. *Prima* eorum eſt qui ad tempora Meſſiæ referunt verba prophetæ & ad literam illa referunt ſicut hic noſter poſt Ionathanem Paraphraſtam & R. Salomonem. Hanc ſententiam rejicit & rectè, nugari enim hoc eſt non ratiocinari. Nam ſi lumen Solis erit ſicut lux 7. dierum, & lux Lunæ ſicut lux ſolis, nullæ tum amplius erunt noctes. Nox enim nihil aliud eſt quam non lux, vel negata lux, i.e. tenebræ, tenebris autem non daretur locus ſi lux lunę eſſet ſicut lux ſolis. Cui contradicitur *Gen.* 9. 22. *Quamdiu erit terra dies & nox non ceſſabunt. Secunda* eorum eſt, qui quidem ad dies Meſſię iſta referunt, ita tamen ut Metaphoricam locutionem agnoſcant, eo ſenſu quo Kimchi optimè expoſuit, quam expoſitionem amplectuntur Chriſtiani, verbis illis felicē fidelium ſtatum, eximia dona, eorum incrementa & ęternam animarum lętitiam ſub capite Chriſto vero Meſſiâ denotantes, quibus judæi potius beneficia corporalia, & carnalia gaudia figuratè contineri credunt. Et ſic quidem ſi Chriſtianorum ſenſus obtineat, per *cædem magnam* de quâ verſ. præced. non judæorum bellum contra Gog & Magog ſed generalis hoſtium Eccleſiæ deſtructio intelligenda erit. Hæc licet ſcripturæ analoga ſint, vaticinium tamen hoc non ita laxé ſumendum, ſed ad ſenſum magis hiſtoricum accommodandum, *tertia* expoſitio docet. Ea autem bimembris

eſt

eſt. Alii enim cædem illam magnam de deſtructione regni Babyloniorum per Medos & Perſas, de quâ *Eſai.* 13. 15. Uſq; 18. interpretantur, quam lætitia illa Eccleſiæ judaicę per luminis ſolaris & lunaris incrementum figurata ſubſequetur. Sed habita textus ratione præcipuè verſus 31. alii potius per cędem magnam, miraculoſam illam deſtructionē exercitus Aſſyriorum, cujus dux erat Rabſacke tempore Ezechiæ. 2. *Reg.* 35. intelligunt. Et hæc eſt expoſitio Kimchii, quē ex Chriſtianis non pauci ſequuntur.

(3) Unum abſurdum trahit aliud. Somniat Ionathan Chaldæus lumen ſolis tum fore *in robore ſuo Iudic.* 5. 31. quando erit lux 7. *dierum Eſai.* 30. 26. id eſt quand 343. vicibus erit auctius. Quo nihil ineptius. Dicat Kimchi quid ſit *ſol in robore ſuo.* כצאת השמש בבוקר שהולך ואור עד שהוא בגבורתו והוא חצי היום כן יהיו אוהבי השם ית׳ הולכים וחזקים *Quando Sol tempore matutino oritur lux ipſius promovendo augetur, donec robur ſuum conſequatur, quod eſt in meridie. Sic diligentes Deum promoventes corroborabuntur.* In hanc quoque ſententiam loquitur R. Levi. Et ſic rectè.

(4) Variè quidem diſceptatur, quale illud tabernaculum fuerit de quo ibi Moſes, quandoquidem Tabernaculum Sanctuarii quod in Monte Sinai delineatum fuit, tum temporis nondum erat confectum. Vide Interpretes. Quo autem argumento tertio figmentum de Coronis moſis inde exſulpatur nō video. Illud ſolummodo addo loco *Eſai.* 35. 10. & 51. 11. promitti liberationem ex captivitate Babylonicâ, & reditum ad Zionem cum gaudio & exultatione, typicè verò liberationem ex captivitate Diabolicâ, & felicem animarum reditum a regno peccati & Satanæ ad ſtatum gratiæ & gloriæ per Ieſum Chriſtum. Neque *lætitia ſuper capitibus* coronas notat capitibus geſtandas, ut hic ſomniat ſed eſt דרך משל כי יאמרו קומתיות ראש נשוי בשמחה *Locutio figurata qua denotatur, illos*

cum erectione capitis per lætitiam elevati inceßuros, ut ait Kimchi. Eandem promiſſionem repetit Ieremias cap. 31. 4. figurato ſermone prophetis aſſueto, quo typicè futurum Eccleſiæ Ieſu Chriſti ſtatum repreſentant, adeò ut in hiſce & ſimilibus locis nihil fundamenti ſit quo carnale iſtud Iudæorum gaudium & futura lætitia niti poſſit.

(1) *Eccè decem.* Decem ergo res illæ per Meſſiam reſtituendæ quas ſatis obſcurè enumeravit, hæ ſunt. 1. Arca fœderis cum Propitiatorio & Cherubim. 2. Oleum unctionis. 3. Ligna diſpoſitionis ſive ignis cœleſtis & præſentia Majeſtatis Divinæ. 4. Urim & Thummim. 5. Spiritus ſanctus. 6. Incrementum luminis ſolaris & lunaris. 7. Splendor Iuſtorum. 8. Coronæ Moſis. 9. Tympana tripudiantium. 10. Annonæ vilitas.

עשר נחמות

ובנגדן עשרה מיני הנחמות
והבטחות שהבטיח ה"ברה ל
לישראל שהן עקר הנחמות ו
והשאר ענפים שלהם ראשונה
ביאת הגואל שנ' הנה מלכך יבא
לך וגו' שניה לקבוץ גליות ש
שנאמר בירמיה הנני מביא אותם
מארץ צפון וקבצתים מירכתי א
ארץ בם עור ופסח וגומר מהו
עור ופסח מלמד שכל צדיק ח
חוזר כמו שהוא נפטר מזה העולם
מ' שהוא עור חוזר בתחיתו עור
מ' שהוא פסח חוזר בתחיתו פסח
וכן כל המומין בשביל שיהיה כל

Decem Consolationes.

Viciſſim etiam decem ſunt ſpecies conſolationum & certitudinum quibus Deus conſidere facit Iſraelem, & quæ iſtarum conſolationum radix ſunt unde veluti rami dependent. Prima eſt adventus redemptoris dicitur enim *Zach.* 9. 9. (1) *Ecce rex tuus venit tibi.* Secunda, congregatio captivitatum, quia dicitur (2) *Ier.* 31. 8. *Ecce ego adducam illos è terra aquilonis & congregabo illos è lateribus terræ, inter ipſos cæcum, claudum* &c. Quid illud, cæcum & claudum? Docet unumquemque juſtorum reverſurum ſicut ex hâc vitâ exceſſit, qui fuerit cæcus in vitam redibit cæcus, qui fuerit claudus in vitam redibit claudus, atque ita cum omnibus nævis ſuſcitabuntur, eum in finem ut quiſque ſocium ſuum poſſit cognoſcere, ne quis dicat alias eſſe creaturas, poſtea tamen Deus

ipſos

אחר ואחר מכיר את חברו שלא
יאמרו בריות אחרים הם אלהה
ואחר כך מרפא הב"ה אותם שנא"
אז ידלג כאיל פסח ותרון לשון
אלם שלישית תחיית המתים שנ'
בדנ' ורבים מישני אדמת עפר
יקיצו וגו' רביעית בנין בית ה
המקדש כמראה בנין שראה י
יחוקאל בנבואתו חמישית שעתידים
ישראל למלך על כל העולם כולו
משפה לשפה שנא' כי הגוי
והממלכה אשר לא יעבדוך יאבדו
וגו' וחזרין כל העולם כולו על
דינו של הב"ה לתורתו שנא'
אז אהפך אל עמים שפה ברורה
לקרא כלם בשם ה' ששית שעתיד
ה"בה לאבד את כל אויביו ויעשה
בהם נקמות שנ' ונתתי את נקמתי
באדם וגו' שביעית שה"בה יסיר
כל מחלה וכל נגיע מישראל שנא'
ובל יאמר שכן חליתי העם הושב
בה נשוא עון שמינית שה"בה מ
מאריך ימיהם של ישראל כעץ
שנאמר כימי העץ ימי עמי וכתיב
בישעיה כי הנער בן מאה שנה
ימות והחוטה בן מאה שנה יקולל
וכתיב בלע המות לנצח ומחה
ה' דמעה מעל כל פנים תשיעית
שעתיד ה"בה להגלות לישראל
עין בעין שנא' ונגלה כבוד ה' וראו
כל בשר יחדו ועוד לעשות כל
ישראל נביאים שנא' ביואל והיה
אחרי כן אשפוך את רוחי על כל

ipsos sanabit, juxta illud (3) *Esai. 35. 6. Tunc saliet claudus sicut cervus & cantabit lingua muti.* Tertia. Resurrectio mortuorum prout dicitur (4) *Dan. 12. 2. Et multi ex dormiētibus in pulverulentâ terrâ expergiscētur* &c. Quarta. (5) Ædificatio Templi juxta visionem Ezechielis in prophetia suâ. Quinta. Regnum Israelitarum super toto mundo ab uno mari ad aliud, sicut dicitur (6) *Esai 60. 12. Nam gens ipsa & regnum quæ non servient tibi peribunt* &c. Redibitque totus mundus ad judicium Dei, ad legem ejus, juxta illud *Zep. 3. 9.* (7) *Tunc mutabo in populis labium ut purum sit, quò invocent omnes nomen Dei.* Sexta. Quod Deus perdet omnes hostes suos, ac de illis vindictam sumet, prout dicitur (8) *Ez. 25. 14. Edamq; ultionem meam in Idumæo* &c. Septima, quod Deus auferet omnem morbum, omnemque plagam ab Israële, juxta illud (9) Esai. *33. 24. Neq; dicet habitator, ægrotus sum, populus habitans in eâ servatus erit ab iniquitate.* Octava. Quod Deus prolongabit dies Israelitarum instar arboris, juxta illud (10) *Esai. 65. 22. Sicut dies arboris erunt dies populi mei.* Et scriptum est *Esai 65. 20. Nam puer natus centum annos morietur, peccator autem natus centum annos maledictus erit.* Et scriptum est (11) *Esai. 25. 8. Absorbebit ipsam mortem in victoriam, & absterget Dominus Deus lachrymas ab omnibus facicbus.* Nona. Quod Deus revelabitur Israeli oculo ad oculum quia dicitur, (12) *Esai. 40. 5. Et revelabitur gloria Dei, & videbit omnis caro pariter.* Etiam omnes Israelitas prophetas efficiet, prout extat (13) *Ioel. 3. 1. Et erit postea ut effundā spiritum meum super omnem*

בשר ונבאו בניכם ובנותיכם וגו׳ עשרית עתיד הב״ה להסיר יצר הרע וכל דבר רע מישראל שנא׳ ונתתי להם לב אחד ורוח חדשה אתן בקרבכם והסירתי לב האבן מבשרם ונתתי להם לב בשר.

סליקו מלחמות
המשיח לבנו
מיראתך אל תקשיח.

carnem & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ &c. Decima. Aufferet Deus cogitationem malam & omnem ſermonem malum ab Iſraele, prout dicitur. (14) *Ez.* 11.19. *Et dabo illis cor unum & ſpiritum novum dabo in medio veſtri, & amovebo cor lapideum à carne eorum & dabo eis cor carneum.* Finiunt Bella Meſſiæ. Corda noſtra à reverentia tui ne obdures *Eſai* 63.17.

DIALEPSIS.

(1) NObiliſſimum hoc vaticinium in magnas anguſtias conjicit Iudæos. Alii illud ad Meſſiam pertinere nobiſcum fatentur, uti hic videmus. Alii è contra illud detorquere ſtudent quantum poſſunt. Ratio eſt quod duo membra contineat. Primum: *Exulta filia Zionis, ecce rex tuus adveniet tibi Iuſtus & ſalute præditus.* Secundum *Pauper & vectus aſino.* Quantum prius membrum fidei ipſorum favere videtur, tantum poſterius officit. Meſſiam enim exſpectant non pauperem & vectum aſino ſed omnibus numeris divitem & glorioſum. Hinc eſt quod nonnulli prioris membri dulcedine abrepti, Meſſiam eo denotari concedant, alii verò poſterioris ignominia deterriti longius ab iſtâ opinione recedant. Priores ſimiles ſunt urſis qui mellis alvearia invadentes, apum aculeis ſe pungi facilè patiuntur, poſteriores felibus, quæ flumen tranſire malunt quam piſcibus capiendis madefieri. Audiamus primò Aben Efram. זאת תחלת הפרשה והמפרשים חתחלקו בה י״א כי זה הוא משיח בן דוד וי״א משיח בן יוסף ורבי משה הכהן אמר כי הוא נחמיה וכהוב ביעזרא עליו מלך ביהודה על כן אמר עני ורוכב על החמור כי אם הבחמה לא הוכיר כום מבלי יכולת כי עני הוא ולא דבר נכון כי פחה היה ולא נקש לחם הפחה מישראל. ובכל יום יאכלו רבים על שולחנו ואין לא היה לו כום ועוד מה טעם על בניך יון ובזמן נחמי׳ לא משלו יונים על ירושלם ולפי דעתי כי זה המלך יהודה בן חשמונאי שהיה גבור בתוב וישמחיך כחרב גבור ודו גבר׳ על היוני׳ ובתחלתו לא היה לו לא עשר ולא מום מ

Ini-

Initium ſectionis hoc eſt, ſuper cujus expoſitione interpretes admodum inter ſe diſſentiunt. Nonnulli dicunt hunc regem eſſe Meſſiam Ben David, alii Meſſiam Ben Ioſeph. Rabbi autem Moſes Hoccohen ſtatuit eſſe. Nehemiam quod is in lib. Eſra (Nehem. 6. 7.) *Rex Iehudæ vocetur, dicaturque Pauper & vectus aſino, jumenti duntaxat mentione facta non equi propter inopiam quia pauper erat. Sed iſta ſtatum Principis minimè decebant non enim ſolebat princeps panem petere ab Iſraelitis ſed è contra quamplurimi quotidie menſæ ipſius aſſidebant. Quomodo ergo equum non habuiſſet; Præterea quis eſſet ſenſus verborum?* Contra filios tuos, O Græcia! verſ. 13. *Cum tempore Nehemiæ non dominati ſint Græci ſuper Hieroſolymâ. Iuxta meam itaque ſententiam, rex hic eſt Iudas filius Aſmonæi qui potens admodum fuit ſecundum illud quod ſcriptum eſt* verſ. 13. ſeq. Et ponam te tanquam gladium potentis, *manus enim ipſius contra Græcos prævaluit, & ab initio neque divitiæ nec equi ipſi fuerunt.* Sive hic elegeris ſententiam R. Cohen, ſive Aben Eſræ, periit Rabbino noſtro prima hæc conſolatio, quâ animos judæorum ſuorum erigit, ſi alterutra vera ſit. Sed qui in contraria ſunt ſententia, non tantum ad Meſſiam hoc vaticinium referunt, ſed etiam ſe ad hac faciendum cogi exiſtimant, ſic enim loquitur R. Salomo. אי איפשר לפותרו אלא על מלך המשיח שנ'בו ומשל מים ועד ים ולא מצינו מושל לישר כזה בימי בית שני *Non eſt poſſibile, locum hunc aliter exponi quam de Meßia, dicitur enim* (v. 10). *dominaturus à mari uſque ad mare, ſub templo autem ſecundo nemo fuit qui tam latum imperium habuerit.* Tempus itaque quo Zacharias vaticinatus eſt iſtam neceſſitatem de Meſſia locum intelligendi imponit, aliorum enim prophetarum vaticinia quæ tali Meſſiæ qualem illi fingunt minus convenire vident, detorquere ſtudent, alii ad regem Ezechiam alii ad alium quendam, ſed quia Zacharias ſub templo ſecundo vaticinatus eſt, nemi-

neminem ibi habent præter futurum Messiam ad quem commodè ista referant vid supra p. 13. Æque facilè quidem erat R. Salomoni refellere opinionem Aben Esræ de Iudâ maccabæo dictum intelligentis, idque ex verbis *dominabitur à mari usque ad mare* quod de Iudâ dici nequit: quam fuit Aben Esræ refutare expositionem R. Mosis Haccohen de Nehemia, Sed quæritur jam quomodo de Messia locum intelligens sibi ipsi satis faciat, & imprimis Christianis qui membrum illud secundum: *pauper & vectus asino* urgent contra Iudæos. Feris enim similes sunt isti homines qui venatorum retia devitant quantum possunt, ubi verò se irretitas senserint, conantur eluctari. Eod. modo Rabbini vaticinia minus Messiæ suo faventia detorquent quantū possunt, hic verò quoad maximā eorum partē se irretitos sentiunt, cum sub templo secundo neminem videant in quē ista quadrent, adeo ut ad Messiam necessariò recurrendum sit. Hoc itaq; opus hic labor jam erit, ut despiciant hic quomodo pedem extrahere, & offensam quam Zacharias illos bibere cogit, digerere possint. R. quidem Salomo qui imprimis Messiam hic urget manus quasi dare videtur, quia nodum hunc silentio præteriens intactum relinquit, nihilque ad verba *vectus asino* addit quam quod esse dicat ענוה מדת *humilitatis proprium sive indicium.* Kimchi autem hoc modo se extricare conatur עני כמו ענוי וכתי" ענותן וכן אמר בנבואת ישעיה לא יצעק ולא ישא קנה רצוץ לא ישבור וגו' ורוכב על חמור לא מחכרון שהרי כל היעולם יהיה ברשותו אלא מענוה ירכב על חומר ויעוד להורות כי לא יצטרכו ישראל לסוסים ולרכב לפיכך אמר אחריו והכרתי רכב מאפרי' וסוס מירושלם *Pauper. i. e. humilis* (quasi עני pro ענוי) *Idque Iuxta expositionem Ionathanis, & sic dictum in vaticinio Esaiæ*: Esai. 42 2. Non vociferabitur neq; attollet, arundinem quassatam non franget &c. *Vectus asino dicitur non ex inopiâ, totus enim mundus erit in ipsius potestate, sed ex humilitate, tum ut ostendat, equis & curribus*

sibus tum temporis Israelitis non fore opus, quia vers. seq. additur, Exscindam currus ex Ephraimo, & equos è Ieruschalaimis. Posterior hæc Kimchianæ solutionis pars admodum frivola est: manifestum enim est prophetam vers. 10. *Per equos, currus, arcum bellicum* &c. totum apparatum bellicum intelligere, quem Deus exscindet, quia rex ille promissus pacem universo populo conciliaturus est. An inde concludetur, equorum usus bellicus abrogabitur ergo nullus amplius equorum sed asinorum duntaxat usus erit? Quæ sanè consequentia admodum ridicula est & tanto Rabbino indigna. Præcipuum itaque quo scrupulum hunc eximere conatur, est quod phrasin Propheræ emolliat, exponendo vocem עני *pauper* per ענו *humilis, mansuetus*, sicut reddidit Ionathan Chaldæus, atque ita regem hunc Messiam à paupertatis contumelia se liberasse existimat. Sanè si rem ipsam spectemus, agnoscimus *paupertatis* & *humilitatis* qualitates sicut utriusque vocabula in Hebræo admodum vicina sunt, sic quoque necessitatis quodam vinculo connexas in eod. subjecto concurrere, adeò ut si non propriè, saltem non ineptè 70. interpretes reddiderint עני *Pauper* per vocem πτωχὸς seu πραὺς *mansuetus, humilis*, quæ etiam *Matth.* 21. 5. retenta est, Concedimus etiam, quando *asino vectus* dicitur, illud fortè non tam paupertatis quam humilitatis & mansuetudinis fuisse indicium. Neque contradiceremus Kimchio, quando totius mundi divitias in potestate Messiæ esse affirmat, si divinam ejus naturam nobiscum agnosceret. Velle tamen vocabulorum significationes inter se confundere, ita ut עני propriè *pauper* hic tantum impropriè notet *humilem* & quidem cum omnimodâ paupertatis exclusione, illud Kimchio non concedimus, neque vocis עני natura hoc patitur, quæ non *virtute* humilem, (id enim עני significat) sed *conditione* humilem id est, pauperem,

oppreſſum, afflictum, abjectæ ſortis hominem denotat. Et hinc nomen ſubſtantivum עני ab עני *Paupertas*, *afflictio*, *oppreſſio*, accuratè à ſubſtantivo ענוה ab ענו *Humilitas*, *manſuetudo* diſtinguitur, hoc enim *virtutis* nomen eſt, illud *conditionis*, hoc qualitatem notat quæ in homine divite, rebus proſperis utente & authoritate pollente locum habere poteſt, illud autem hominis abjecti ſortem ab omni mundana proſperitate remotam. Utitur itaque Zacharias non nomine ענו ſed עני ut doceat non humilitatis duntaxat & manſuetudinis virtutem ſed & paupertatis humilem & abjectam conditionem in Meſſia fore conſpicuam. Quod autem 70. reddiderint עני per πραΰν illud factum non tantum quia עני & ענו erant voces vicinæ, ſed etiam quia à paupertate ad humilitatem argumentari proclive erat, vir enim pauper ſolet eſſe humilis, econtra autem virum humilem eſſe pauperem ideò quia humilis eſt non tam facilè ſequitur. Contrarium liquet in exemplis Abrahami, Davidis, Iobi &c. Unde ſequitur, quia עני & ענו diverſas qualitates denotant, non debuiſſe Kimchium illas confundere, neque vocis עני propriam ſignificationem diſſimulare, uti nec fecerunt R. Moſes Haccohen & Aben Eſra, qui ea de cauſa ad Meſſiam venire noluerunt quod ſcil. paupertatis conditionem in ipſo admittere nollent, ſicut ſupra vidimus. Sed fortius ſtringet virorum Talmudicorum authoritas, qui in *Gem.* libr. *Sanhedrin* opportuna quadam (uti ipſis videtur) diſtinctione ſcrupulum hunc eximentes ſatis oſtendunt, quo ſignificatu nomen עני ſumendum ſit, his verbis: אמר ר' אלכסנדראי יהושע בן לוי רמי כתב בעיתה וכתיב אחישנה לא זכו בעתה ואמר ר' אלכסנדראי ר"ל רמי כתיב וארו עם ענני שמיא כבר אנש אתי וכתיב עני ורוכב על חמור זכו עם ענני שמיא לא זכו עני ורוכב על חמור אמר ליה שכור מלכא לשמואל אמריתו משיח על הבורא אתי אישרר ליה אנא סופיא כרקא ראית לי

& pau-

& paulò post אמינה ליה אימת אתי משיח אמר ליה זיל שיליה לחיוריה והיכא יתיב אפיתחא דרומי ומאי זימניה יתיב בין עניי סובלי חולאים וכלן שרו ואסירי בחד איהו שרי חד ואסיר חד אכיר דלמא מיבעינא דלא איעכבנא: *Dixit R. Alexander R. Iosuam filium Levi objeciſſe: Scriptum eſt*, in tempore ſuo. Eſai. 60. 22. *& ſcriptum eſt*, accelerabo illud. Ibid. *Diſting: ſi mereantur*, (Judæi) *accelerabo illud*, (ſc. adventum Meſſiæ) *ſi non mereantur, tempore ſuo* (veniet.) *Dixit etiam R. Alexander, R. Iosuam filium Levi objeciſſe: Scriptum eſt*, Ecce in nubibus cœli velut filius hominis veniet. Dan. 7. 13. Et *Scriptum eſt*: Pauper & vectus aſino Zach. 9. 9. *Diſting: Si mereantur, veniet in nubibus cœli, ſi non mereantur, pauper & vectus aſino. Rex Sabor dixit Samueli: dicitis Meſſiam venturum vectum aſino, mittam ego ipſi equum ſplendidum* (ברקא, vel *balii coloris* uti vertit Ioh. Coch. vid. Buxt. Lex. Talm. בריק) &c. Et paulò poſt: *Rogavi ego ipſum* (Eliam) *quando adſuturus eſſet Meſſias: Reſpondit: Abi & interroga ipſum, dixi ubi eſt? Reſpondit: ſedet ad portam Romæ: Quo ſigno agnoſcam illum, dixi. Reſpondit. Sedet inter pauperes oneratos ulceribus, ſinguli ulcera ſua omnia ſimul ſolvunt & poſtea obligant, ille unumquodque quamprimum ſolvit ſtatim obligat. Rationem dixit, ne ſi forte venire juſſus fuero, nihil mihi in mora ſit.* Sive Rabbini futiles ejuſmodi Talmudicorum ſuorum ſermones allegoricè exponant ſive ad literā, impræſentiarū mihi perinde eſt. Sufficit hic annotaſſe, illos locum Zachariæ de humili & abjecta Meſſiæ conditione intelligere, ſtatuentes utique illum gloriosè & in nubibus cœli adventurum ſi ſcil. tali adventu digni ſint judæi, ſi verò digni non ſint, ejus adventum fore humilem & abjectum, qualis ſcil. per vocem עני denotatur. Neque excipere poterunt, de Meſſia Ben Joſeph varicinium eſſe exponendum, idem enim ille Rex pauper & vectus aſino, ſalutem allaturus, & ab uno mari ad aliud dominaturus dicitur, quod ad Meſſiam

Ben Joseph in prælio Armilliano occidendum, juxta fidem judæorum, referri nequit. Quomodo autem in Christo servatore tota hæc prophetia ad amussim adimpleta sit, Christiani interpretes perspicuè docent.

Hactenus interpretes Hebræi & Talmudistæ. Antequam verò ulterius progrediamur, audiamus etiam magnum nostrum antagonistam Lipmannum, causæ judæorum patrocinantem hoc modo: הנוצרים מפרשים את זאת על הנוצרי וסמכו לדבריהם שעל כתפות החמור נראית כשתי וערב והנה ראית דומה לדברי המין שאמר אם ה"בה שונא ע"ז למה אינו מבטלה והשיבו לו רז"ל אפי היו עובדים רק לדבר שאין בו ממש יפה אתה אומר אבל גוים גם מקנתם גם עובדים לחמה וללבנה וצבא השמים וכי בשביל השוטים הטועים יחריב עולמו גם אין לשאל שיבטל אותו ע"ז לבד שאין בהם צריך בי אז יסיפו לטעות העובדים לצבא השמים כששאד ע"ז לוקים ושלהם אינ' לוק' וכן יש להשיב על ראיה זו וכי בשביל השוטים הטועים ישנה טבעי בריותיו גם גנאי גדול להם שיביאו ראייה מן יצידת הבריות שהר כל אדם המונח על פניו ופושט רגליו נראה שתי וערב לפני אחוריו גם הפסוק אין לפרוש על הנוצרי כי הפרשה מסיימת ונכרתה קשת מלחמה ומושלו מים ועד ים מנהר עד אפסי ארץ ועוד שגם אמונת הנוצרי וממשלתו איגה בכל העולם ועוד גנאי להם שקוראים לאלהיהם עני. *Christiani referunt vaticinium hoc* pauper & vectus asino *ad Nazarenum, ratio autem qua nituntur, est, quod humeri asini formam staminis & subtegminis* (i. e. crucis. vid. Buxt. lex. Rad. ערב) *referre videantur. Argumentabor autem ego ad similitudinem verborum hæretici cujusdam interrogantis, si Deus odio habet idola, quare illa non tollit? Cui responderunt Rabbini b. m. si homines tale quid tantum colerent cui nihil ineſt solidi, neque utilitatis rectè moneres tolli debere idola, jam verò maxima pars gentium colit solem & lunam, & exercitum cœlorum, an ergo propter fatuos idololatras vastaret mundum suum? Etiam petendum non est, ut talia tantum idola tollat, quæ ex rebus non necessariis confecta sunt, sic enim idololatriam suam circa cœlorum exercitum vehementer augerent homines, quod alia idola percussa viderent, illa verò non item. Eodem modo respondendum ad hanc probatio-*

bationem, an propter fatuos idololatras mutabit Deus naturas creaturarum suarum? Turpe etiam è creaturarum formatione velle argumentum ducere, omnis enim homo super faciem cubans & pedes extendens formam crucis à parte posteriori refert. Præterea versus iste nullo modo de Nazareno exponi debet, determinatur enim sensus in verbis illis: exscindetur arcus bellicus, & dominatus ejus à mari usque ad aliud, & à flumine usque ad fines terræ. *At post adventum Nazareni arcus bellicus relictus est ut antea. Neque etiam fides Nazareni ejusque dominium per totum mundum extenditur. Adde ignominiosum ipsis esse quod Deum suum appellent pauperem.* Dicit nebulo, Christianos à dorso asini quod figuram crucis referat, argumentum ducere, vaticinium hac pertinere ad Jesum Nazarenum. Impudentius calumniandi & obtractandi genus ne quidem ipse Diabolus excogitare potuisset. Quod diabolicam hominum istorum malitiam arguit, qui præ summo in Christianam religionem odio in furorem abrepti crassissimis eam conspuere mendaciis omni pudore exuto non verentur. Cœterum rationibus quibus à Christo vaticinium hoc amoliri conatur Lipmannus, confutandis non immorabor, quia in eundem semper lapidem impingit, dum divinam in Christo naturam, statum humilitatis in Messiâ ejusque spirituale regnum agnoscere pertinaciter recusat, quæ materia semel in thesi contra ipsos pertractata, in quavis hypothesi perpetuę confutationis vicem præstare potest. Videantur etiam interpretes Christiani ad hunc locum.

(2) Supra pag. 146. &c. scopum Ierem. capp. 33. & 31. ostendimus & evicimus, sensum totius contextus præcipuè spiritualem & mysticum esse, & si præter spiritualem etiam literalis alicubi obtineat, id per reductionem ex captivitate Babylonica impletum esse, nullatenus ad futuram aliquam omnium tribuum reductionem referen-

dum. Hoc vel imprimis obſervare licet in verbis verſus 8. cap. 31. Ubi per *reductionem ex terra aquilonis*, Babylonicæ captivitatis ſolutio intelligitur, terra enim *Aquilonis* eſt *Babylon*. Confer hunc locum cum *Ier.* 1. *verſ.* 3. 13. 14. 15. Ubi Jeremias de *Iuda* & *Hieroſolyma* in terram *Aquilonis* quæ *Babylon* erat abducenda vaticinatur. Si quis autem objicere velit Aſſyriam & Mediam aliaſque regiones adjacentes, quo decem tribus abductę ſunt, partes judeæ ſeptentrionalis eſſe, adeoque earum inde reductionem promitti. Concedi id poteſt, modò non de univerſis tribubus ſed partibus duntaxat tribui judæ inferendis, uti ſupra declaratum fuit, intelligatur. Frivola autem eſt conſequentia illa quam noſter ex iſto loco educit, cœcos nimirum, claudos &c. tales quoque futuros in reſurrectione, ut à ſociis agnoſci poſſint poſtea tamen à Deo ſanandos. Sive enim ad literam prophetæ verba ſumantur ſive myſticè, nihil ibi de ſtatu corporum poſt reſurrectionem. Neque etiam hoc volunt interpretes Hebræi, qui per cœcos & claudos illos intelligunt qui unà cum aliis ex captivitate in terram Iſraelis, antequam moriantur, reducendi ſunt, ſcilicet כל כך יבאו בנחת שאפילו העור והפסח שיתו בם והחרה והיולדת ילכו לאטם *tam placidè in patriam revertentes in itinere ſuo proceſſuros ut etiam cæci, claudi, prægnantes & parturientes, licet lento gradu incedant, commodè tamen ſequi poſſint*, ut ait Kimchi. Sit ita. Neque enim hominibus iſtis litem movemus, quo modo cœcis & claudis proſpicietur in itinere, ſed quæſtio tantum de cujus captivitatis ſolutione loquatur propheta, utrum Babylonica illa fuerit, an verò alia adhuc futura. Poſterius ſupra fuit negatum.

(3) *Saliet claudus, cantabit lingua muti* &c. Non demum poſt mortuorum reſurrectionem, ſed ante eam. Kimchi qui hic de mortuorum reſurrectione non cogitabat,

bat, neſciens quo ſenſu ad tempora Meſſiæ hanc prophetiam referret, ad allegoriam confugit, dicitque Iſraelitas in captivitate eſſe inſtar cœcorum, ſurdorum, mutorum &c. tales autem non fore temporibus Meſſiæ. Sed nimis jejuna eſt iſta expoſitio. Recenſet propheta miraculoſam mentium per euangelii prædicationem & corporum ſanationem virtute Meſſiæ perficiendam, quam Chriſtus ſervator noſter, ad quem vaticinium hoc ſpecta, reverà præſtitit. Vide *Mat.* 11. 5. &c.

(4) Celebre eſt vaticinium Danielis, & *multi ex dormientibus expergiſcentur*, de quo judæorum placita ex verbis Aben Eſræ cognoſcere operæ pretium erit. אמר הגאון כי פרושו אלה שיקיצו יחיו לחיי עולם ואלה שלא יקיצו יהיו לחרפות ולדראון עולם כמו וחיו דראון והמלה אחת ופירושה חרפה והגאון אמר כי רבים הם המינים כמו ורבים מביאים מנחה ורבים מעמי הארץ מתיהדים ורבים יחלו פני נדיב והטעם לפי דעתי שהצדיקים שמתו בגלות יחיו בבוא הגואל כי עליהם כתוב כימי העץ ימי עמי ואז יתענגו בלויתן ובזיז ובבהמות וימותו בעם שניה ויחיו בתחית המתים בהיותם בעולם חבא שאינם אוכלים ושותים רק נהנים מזיו שכינה נאמר כי כן פרש ותזזו והעמוד לגורלך לקץ הימין שבו נחתם הספר ורבי ישועה אמר כי ישני עפר משל על ישראל שהם בגלות כמו כתים והנה הגואל יבא לטוב לצדיקי ישראל ולרע לרשעיהם והמשכיל יבין הנכון משני הפרושים ודברי החכמים עוזרים הגאון ז"ל *Dicit Gaon, ſenſum eſſe, illos qui expergiſcentur, ad vitam æternam deſtinatos eſſe, illos qui non expergiſcentur, ad æternum opprobrium & contemptum juxta illud* Eſai. 66. 24. & erunt contemptui omni carni. *Vox* דראון *contemptus, exponitur per* חרפה *opprobrium. Dicitque Gaon, per multos hic intelligi debere paucos, juxta illud.* 2. Par. 32. 23. Multi afferentes munus &c. *Item* Eſth. 8. 17. Multi ex populis terræ fiebant judæi. *item.* Prov. 19. 6. Multi precantur faciem principis. *Secundum meam ſententiam ſenſus eſt, juſtos qui moriuntur in captivitate in vitam reverſuros in adventu Meſſiæ, de illis enim ſcriptum eſt* Eſai 55. 22. Sicut dies arboris erunt dies populi mei, & *tum deliciabuntur in Leviathan, Ave & Behemoth,*

hemoth, & denuò morientur, donec in mortuorum reſurrectione reviviſcant, ut gaudio futuri ſeculi perfruantur, ubi neque comedent neque bibent, ſed divinæ majeſtatis ſplendore illuminabuntur, ſic enim exponitur Dan. 12. 13. Tu autem quieſces & perſtabis in ſorte tua ad terminum uſque dierum, *in quo liber iſte finitur. Dicit etiam R. Ieſua: Dormientes in pulvere, eſſe ſimilitudinem qua denotantur Iſraelitæ, qui in captivitate inſtar mortuorum erant. Veniet autem redemptor in bonum juſtorum Iſraëlis, in malum autem improborum. Vir intelligens hic deſpiciet, quamnam ex duabis his expoſitionibus conuenientiorem judicare debeat. Cæterum verba ſapientum faciunt pro R. Gaon. b. m.*

R. Abarbenel. lib. מיני ישועה quinque aphoriſmos ex hoc loco colligit. 1. *Dari mortuorum reſurrectionem*, qua illi שכבר מתו ונפרד רוחם מגופם עוד ישובו חחיים נשמים באותו נפש ובאותו גוף בכמותם ובאיכותם ובמזגם כראשונ׳ *qui mortui jam ſunt animâ eorum à corpore ſeparatâ, corporali vitæ reſtituentur, eodem corpore, animâ, quantitate, qualite & temperamento præditi.* 2. Non omnes omninò mortuos eſſe reſuſcitandos, אבל יחיו מקצתן ומקצתן לא יחיו וביאר זה באמרו ורבים מישני אדמת עפר ובו׳ מם קצתית *ſed aliquam duntaxat partem eorum victuros, aliquam verò partem non item. Docetque hoc cum dicit; & multi ex dormientibus in pulvere. Vbi* מ *particularitatis nota eſt.* Hic verò quærit utrum pars illa hominum caſu fortuito, prout oblati fuerint & abſque reſpectu ad populum & vitam anteactam ſuſcitanda ſit, an verò certo Dei conſilio ſoli juſti ex populo Iſraelitico vitæ reſtituendi ſint, juxta ſententiam *R. Gaon Saadia, R. Moſis Majemonidis, R. Moſis Nachmanidis R. Chaſdai ejuſque diſcipurum*, authoritate traditionis cujuſdam ex *Bereſchith Rabba* גבורת גשמים לצדיקים ולרשעים אבל תחית המתים לצדיקים בלבד *virtus pluviæ juſtis & impiis communis eſt, mortuorum verò reſurrectio ad ſolos juſtos ſpectat*, confirmatam, Hanc opi-

pinionem refutat, traditionem ex Beresh. Rab. aliter exponit, eique opponit Talmudicam Barajetham certiorem nimirum & vulgatiorem doctrinam, qua tres hominum ordines Dei judicio sistendi dicuntur, justi sc. impii & intermedii, verba item Danielis, qui dicit alios ad vitam æternam, alios verò ad æternum opprobrium suscitandos esse, unde infert 3. non solos justos sed & impios resurrectionis fore objectum. 4. Quandoquidem resurrectionis finis erit mercos retribuenda piis & pœna infligenda impiis, uti non obscurè ex Danielis vaticinio colligitur, statuit שהתחיית תהיה סמוכה לקבוץ הגליות. *Resurrectionem conjunctam fore collectioni captivitatum.* i. e. adventui Messiæ, atque ita non nisi unicam resurrectionem agnoscit, quod veterum Rabbinorum opinioni adversatur, vid. sup. pag. 139. In hâc sententia quoque est modernus *Menasseh Ben Israël*, Abarbenelis, ob consanguinitatem fortassis, sectator. 5. Multos illos suscitandos non judæos duntaxat fore sed & gentes, quia enim האומים אשר שפכו דמם כמים יקבלו עונשם בגוף ובנפש *Judaicæ gentes persecutores, qui sanguinem Israëlis instar âquæ effuderunt, pœnam in corpore pariter & animâ reportaturi sunt*, non illorum duntaxat quos Messias in adventu suo adhuc vivos offendet, sed & qui diem suum jam obierant, à mortuis resurrectio statuenda est. Pluribus hoc exequitur *Menasseh Ben Israël*, de Resurr. lib. 2. cap. 9. Qui addit, eâ de causâ Danielem non loqui de dormientibus Israëlitis duntaxat, sed de dormientibus in pulvere terræ in genere, quod tam gentes alias quam Israelitas concernit. Non itaque singulos generum (quod voci רבים *multi*, adversari videtur) sed genera singulorum resurrectionis objecta fore judicat, eorumque numerum tam ex judæis quam gentibus, & ex utrisque tam piis quam impiis certo Dei consilio conficiendum. Inter gentes omnis generis pios esse

ſuſcitandos qui præcepta Noachi obſervaverint, eos imprimis qui benè meriti fuerint de Iudæis in captivitate, ut ad judaicam fidem ope ſapientum converſi æternâ mercede unâ cum piis Iſraelitis perfruantur : Impios verò, ut tyrannidis ſuæ dent pœnas, & ad æternos cruciatus ablegentur. Inter judæos, pios, intermedios, & impios pariter reſurrecturos ; illos, ut transferantur ad ſtatum gloriæ, carnalis ſcilicet ſub Meſſiâ, poſt reſurrectionem & ultimum judicium demū inchoandę; iſtos, ut purgati ab immundicie eodem gaudio cum piis perfruantur; hos ut crucientur non in æternum, ſed ad tempus duntaxat in gehinnom, poſtmodum tamen ſalvandi, ne fruſtra ſit celebre illud veterum axioma : *Omnis Iſrael particeps erit futuri ſeculi*, Non quod de omnibus & ſingulis individuis Iſraeliticæ gentis illud intelligi velit abſque limitatione, duplicem enim addit reſtrictionē : Prima eſt, non dici *omnis Iſrael reſurget*, ſed *particeps* erit, ſolos itaque reſuſcitatos fore participes futuri ſeculi : Secunda, neq; etiam ſingulos reſuſcitatos iſto beneficio fruituros, excipit enim tria hominum genera, 1. Qui negant Deum eſſe, 2. Qui legi Moſaicæ divinitatem derogant. 3. Qui non agnoſcunt reſurrectionem. Hos omnes, ſive judæi fuerint ſive gentes, licet etiam à mortuis reſurrexerint æternis tamen cruciatibus corpore & animâ perferendis eſſe obnoxios, & ſpe futuri ſeculi privandos. Hæc recentiorum doctrina eſt de reſurrectionis objectis, ſtatuentium priſcos ſapientes in eâdem ſententia fuiſſe, cum dixerint, generationem primi mundi, Sodomitas, Coraſitas, Atheos, Epicureos, legem & reſurrectionem negantes, & id genus alios à reſurrectionis beneficio excludi ; reliquos itaque omnes non item, ſive judæi illi fuerint ſive gentes, ſive pii ſive impii, eamque eſſe mentem Danielis, dicentis רבים יקיצו *multos* (i. maximam hominum partem,)

alios

alios nimirum ad æternam vitam, alios verò ad æternos cruciatus eſſe ſuſcitandos.

In eo itaque judæi omnes duntaxat conſentiunt, reſurrectionem non fore generalem omnium omninò hominum, ſed particularem idque ex propriâ vocis רבים denotatione. Cæterum diſcrepantes illorum ſententiæ in duas claſſes diſpeſcuntur. Prima eſt veterum Rabbinorum *R. Gaon*, *Aben Eſræ*, *Majemonidis*, *Kimchii* &c. Qui eam minus generalem faciunt, ut pote populo Iſraelitico duntaxat promiſſam, idque diverſis temporum intervallis, primò ſolis juſtis in adventu Meſſię, ſecundò omnibus totius gentis judaicæ &c. in fine mundi. Secunda recentiorum, *Abarbenelis*, *Ben Iſrael* &c. qui eam magis generalē faciunt, & de omnium generibus intelligendam eſſe volunt, idque uno eodemque tempore exiguum admodum intervallum ſtatuentes inter adventum Meſſiæ & extremum judicium. Omnes pariter & verba Danielis & priſcorum talmudicorum effata pro ſe facere contendunt. Poſterior ſententia ad veritatem propius accedit, utramque tamen negant Chriſtiani. I. Verba Danielis nullatenus referri poſſunt ad primum illum Meſſiæ, qualem judæi ſomniant, adventum. Addit enim propheta finem reſurrectionis iſtius de qua loquitur, alios nimirum ad vitam æternam, alios verò ad æternum opprobrium ſuſcitatum iri. De tali itaque reſurrectione loquitur quæ in fine mundi & extremo judicio futura eſt, ſi verò reſurrectio aliqua temporibus Meſſiæ adſcribenda foret, illa neque ad æternam vitam neque ad opprobrium erit æternum, præſertim ſi tanto temporis intervallo, juxta veterum Rabbinorum fidem Meſſię adventus extremum Dei judicium antecedet. Imò videmus locum hunc judæorum opinioni adverſari. Reſurrectionem, quam in adventu Meſſiæ fingunt, inter ſingularia Dei beneficia nu-

merant: Nullo enim alio fine resurgent quam ut videant gloriã & dies Messiæ,& cum ipso de bestiis illis stupendę magnitudinis, Leviathan sc. ave, & Behemoth, ad Messiæ convivium mactatis, comedant. Qui sanè honos non omnibus continget, unde justis duntaxat & tali resurrectione dignis tribuitur. Quomodo autem hoc convenit cum verbis prophetæ? dicentis: multos esse suscitandos ad æternum opprobrium. Neque valet hic exceptio *R. Saadia Gaon* הם שלא יקיצו לחרפה עולם *Qui non suscitabuntur, erunt æterno opprobrio*: Hoc enim est pervertere mentem prophetæ qui non dicit; Alios esse suscitandos ad æternam vitam, alios verò non suscitandos ut æterno sint opprobrio, sed inter suscitandos alios vitæ alios opprobrio esse destinatos; habebunt ergo hi posteriores resurrectionem cum prioribus communem, antequam ad finem ejus perveniant. Prudenter itaque *Abarbenel* cum suis assectis, refert vaticinium hoc ad extremum Dei judicium, & rectè quidem. Sed quid interim de Messiâ? Annon adventus ejus extremum judicium antevertet? Annon etiam mortui in ipsius adventu resurgent? Annon ista resurrectio juxta tot celeberrimorum Rabbinorum sententiam, Danielis vaticinio confirmatur? Omninò. Neque etiam recentiores Rabbini hoc negant, sed alio planè modo incedunt: Conjungunt enim Messiæ adventum cum extremo judicio, & quidem *Ben Israel* non nisi 40. annorum spacium inter utrumque statuit, quod judæorum bellis & victoriis contra Gog & Magog tribuit, quibus finitis Messias glorię suę carnalem statum inchoabit, mortui resurgent, & extremo judicio sistentur, tum templum Hierosolymitanum restaurabitur, omnesque tribus Israelis in patria sua pacificè viventes, præsente Messiâ rege suo totum sibi mundum subjectum habebunt. Quicquid itaque antiquiores Rabbini de temporibus

Messiæ

Messiæ dixerunt ejusque gloria & statu carnali, nihil adhuc certi de extremo judicio & mundi fine statuentes, illud totum posteriores illi extremo judicio & mundi fini postponunt. Prout enim Messias adventum suum de seculo in seculum differt, sic judæorum opiniones circa hanc materiam perpetuis mutationibus sunt obnoxiæ. Sperabant veteres ipsum brevi venturum, adeòque omnia adventui ejus annexa, captivitatum sc. reductionem, Templi & urbis Hierosol: reædificationem, sacrificiorum restaurationem, mundi subjugationem, felicem & quietum judæorum in patriâ statum, longævam Messiæ ejusque successorum vitam &c. ante mundi finem & extremum judicium eventura existimabant. Hinc etiam resurrectionem justorum, qui dierum Messiæ participes fierent, postea tamen denuò fato defungerentur, donec in secundâ illâ magis universali resurrectione iterum resuscitati extremo judicio sistantur, credebant. Sed recentiores tristi experientiâ edocti, sententiam hanc mutare coacti sunt. Viderunt enim tardipedis Messiæ moram in causa esse, quominus majorum suorum sententiæ subscribendo tantum sibi inter adventum ejus & mundi finem intervallum promittere possint. (vid. *Ben Israel. l. 3. De resurr: cap. 4.*) Totum ergo negotium in mundi finem rejiciunt, atq; ita ab angustiâ se liberant, & securé dormiunt excluſi enim tempore quod majores ipsorum definiverāt isto suo compendio magnum adhuc tēporis spacium lucrati sunt, Hinc est quod unicam tātum eodem illo tempore (successivé tamē ut p. 139. dictum) perficiendā credant mortuorum vivificationem. Si quęras, Quis Messiæ locus post finē mundi & extremum judicium? Respondent, per finem mundi non intelligendam mundi *destructionem*, sed ejus *renovationem* duntaxat, de quâ renovatione multa nugatur *Ben Israel cit. lib. 3.* In hoc mundo

renovato, mortuis jam vitę restitutis, extremo judicio peracto, piis omnibus ad statum glorię sub Messiâ evectis, impiis & intermediis, illis (imprimis judaicę gentis persecutoribus) ad ęternos cruciatus, his ad purgatorium aliquod (de quo postea) ablegatis, toti terrarum orbi dominabitur Messias, in solio suo Hierosolymę midius inter Israēlis tribus considebit, resuscitatas gentes per Rabbinos suos & sapientes à prophetâ Elia edoctos in judaicâ religione instituet, juxta dictum Danielis *cap.* 12. v. 3. *Erudientes splendebunt*, &c. quod de hoc tempore exponit *Abarbenel.* in מעיני ישו *Majan.* 11. *Tamar.* 9. Terram quidem colent homines, cibo & potu utentur, liberos procreabunt, aliisque animalibus & naturalibus actionibus vacabunt ut antea, sed absq; peccato. Omnes enim unanimi consensu sub eod. rege verum Deum colent & in omni terra nil nisi pacis, sanctitatis & justitię studiū cum summâ felicitate conjunctum obtinebit. Hunc esse verum עולם הבא *mundum illum futurum*, ajunt, de quo sapientes Talmudici loquuti sunt, & de hoc omnia illustria prophetarum vaticinia de regno Messiæ, Ecclesiæ felicitate, gentium conversione &c. intelligenda esse. Imprimis illa quæ Abarbenel citato loco allegat ex *Esai.* 2. 2. *Erit ergo ultimis temporibus ubi constitutus fuerit mons domus Iehovæ in vertice aliorum montium, ut confluant ad eum omnes gentes* &c. Et hunc esse diem illū Domini maximum & reverendum quo convertētur corda patrum ad filios & filiorum ad patres. *Mal.* 4. v. ult. An verò *mundus iste renovatus* perpetuò substitutus sit, adeo ut vita æterna in illo consistat, vel tandem aliquando post ingentia temporis emensa spatia corporibus iterum & quidem in æternum destructis, in *mundum animarum* desiturus sit, super eo adhuc litigant doctores, sed Elias quando venerit hanc quoque quæstionem cum innumeris aliis plené decidet. Vi-

de-

demus itaque sententiarum discrepantiam. 1. Veteres Messię tempora ad hunc mundum referebant: Recentiores ad mundum futurum. 2. Veteres duplicem resurrectionem credebant, unam particularem justorum in adventu Messiæ, alteram generaliorem in fine mundi: Recentiores posteriorem duntaxat agnoscunt, sc. cum Messię advētu in fine mundi & extremo judicio conjunctam. 3. Veteres mundum illum futurum toto genere diversum esse statuebant à præsenti, utpote qui visibili hoc mundo destructo, omnibus Messiæ temporibus exactis, corpore animâque in resurrectione conjunctis & ad beatorum sedes translatis, non in vita animali, quæ cibo & potu conservatur, sed æterna & spirituali quæ beatâ Dei visione fruitur, consistat: Recentiores autem per mundum futurum, præsentis mundi renovationem & emundationem duntaxat intelligunt, ejusque statum, qualis fuit Adami status in Paradiso, & futurus fuisset si à peccato abstinuisset. Perspectâ ergo judæorum mente circa hoc subjectum, negavimus primo loco contra veteres illos, & in specie contra hunc nostrum, locum Danielis ullo modo facere posse pro particulari illa justorum resurrectione ad tempora Messię, ob rationes antedictas, easq; invictas; cum recentioribus affirmantes, Danielem de unica illa & generali in extremo judicio futura mortuorum resurrectione loqui, quam ęterna piorum prędmia & impiorum opprobria immediatè sequentur. II. Contra omnes in genere asserimus, resurrectionem fore *universalem*, id est, non pertinere tantùm ad genera singulorum sed etiam ad singulos generum adeò ut ex dormientibus in pulverulentâ terra ne unus quidem sit qui in die judicii non sit excitandus. Neque particulare istud syncategorema רבים, non *omnes* sed *multos* significans, quod judęi omnes in ore habent, huic sententię prędjudicat. Nam

distr-

distributivè, hic sumitur. Suscitandi omnes in duas classes dispescuntur, alii dicuntur suscitandi ad vitam æternam, alii ad æternum opprobrium, ad utrumque membrum æqualiter sese habet רבים, unde etiam accentu regio qui pausam aliquam constituit notatam videmus, ad indicandum, sensum esse suspensum, & vocabulum toti contextui distributivè competere. Duplex hic est suscitandorum multitudo, altera salvandorum, altera damnandorum, & sensus talis est: ורבים מישני אדמת עפר יקיצו אלה לחיי עולם אלה לחרפות עולם *Multi, ex dormientibus in pulverulentâ terrâ expergiscentur illi ad vitam æternam, illi ad æternum opprobrium.* Idem ac si hoc modo invertas: מישני אדמת עפר יקיצו אלה רבים לחיי עולם ואלה רבים לחרפות עולם *Ex dormientibus in pulverulentâ terra expergiscentur hi multi ad vitam æternam, illi multi ad æternum opprobrium.* Concedimus itaq; Abarbeneli; מ *ex* in מישני *ex dormientibus*, esse מ קצתית *particulare*, & σχιστὸν sed nõ ad *dormientes suscitandos*, quasi *non omnes* suscitandi sint, uti ille sumit, sed ad *duplicem dormientium suscitandorum conditionem*, quod illam *non omnes* habituri sint æqualem. Hactenus de loco Danielis. Cæterum quæ recentiores de mundo futuro, ejus renovatione, & vitæ animalis continuatione, insuper nugantur, cum hujus loci non sint, alibi discutienda reservantur.

(5) Templi restauratio quartæ consolationis fundamentum est. De hâc prolixé agit Ezechiel. *Capp.* 40. 41. 42. &c. Duo hic in quçstionem venire possunt. 1. An ad literam ista templi descriptio apud Ezechielem sumenda sit, & de externo aliquo & materiali templo intelligenda? 2. Si de materiali loquitur, quodnam illud sit templum quod hic describit, secundũ ne an tertium? De secunda quæstione parum sumus soliciti, prima enim tantum negotii faceret judæis, si accuratè illam expendere velint ut posteriorem facilé in medio relicturi sint.

Nega-

Negamus itaque primo loco Ezechielem proprié materiale aliquod templum deſcribere, ſed myſticum potius Eccleſiæ Ieſu Chriſti, ejuſque longitudinem & latitudinem nobis exhibere, cujus olim utrumque materiale, primum & ſecundum illuſtres typi exſtitere. Huic probando ſufficiant verſus 16. 17. 18. 19. capitis. 42. *Menſus eſt Plagam Orientalem calamis menſuræ, quingentorum calamorum. Septentrionalem totidem, meridianam totidem, occidentalem totidem.* Quæritur hic primò, quid menſus ſit? ſecundò, quâ menſurâ menſus ſit? Utrumque ſatis liquet. Quid menſus ſit conſtat ex v. 15. *Quum itaque abſolviſſet menſuras domus interioris, deduxit me via illius portæ quæ ſpectat orientem, & menſus eſt illam circumquaque.* Menſus itaque eſt murum illum, qui totum templi ejuſque atriorum, conclavium, & quicquid ad interiorem ejus ſtructuram ſpectat, circuitum conficit, ſeparatque *ſanctum à prophano. verſ.* 20. i. e. templum à tota urbe Hieroſolyma. Eſtque idem ille murus de quo *cap.* 40. 5. ubi ejus latitudinem & altitudinem metiebatur, ſic hic ejus longitudinem nobis ob oculos ponit. Longitudinis igitur ſpacium dicit eſſe, קנים חמש מאות 500. *Calamorum.* Deſpiciendum qualis & quanta iſta menſurâ ſit. Ipſe propheta docet *c.* 40. 5. quemvis קנה *calamum* ſex אמות *cubitos* continere, cubitos ſcilicet majores, quorum ſinguli *cubitum cum palmo* conficiunt. Dicit *Aquinas* in lexico, tria fuiſſe cubitorum genera in ſanctuario juxta judæorum traditionem. Primum fuiſſe quinque palmorum, ſecundum ſex, tertium decem. Nihil obſtat quominus dicamus Ezechielis cubitos ex maximis, decem ſc. palmorum, fuiſſe; menſura enim ſanctuarii, uti ſiclus ſanctuarii *Exod.* 30. 13. duplo major erat. Sed ponamus, cubitos illos fuiſſe ex minimis. i.e. 5. palmorum. *Cubitus itaq; cum palmo* ſex facit palmos. Maximus autem Hebræorum cubitus, i.e. 10.

palmi faciunt paſſum, unde facto computo reperiemus quinque Ezechielis cubitos, (i. 30. palmos) requiri ad tres paſſus conficiendos. Continet autem *calamus* ſex cubitos, adeò ut in quovis *calamo* tres *paſſus* cum cubito reperiantur. Quingenti igitur calami ſunt 1800. paſſus. Totidem continebat murus iſte in longitudine ſua ab oriente, totidem ab occidente, totidem à meridie, totidem à ſeptētrione. Erat itaque integer circuitus templi 7200. paſſuum. i. e. trium milliarium communium cum dimidio & ultrà. Quis quæſo ejuſmodi deſcriptionem de templo materiali intelligat? niſi qui nugari ſeriò ſibi propoſuerit. Typicæ ergo & hieroglyphicæ deſcriptiones hæ ſunt, quibus propheta non terreſtris ſed cœleſtis Hieroſolymæ muros & templum, ſub numerorum, menſurarum nominumque à rebus materialibus mutuatorum involucris graphicè deſcribit, poſitis ſemper more prophetico & ejuſmodi ſcribendi generi familiari, numeris & menſuris certis pro incertis, ſpaciis dimenſis pro immenſis, ad auguſtiſſima Eccleſię I.Ch. domilicia, regnique gratiæ & glorię amplitudinem nobis adumbrandam, juxta illud Chriſti: *In Domo Patris mei multæ ſunt habitationes. Ioh.* 14. 2. Adeo ut hanc Ezechielis viſionem ultimis illis capitibus contentam, *Veteris Teſtamenti Apocalypſin* non immeritò dixeris. Viſiones enim in exilio Babylonico oblatæ Ezechieli, illis quas Ioannes in Pathmum relegatus habuit non ſunt diſſimiles. Vidit hic eandem illam, *novam* nimirum *& cœleſtem Hieroſolymam deſcendentem à Deo, paratam ut ſponſam ornatam viro ſuo. Apoc.* 21. 2. Vidit murum ejus magnum & ſublimem, cum duodecim ejus portis & fundamentis nominibuſque 12. tribuum Iſraëlis v. 12. Vidit virum aureo calamo metientem, urbem ejuſque portas ad 12. millia ſtadiorum in longitudine & latitudine æquali, v. 16. Modò etiam templum

plum in ea vidit, *Apoc.* 11. 1. modò templum non vidit, quod Deus omnipotens templum ejus eſſet & agnus. *Apoc.* 21. 22. Multum profectò ſibi negotii faceſſet, qui id genus vaticinia & viſiones ad literam vexare velit. Quapropter operoſam illam multorum Chriſtianorum (judæos enim quorum mentes velo carnis obductæ ſunt, ut, quæ ſpiritus Dei ſunt, videre nequeāt, hic nō moramur) & culpandam ferè ἀκρίβειαν non immeritò miramur, qui in numeris & menſuris hiſce ſtudioſé conciliandis, multum laboris & temporis inſumpſere. Nec tamen ſibi ipſis, multò minus aliis ſatisfacere potuerunt. Inter quos Tremellium & Junium Hebræi textus interpretes notamus, qui in citato nobis loco, textui Hebræo vim inferre & *calamis* ſubſtituere *cubitos* maluerunt, quam permittere ut templi ambitus tantum ſpacium exhauriret. Quaſi propheta ædificii alicujus materialis archetypon omnibus numeris abſolutum, eleganti & mathematicâ proportione undequaque ſibi conſtans, humanâ poſtmodum arte inſtar Moſaici Tabernaculi efformandum, ob oculos ponere voluiſſet. Inter Pontificios autem commentatores verba *Sanctii* imprimis deteſtamur, qui viſionem prophetæ *inſulſam deſcriptionem* nuncupare non erubuit. Non mirum: hominibus enim carnalibus & carnaliter affectis, illa quæ Dei Spiritus ſunt, ſtolida & inſulſa videri ſolent, *quia ſpiritualiter tantum dijudicantur*: 1. *Cor.* 2. 14. Quandoquidem itaque ad archetypon iſtud hic propoſitum, nullum unquam materiale templum humana arte expreſſum fuit, neque exprimi poteſt, dicimus prophetam, neq; ad primam Salomonici templi reſtaurationem, mox finitâ Babylonicâ captivitate, Zorobabelis, Eſræ, & Nehemiæ opera inchoandam, neque ad ſecundam, quam fruſtrà judęi adhuc futuram ſibi imaginantur, reſpexiſſe. Concedentes interim, hanc cœleſtis Hieroſolymæ &

templi myſtici ſtructuram, ſtylo allegorico à materiali mutuato deſcriptam, judæis adhuc in captivitate detentis, firmiſſimum mox futuræ liberationis, & urbis templique reſtaurationis argumentum exſtitiſſe.

(6) Perperam allegat locum *Eſai.* 60. 12. ad probandum futurum illud Iſraeliticum dominium in totum mundum ab uno mari ad aliud. Totum enim contextum ab initio ad finem capitis ſi expendamus, comperiemus prophetam non de corporali gentium ſubjugatione, quaſi judæi illis tanquam devictis hoſtibus imperaturi ſint, ſed de gratiosâ gentium vocatione, & felici utriuſque Eccleſiæ, Ethnicæ & Judaicæ, ad verum Deum in Meſſia unicè colendum, combinatione duntaxat loqui. Hanc agnoſcit *R. Abarbenel*, unde inter quæſtiones huic vaticinio præfixas, ſcrupulum hunc de ineunda hac, Judaico faſtui admodum gravi & incommoda, cum gentibus ſocietate, primo loco movet, cujus verba cum ſolutione addita, quod rotundam ſuper hâc materia declarationem contineant, hic ſubtexam.

בהתירה הנמצאת בייעודים האלה וזה כי לכאורה ייעד הנביא בנקמת האומות והרבנם כמו שאמר וילבש כגדי נקם תלבושת ויעט כמעיל קנאה כעל גמולות כעל ישלם חמה לצריו גמול לאויביו וכאן אמר והלכו גוים לאורך ומלכים לנגה זרחך שא סביב עיניך וראי כולם נקבצו באו לך וגו' חיל גוים יבאו לך וגו' ושאר הכתובים הטורים שהאומות יתחברו עם ישראל בהשובתם ותהלות ה' יספרו והוא כותר לענין הנקמה שזכר: הכוונה הכוללת בנבואה הזאת לבשר את ישראל ולומר אל הם שיקומו מאבלותם ויאירו לבני העולם באור תשועתם לפי שעם היות כל אנשי העולם בחושך וערפל דתיהם ואמונותיהם וגם בצרות רבות ורעות שיבאו עליהם חנה על ישראל יזריח אור השועה וגאולה עד שיעמים רבים ומלכים ילכו לאור אמונתו ותורתו ויתקבצו ויבאו אל הר השם ואל בית אלקי ישראל שיהיו הבאים שמה כל כך עד שיבחרו בני ישראל בראות רבויים והם לא יבאו כי אם לקרא השם ולעבדו ויבואו לפניו מנחה וזבח ולבונה וכל צאן קדר להקריב על המזבח ויבואו בכהדות רב את בני ישראל הגולים ביניהם ובמקום שהאומות החריבו ירושלם והרסו חומותיהם עתה הכה יבנו אותם ויביאו עצים יקרים לבנין בית המקדש וכולם יהיו נכנעים ויעובדים לישראל ומעשרים אותו ושיהיה שלום מתמיד בארץ ולא ישמע בה חמס לפי שהטוב המועד לבוא לישראל לא יהיה מצד המערכה אלא

אלא מצד התשגשה הפרטית והתפאר הנביא שזה היה תכלית נבואתו לכשר לישראל
גאולתם ותשועתם וישובם בארץ ושחאומות יעבדום ושהם יקראו כהני ה' זרע ברך ה'.
Contrarietas esse videtur in promissionibus hisce, supra enim vindictam minatus erat propheta gentibus earumque vastationem, ut quando dixit: Induit indumentum vestium ultionis, & amicivit se zelo quasi pallio: Plané secundum facta, plané secundum ea rependet, excandescentiam hostibus suis, retributionem inimicis suis. Esai 59. 17. 18. Hic verò dicit: Accedent gentes ad lucem tuam, & reges ad splendorem exortum tibi. Attolle circumquaque oculos tuos & aspice, omnes isti congregantes se accedunt tibi &c. Copiæ gentium accedent tibi &c. Esai. 60. 3. 4. 5. *Aliæ etiam scripturæ docent, gentes in conversione suâ cum Israele sociandas esse, & laudes Dei decantaturas, & hoc videtur contrarium vindictæ cujus recordabatur. SCOPVS integer hujus vaticinii est, ut ostendat Israelitis, se à luctu suo resurrecturos, totumque mundum salutis suæ lumine illustraturos. Omnibus enim mundi populis in densissimis, quoad fidem & religionem, tenebris versantibus, & multis malis & angustiis, quæ ipsis obvenient, obnoxiis, ecce Israëli oborietur salutis & redemptionis lumen, adeo etiam ut populi multi & reges ad lumen legis ipsius & religionis accessuri sint, congregabuntur enim & venient ad montē Domini, & ad Domum Dei Israelis, eritque tantus affluentium numerus, ut etiam metum Israelitis incussuri sint, visa stupenda ista multitudine, qui tamen non venient nisi ad invocandum nomen Dei Israelis, & ad serviendum ei, afferentque ipsi munera, aurum &c. & thus, pecudesque Kedar ad offerendum super altari, & festinanter deducent Israel peregrinantes inter ipsos, eritque, ut qui antea vastaverant Hierosolymam, ejusque muros destruxerant, nunc eos ædificaturi sint, pretiosaque ligna ad ædificium domus Sanctuarii allaturi. Eruntque humiles, & servientes Israelitis, eosque ditantes. Et erit pax.*

jugiter in terra, nec violētia ulla audietur. Bonum enim illud quod promißum eſt Iſraeli nō eveniet ex parte generalis alicujus diſpoſitionis & ordinis, ſed ex parte ſpecialis providentiæ. Profitetur ergò propheta hunc fuiße finē ſuæ prophetiæ, ut ſcilicet nunciaret Iſraeli redemptionem, ſalutē, & ſedem tranquillam in terra, in qua gentes ipſis ſervient, vocabuntque ſacerdotes Dei, ſemen cui Deus benedixit. Eſai. 61. 9. Licet itaq; Iudæi exoptent deſtructionem gentium, (inter quas *Abarbenel* vehementer minatur genti Idumeæ, i.e. Chriſtianis שהאומת ארום היתה ראש הצרים quod majorem quā alię hoſtilitatem cōtra ipſos exercuerint) earum tamen vocationem agnoſcunt, quàm hic non obſcuré à prophetâ prædici fatentur, illas ſcilicet ad veri Dei agnitionem & cultum eſſe vocādas, regi Meſſię ejuſque imperio eſſe ſubjiciendas. Si jam aliquantulum deſipere ceſſarent, facilè perſpicerent, prophetam ipſis non ſubjugationem corporalem ſed ſocietatem duntaxat gentium in cultu divino promittere, quâ ſociētate perpetuò frui potuiſſent, ſi ſapere voluiſſent, regique Meſſię quem Deus in tempore ſuo miſit, unà cum gentibus ad exemplum innumerorum ex majoribus ipſorum, ſe ſubjicere, in quo prophetæ vaticinium de gentium vocatione complementum ſuum ſortitum eſſe, agnoſcere debebant. Nec eſt quod ejuſmodi gentium ſubjectionem & ſocietatem in rituum Moſaicorum obſervatione & uſu, quando imaginarius ille Meſſias venerit, ſperent, eorum enim abrogationem alibi oſtendimus, & quæ propheta inde mutuata habet, typicas & figuratas locutiones eſſe, prophetis conſuetas, ſæpè monuimus.

(7) Commodiorem locum ad judæorum convictionem allegare non potuiſſet, quam *Zeph.* 3. 9. De gentium ad Dei cognitionem & legis obſervationem vocatione ibi agi ſtatuit, & rectè quidem, ſed de tempore impletionis quæſtio eſt. Propheta illud monſtrat in voce כי *Tunc.*

Quæ-

Quæritur itaque an אז notet tempus jam dudum præteritum an verò adhuc futurum? Dicit notare tempus adhuc futurum. Tuam fidem Zephania. A vers. 1. usque ad 4. inclus. instituit querelam de judaicę gentis sui temporis pessimis moribus & perditissimo vitæ genere, tam judicum & sacerdotum quam subditorum. Subjungit notam ingratitudinis, quâ graviter accusat Iudæos quod beneficiorum Dei fuerint immemores, usque ad vers. 7. inclus. Et vers. 8. tremenda Dei judicia ipsis ob oculos ponit, futuramque vastationem & captiviratem prędicit his verbis. *Præstolamini me in diem quo surrecturus sum ad prædam, recipiam gentes, congregabo regna ut effundam super illos* (Iudæos sc.) *indignationem meam, totum æstum iræ meæ, quum igne zeli mei absumpta fuerit tota hæc terra.* Inepti hic sunt Rabbini comminationem hanc in tempora bellorum Gog & Magog rejiciendo; Quasi dixisset Deus חכו לי (verba sunt *Kimchii*), עד היום ההוא שאצרוף אתכם כי לא הקחו מוסר ער אותו היום והוא יום קומי לעד והוא יום בא גוג ומגוג. *Præstolamini me in diem quo vos defæcabo, non enim ad meliorem frugem revertemini usque ad diem istum, qui est dies quo surgam ego ad prædam, dies quo veniet Gog & Magog.* Prolixior autem multò est *Abarbenel*, qui authoritate sua longâq; narratione hanc Kimchianam expositionem confirmat, & judaicum somnium de Gog & Magog illustrat, cujus partem hic subjicere operę pretium erit, cum à versus. 8. expositione, hæc temporis, de quo agimus, circumstantia dependeat. הייעוד הזה אינו עוד רק אבל הוא כאומר אחרי שהגליתי אתכם לבבל ופקדתי אתכם לימים מועטים בגאולה ותשובה באדמתכם והיה כל זה כדי שתשיבו דרכיכם להבי' את כל אחיכם והשהתם את כל עלילותיכם לכן לא אעשה עולה כי צדיק אני ואתן לאור משפטי והוא בחרבן בית שני וגלו' בני יהודה על ידי מלכות אדום אבל לא אפקוד אתכם מיד אחרי ימים מועטים כמו שעשיתי בבבל כי הנה תחכו לי בגלותכם עד אותו יום שאקום לעד ר"ל שתהה הקימה נצחיית כי משפטי וגזרתי אשר גזרתי הוא לאסוף לקבצי ממלכות על אדמת הקדש ועל ירושלים לשפוך עליהם שם זעמי וכתב הרב רבי

דוד

דוד קמחי שהיום הזה שוכר הוא יום גוג ומגוג שיקו' האל יתב' לעד כלומר לשלול שלל על דרך בבקר יאכל עד ואני כבר הודעתיך פ"ז פעמים רבות דעתי בענין גוג ומגוג שלא יבאו אותם האומות להלחם על ישראל ולא אכר על זה ליום קומי לעד אבל ענינו שבזמן הגאולה העתידה יעלו הנוצרים ממלכות אדום הרשעה על ארץ ישראל לכובשה ויבואו עליהם מן המזרח ומן הצפון אוכלוסין עצומים מבני ישמעאל ושם תהיה ביניהם מלחמה עצומה וינקום השם נקמתו מאלו ומאלו ומפני שיהיה זה לזמן רחוק מאד הוצרך לומר לכן חכו לי נאם ה' כלומר אף על פי שהדבר הזה יתאחר זמן הרבה אל תתיאשו ממנו אבל קוו וחכו תמיד אליו כי הנה על כל פנים בוא יבוא אותו יום שאקים קימה נצחית לא כמו שקמתי במצרים שאחרי אותה קימה היתה מפלא ולא כקימת נבל שהיה מפלא אחריה אבל הקימה ההיא ביום ההוא הגדול והנורא תהיה לעדי עד ולנצח נצחים מבלי שתבא מפלא אחריה עוד כל ימי הארץ וזה ענין ליום קומי לעד וביאר מה יהיה ענין הקימה ההיא באומרו כי משפטי לאסוף גוים ואמר זה על הנוצרים שיעלו על ארץ ישראל לכובשה באחרית הגלות ואמר לקבצי ממלכות בנגד שאר העמים שיבאו עליהם ממזרח ומצפון ועל אלו ואלו אמר לשפוך עליהם זעמי כל חרון אפי כי באש קנאתי תאכל כל הארץ שהוא רמז אל הנקמה העצומה באותם על כל הגוים הצובאים על ירושלם וביאר למה יחכו עד אותו זמן באומרו כי אז אהפוך אל עמים שפה ברורה ר"ל שקבלו האומות שימלטו מאותה מלחמה אבונת אלהית השם יתב' ולא יוסיפו עוד לעבור אלקים אחרים ולא יעלו על פיהם אבל כולם בשפה ברורה יקראו וגו' ולא אמר אל עמים לפי שלא תוכלל אומת אדום בייעוד הזה כי הם אויבי ה' ותורתו ובל יראו גאות ה' אמנם שאר העמים מבני ישמעאל לפי שלא נתחלפו ולא נתרחקו כפי אמונת' מהפנות התוריות כבני אדום וגו'.

Comminatio iſta minimé mala eſt, eſt enim ac ſi diceret: Poſtquam captivos vos Babylonem abduxero, viſitabo vos intra paucos annos in redemptione & reſipiſcentia, ut in terram veſtram vos reducam, imò & fratres veſtros reverti faciam ex captivitate, prout ſcilicet meliorem vos agere vitam videro. Verum in eo vos non acquieſcetis, ſed omnia opera veſtra magis magiſque corrumpetis. Propterea iniquitatem ego non faciam, quia juſtus ſum, judiciaq; mea in apertam lucem producam, quæ in domus ſecundæ vaſtatione, & filiorum Iudæ captiva abductione per regnum Edom (Romanorum) *erunt conſpicua. Sed tum non tam citò vos viſitabo ſicut faciam in Babel, præſtolabimini enim in captivitate veſtra uſque ad diē illam quo ad prædam ſurgam, (vult dicere hanc ſurrectionem fore æternam) judicium enim meum & decretum quod decrevi, eſt,*

vi, est, me collecturum gentes & regna contra terram sanctam & contra Hierosolymam, ut tum ibi super illa effundam indignationem meam. Scribitque R. D. Kimchi, diem illum, de quo loquitur, esse diē Gog & Magog, quo Deus ad prædam surget juxta illud ad prædandam prædā &c. Ez. 38. 12. *Item* Mané comedit prædam. Gen. 49. 27. *Ego verò quam maximè statuo, non illas duntaxat gentes contra Hierosolymam pugnaturas, neque de illis tantum dici: ad diem quo ad prædam surrexero: sed scopum imprimis esse, tempore futuro redemptionis regna improbi Edom, Christianos scilicet arma sumpturos contra terram Israelis ad subjugandam illam, populosque potentissimos ex oriente & septentrione, nimirum ex filiis Ismaël venturos, & universale prælium inituros, quo Deus vindictam suam sumet de utrisque. Quoniam verò post longa temporis intervalla hoc demum futurum erat, necessum erat dicere: Præstolamini me, dictum Dei. Ac si diceret: Licet ad longum tempus retardetur res ista, ne tamen desperetis, sed exspectate & præstolamini jugiter, certissimè enim adveniet iste dies quo surgam surrectione æterna, non sicut surrexi in Ægypto, quam surrectionem nova plaga sequuta est, neque secundum surrectionem in Babel, quam iterum alia plaga excipiet, sed erit surrectio illa in die illo magno & tremendo, ad omnia secula seculorum, nulla enim plaga post illam amplius obveniet quamdiu mundus stabit: Et hoc est quod dicit: Vsque ad diem quo ad prædam surgam: Naturamque hujus surrectionis indicat, dum addit: judicium meum erit, ut gentes colligam: quod de Christianis dicit qui ascendent in terram Israelis ad illam subjugandam finita captivitate, & cum dicit: Ad congregandum regna: respicit reliquas gentes ex oriente & septentrione quæ cum ipsis se conjungent. De utrisque autem dicit: Effundam super illas indignationem meam, & æstum iræ meæ, in igne enim zeli mei consumetur terra. Quo nimirum splendida vindicta de omnibus gentibus contra*

Hierosolymam militantibus illo die sumenda indicatur. Exponit etiam ad quid istud tempus exspectare debeant, cum addit: Tunc effundam super gentes labium mundum &c. Vult dicere quod gentes quæ ex isto prælio evadent, Divinam religionem suscipient, neque alienos Deos amplius colent, nec in ore habebunt, sed omnes labio puro invocabunt nomen Domini &c. *Non autem dicit: super omnes gentes effundam, genti enim Idumeæ* (Christianis) *hæc promissio facta non est, illi enim sunt inimici Dei & legis ipsius, neque considerant celsitudinem Dei. Ad alias autem gentes ex filiis Ismael (Turcas) ista promissio spectat, illi enim in capitibus fidei suæ non adeò vacillant, nec à se invicem dissident sicut filii Edom.* Hactenus Abarbenel. Væ Christianis, si iste homo à mortuis resurrexerit, & novæ Reipublicæ administrandę fuerit admotus, non enim est quòd causæ suæ in aula Principis Messiæ patronos se facilè inventuros sperent, quamdiu hujus consiliarii hostis tã acerbi judicio stabit. Zephaniæ locum Turcis quam Christianis faventiorem fingit nugator, sed futurę felicitatis vanâ imagine mentem lactans & carnis suæ sensu placidè abreptus, non rectè expendit verba prophetæ. Comminationem versu 8. contentam, gentibus & non judæis esse factam contendit, verbaque illa לשפך עליהם ועמי *ut effundam super illos indignationem meam*, gentes duntaxat spectare. Quomodò quæso ista cum præcedentibus conveniunt? Quinam sunt illi de quorum impietate conqueritur? Quibus ingratitudinis notam inurit? Quorum resipiscentiam Deus benefactor ipsorum frustrà exspectaverat? Suntne judæi an gentes? Iudęos esse ipse textus expressis verbis docet. Quęnam igitur ista esset insulsa transitio? si Divina ultio & pœna, quam judaicę impietati & ingratitudini ilicò subjungit, non judæis sed gentibus, idque in fine mundi, infligenda prædiceretur? Quasi illi post infinita perpetrata

faci-

facinora, re adhuc benè gestâ, suâ impietate id commeruerint, ut propheta se obstrictum senserit, qui halcyoneos illos dies, post multa secula transacta demum eventuros, & carnalem felicitatem, tota divina indignatione, judæis tot horrendorum criminum tum temporis reos præteritis, in gentes duntaxat effusâ, promitteret. Vide quàm inepti sint isti homines. Sed ipse propheta satis expressè docet, de quo tempore & de quibus pœnis gentibus ne an judæis infligendis loquatur. Conferantur solummodò verba illa באש קנאתי תאכל כל הארץ *in igne zeli meĭ tota terra consumetur*, cum *cap.* 1. ab initio ad finem. *Extendens manum meam super Iehudam & super omnes habitatores Ieruschalaimorum, excindam è loco hoc reliquum Bahalis. Eritque tempore illo scrutante me Hierosolyma lucernis, ut animadvertam in istos homines qui concreti sunt cum fæcibus suis. &c. Erunt facultates eorum direptioni, & domus eorum desolationi &c. Propinqua est dies Dei maxima &c. Dies furoris, dies angusti, dies vastitatis &c. Neque argentum eorum neque aurum poterunt eripere eos, cum igne zeli ipsius consumetur tota hæc terra &c.* Vide Abarbenel, quæ illa sit terra quam igne zeli Dei absumendam dicit propheta, non gentium illa est, sed judæorum tuorum, sed Hierosolyma tua, in quam, ut pote à gentibus, Babyloniis nimirum &c. vastandam, propter peccata & horrendam idololatriam, totam suam indignationem potentissimus Deus mox effusurus erat. Nihil itaque hic de divinâ illa ultione in gentes ante vel post Messiæ tui adventum exercendâ, de quâ tu tam ineptè & præter scopum prophetæ nugaris. Atque hinc concludimus, illam gentium conversionem quam Zephanias vers. 9. cap. 3. promittit, & quidem temporis circumstantiâ addita, בעת *Tunc*, huic judaicæ Reipublicę vastationi tot seculorū intervallo postponendam nõ esse, sed jam dudum, cùm antè tem-

pli ſecundi deſtructionem, tum poſt illam eveniſſe, & vaticinium hoc non in Turcis & Mahumetanis, quibus tu tantopere faves, ſed in gentibus ad veri Dei agnitionem & Chriſtianam fidem converſis fuiſſe adimpletum.

(8) Satis prolixé ſupra pag. 116. &c. docuimus, quo fundamento judaicum illud ψήφισμα de poſteris Edom nitatur. Vano iſti figmento hic iterum ſuperſtruit locum *Ezech.* 25. 14. Ubi per Idumæos intelligit Chriſtianos, in quibus divinam ultionem ſtatuendam eſſe ſibi pollicetur. Sed vaticinium hoc jam ante multa ſecula in veris Idumeis impletum eſſe legimus. 1. *Macc.* 5. 3. & 2. *Macc.* 10. 16. 17. Operoſam Abarbenelis diſputationem ad hunc locum, quâ ad futura adhuc tempora ejus impletionem transferre conatur, πρώτῳ judæorum ψεύδει, Idumeos eſſe Chriſtianos, ſemel confutato, jam non moror.

(9) Non exiguum ſummæ fœlicitatis indicium erit, in aureo iſto Meſſiæ ſeculo homines à doloribus & morbis fore liberos. An vero locus *Eſai.* 33. 24. hoc promittat, ſuper eo Rabbini non conſentiunt. Abarbenel ſententias colligit, & poſtea addit: המפרשים פירשו הפרשה הזאת כולה על חזקיהו ועל סנחריב בבואו על ירושלם ואין המשך הדברים מורה כן *Interpretes totam ſectionem referunt ad Hiſkiam, & Senacheribum, cum cõtra Hieroſolymã veniret, ſed nulla verborũ ſequela eſt quæ hoc oſtendat.* Statuit itaq; cũ noſtro Rabbi hæc ad tẽpora Meſſiæ pertinere, verſumq; 24. cum præcedenti ita conjungit, לא יאמר שכן אחר מכל ארץ ישראל לא אוכל ללכ' שם לשלול ולבוז כי כולם ילכו והחל' יאמר גבור אני ובשלל הזה לא יהיה להם עון ואשמה כי הוא שלל ארציהם ועל זה אמר העם היושב בה נשוא עון כי אחרי שהאוב' היו באים עליהם והם יושבים על אדמת' הנה בשללם אותם לא יחשב להם לעון. *Nullus habitator in terra Iſraëlis dicet; non poſſum eò incedere ad ſpoliandum & prædandum, omnes enim ibunt, & ægrotus dicet: Fortis ſum. Neque iniquitatem ſpoliando commit-*

teni

tent, quia erit ſpolium inimicorum ſuorum. Ideò dicit, populus habitans in terrâ ſervatus erit ab iniquitate: Dum enim in terrâ ſuâ deſidebunt, hoſtibus illos ultrò adorientibus, nullius peccati reatum incurrent, quando invadentium bona ſpoliaverint. Verſu præcedenti dictum erat, *claudos prædam direpturos.* Huic avarus nugator inhians, in bello Gog & Magog plurimos procul dubio in Chriſtianorum & Turcorum exercitu ditiſſimos duces & capitaneos fore putat, quorum bona modò ſpe devoravit; nullum enim tum in Iſraële fore ægrotum ſive claudum, qui ad rapinam & Chriſtianorum exuvias velociter deportandas non ſatis firma latera ſit habiturus. Tolerabilior eſt hic noſter qui in genere de morborum curatione, & liberatione à peccato locum intelligit. Sed aliter ſentit Kimchi, qui de caſtrorum Senacheribi, tempore regis Hiſkię, direptione verſum præcedentem exponens, hunc de quo agitur, ita reddit אל יאמר השוכן בירושלם חליתי כמו שהיו אומרים מתלה מדוב הצרות חלינו וכאבנו לא יאמרו עוד וה כי ה' נשא עונם בסבת חזקיהו שהוכיחם והחזירם למוטב והושיעם האל השועה גדולה ויש מפרשים הפרשה הזאת כולה יעתידה לימות המשיח והנכון כמו שפרשנו. *Non dicet habitator Hieroſolym: ægrotus ſum, ſicut dixerunt antea: Præ multitudine anguſtiarum ægrotamus & dolore afficimur. Non amplius ita loquentur, Deus enim abſtulit iniquitatem eorum propter Hiſkiam, qui eos corripuit, & ad probitatem eos reduxit, ſervavitque eos Deus ſalute maximâ. Nonnulli interpretes totam ſectionem de diebus Meſſiæ adhuc futuris intelligunt. Sed convenit ita eſſe uti nos expoſuimus.* Aliter adhuc exponit R. Salomo, aliter R. Meir. Sed viderint illi quomodo inter ipſos conveniat. Conſentiunt Chriſtiani, non totum 33. Eſai. caput ad Hiſkiam & Senacheribum uſque adeo propriè referri poſſe, præcipuè illa quæ dicuntur à verſ. 20. uſque ad finem. Quibus Regni Meſſiæ i. e. Eccleſiæ ſtatum non obſcuré, ſed ſub locutionibus figuratis,

quarum ſenſum Chriſtiani interpretes inveſtigarunt, indicari agnoſcunt, eòque verſum hunc ultimum qui liberationem à morbis promittit, pertinere. Quod non de corporalibus (quamvis Meſſias Chriſtus & illos curaverit) ſed ſpiritualibus potius & animi morbis eſt intelligendum, teſte ipſo propheta: Ideo enim addit: *Populus habitans in ea levatus erit ab iniquitate.*

(10) Videamus etiam an futura illa judæorum longævitas ſatis ſolidè nitatur loco *Eſai.* 65. 20. 22. Omnes quidem uno ore clamitant, ad dies Meſſiæ hæc dicta pertinere, & vitæ longævitatem, qualis priſcorum patrum ante diluvium fuit, promittere, textus tamen difficultate premuntur, ubi dicitur, *Puer natus* 100. *annos morietur, peccator autem natus* 100. *annos maledictus erit.* Abarbenel anteceſſorum ſuorum expoſitionem carpit, & hoc modo rem conficit. איך יהיה זה חשבו המפרשים שלזמן הגאולה ישובו בני אדם לחיות חיים ארוכים כימים הראשונים בתחלת הנריאה ושלכן אמר שאם ימות אדם בן מאה שנה יאמרו עליו נער מת וכן החוטא כשיקולל יהיה במותו בן מאה שנה ואני אחשוב שאם נאמר זה על קבוץ הגליות שלא יתארכו החיים כ"כ ולא בא הכתוב לחוריע כי אם הנער שמיתתו היום בן עשר או עשרים שנה מפני שנכרתו ימיו לא ימות בזמן ההוא כ"א בן מאה שנה לפי שימלא את ימיו כמו שאמר לא יהיה משם עוד עול ימים ואמר אשר לא ימלא את ימיו וכן החוטא נטעות של נחש כי זהו החטא הנזכר כאן שמפניו נתקלל אדם והתחייב זרעו למיתה הנה הוא בן מאה שנה תבואהו קללת שהיא קללת אדם הראשון ולא הגיד הכתוב אם כן שיחיו האנשים כימי נח ומתושלח אלא אם נפרש אלה הפסוקי' על זמן תחית המתים שתהיה קרובה לקבוץ גליות כי אז בלי ספק יתארכו ימי הקמים בתחיה *Quomodo verum eſſe poteſt quod interpretes hinc colligunt, tempore ſc. redemptionis homines vitam longævam victuros, inſtar dierum priſcorum ab initio creationis, propterea que verborum ſenſum eſſe: De homine mortuo qui centum annorum erat, dicetur: Puer mortus eſt; & homo peccator, licet maledictus ſit, centum tamen annos vivet. Ego autem exiſtimo, ſi de tempore collectionis captivitatum hoc intelligendum ſit, vitam hominis uſque adeo longævam tum non fore, neque ſcrip-*

turam

surā hanc ĭslud promittere, sed dicere tantum, quod puer qui jā anno ætatis decimo vel vigesimo moritur, quia dies ejus præciduntur, tum temporis non sit moriturus nisi fuerit 100. *annorum, ut dies suos implere possit: Ideòdicit: non erit amplius puer ætate, qui dies suos non adimpleat. Similiter qui peccat per seductionem serpentis, hoc enim est peccatum de quo hic loquitur, quia propter illud maledictus est homo, & posteri ejus mortis rei sunt. Hic cum* 100. *annorum fuerit, maledictio mortis ipsum invadet quæ fuit maledictio primi hominis. Neque etiam scriptura dicit homines tum victuros secundum dies Noachi & Metusalem. Sed si exponamus hos versus de tempore resurrectionis mortuorum, quæ captivitatum collectioni vicina erit, certum est, suscitatorum dies prolongatum iri.* Non potest probare Abarbenel sententiam illorum qui ex Esaiæ loco colligunt, hominum, qui tempore Messiæ vivent, ætatem annis priscorum patrum qui ante diluvium vixerunt, æquandam. Videt enim hoc contradictionem implicare, nam qui Messiam in hoc seculo exspectant, id est, ante finem mundi & mortuorum resurrectionem, nullus eorum est qui Messiæ dies ultra 400. annos extendere audeat, prisci autem patres vitæ terminum ultrà 800. sæpè 900.simum ætatis annum protraxerunt. Dies ergo Mesiæ ne quidem mediam partem unius generationis implere possent. Consultius itaque & tutius judicat, longævitatem hanc usque ad aureum illud futurum seculum differre, ad mundum sc. renovatum de quo supra loquuti sumus, qui Mesiæ adventum & captivitatum reductionem, interjecto 40. circiter annorum intervallo, si diis placet, excipiet. Non quod propheta expressis verbis promittat, ætatē suscitatorū in futuro seculo, ætati patrum antediluvianorum omninò æqualem futuram, sed tantùm: *non fore amplius puerum ætate qui dies suos non adimpleat*: i. e. non fore, quemadmodum in hoc

secu-

ſeculo, quo pueri decem aut viginti annorum ſæpe antequam dimidiam ętatem homini pręſcriptam abſolverint, ſubitò abripiuntur, *ſed puerum* 100. *annorum moriturum*, i. e. non niſi integro vitę termino exacto fatis ceſſurum. Sed quocunque ſe vertant miſeri homines, aqua tamen ipſis hæret. Plauſibilior quidem veterum expoſitio videretur, qui felicia Meſsiæ tempora ad præſens ſeculum referunt, longævitatem illam, antiquiſsimorum patrum ætati æqualem, ex loco Eſaiæ per conſequentiam non uſque adeò ineptam, (uti in verbis Abarbenelis vidimus) elicientes; niſi temporis anguſtiâ, Meſsiâ adventum ſuum nimis procraſtinante excluſi, de complemento vaticinii, juxta hanc expoſitionem, deſperare neceſſe haberent. Unde recentiores opinione hâc exulare juſsâ, ad beatum illud futurum ſeculum prophetæ verba remittunt. Sed an hi rem felicius conficiunt? Imò econtra arctiori quàm præcedentes & quidem duplici nodo ſtringuntur, cui ſolvendo auxilium Eliæ erit implorandum. Primus latet in verbis: *Puer* 100. *annorum morietur*, ex quibus hoc ſaltem ſequetur, in futuro illo ſeculo homines etiam morti fore obnoxios. Hoc ſi verum eſt, quomodo idem Eſaias ſibi conſtat? cum dicit: *Damnabitur mors in æternum. Eſai.* 25. 8. Quomodo ipſi convenit cum Daniele? *Alii reſurgent ad vitam æternam. Dan.* 12. 2. Manus ſuper hâc re conſerunt Rabbini, & Ben Iſrael Abarbeneli contradicere non veretur. Vult Abarbenel homines in futuro ſeculo denuo morituros, juxta hunc Eſai. locum quem ſub manu habemus, mundumque illum renovatum in mundum animarum deſiturum, ubi animæ à corporibus ſolutæ in æternum feliciter victuræ ſint: eòque pertinere, ait, locum Danielis, in quo de vitâ æternâ loquitur. Verba autem Eſai. 25. *Damnabitur mors in æternum*, de præmaturâ & accidentali morte exponit, nemi-

neminem ſcilicet ante exactum vitę terminum ſubitaneâ morte è vivis tollendum eſſe, ſed puerum 100. annorum morituram, uti ſuprà Fallitur autem homo iſte: Non enim loquitur Eſaias de præmaturâ morte ſed de morte in genere : בלע המות לנצח *Abſorpſit mortem in æternum*, ſive *in victoriam*, (utramque enim expoſitionem patitur textus Hebræus) nulla ergo mors amplius erit, neque præmatura neque termino exacto. Etiam Daniel ipſi contrarius eſt,qui nihil dicit de mundo illo animarum, ſed *alios reſurrecturos ad vitam æternam* ; ſtatuens vitam æternam & exemptionem à morte ilicò poſt reſurrectionem, quod Abarbenelis ſententiam de ſecundâ morte evertit. Imò ſi mortui ad ſtatum innocentiæ in quo Adam creatus eſt, reſurgent, quomodo fieri poteſt, ut morti amplius ſint ſubjecti ? Quippe omnes in ea ſententia ſunt ; ſi Adam in ſtatu iſto conſtanter permanſiſſet, ſicut reſuſcitati in eo perſeverabunt,in æternum à morte liber fuiſſet. Hinc colligitur, morti non fore locum in futuro ſeculo. Verum quidem eſt Majemonidem,Aben Eſram alioſque antiquiores Rabbinos Meſſiam & juſtos omnes poſt ſeculorum aliquot tranſactam vitam tandem morituros credidiſſe. Sed alia res eſt,ſtatuebant enim Meſſiæ tempora fore in hoc ſeculo, tandemque ſecundam reſurrectionem eamque ad æternam vitam in fine mundi ſubſecuturam ; quod à ſententiâ Abarbenelis uti ſupra demonſtratum, alienum eſt. Ben Iſrael itaque licet cum Abarbenele tempora Meſſiæ in futurum ſeculum rejiciat, ſemel tamen à mortuis ſuſcitatos in cinerem & pulverem iterum redigendos eſſe, contra ipſum negat, ſed ſeculis aliquot feliciter tranſactis,corpore & animâ ſimul in Paradiſum, ubi ſunt Enoch & Elias, transferendos eſſe docet : motus cùm multorum Rabbinorum tùm imprimis dicti Eſaiæ, *Damnabitur mors in æternum*,authoritate.

Sed quid reſpondebit Abarbeneli ad locum ejuſdem prophetæ? *Puer natus* 100. *annos morietur*. Doctor quidam Talmudicus R. Chanina in lib. *Sanhedrin*, objectionis hujus ſolutionem ſuppeditat עולא דמי כתיב בלע המות לנצח וכתיב בן מאה שנה ימות לא קשיא באן בישראל כאן באומות העולם *Contradictionis ſpeciem citabat R. Vla in verſibus*, perdet mortem in æternum & *ubi ſcriptum eſt*, centenarius morietur, *Nihil habet difficultatis*, *hic de gentibus*, *illic de Iſraële ſermo eſt*. Senſus ergo erit: Perdet mortem in æternum in filiis Iſraël, qui nunquam morientur, gentes autem quæ in illo ſeculo ſub regno Meſſiæ vivent, morientur centenarii. Ben Iſrael autem captans benevolentiam Chriſtianorum, eorum imprimis inter quos vivit, ſe liberalem hac in parte oſtendit, gentibuſque ab idololatria abſtinentibus, & præcepta Noachi accuratè obſervantibus idem immortalitatis privilegium pro ſua humanitate pollicetur, hoſpes non ingratus pro beneficiis corporalibus ſpiritualia nobis rependens. Nemo ergo morietur centenarius niſi forte ex gentibus aliquis qui per miraculum (uti poſtea dicet) in peccatum inciderit & præceptis Noachi non bene operam dederit. Sed dicam ego bonâ cum veniâ ſapientiſſimorum doctorum, hanc reſponſionem ad locum Eſaiæ eſſeſtultam & frivolam, & menti prophetæ directé contrariam, expreſſis enim verbis puerum 100. annorum à peccatore 100. annorum diſtinguit, puerum 100. annorum dicit moriturum, peccatorem verò 100. an. fore maledictum, non quod non moriturus ſit, ſed quod morte maledictâ moriturus ſit, à quâ prior immunis erit. Futilis ergò eſt Ben Iſrael fingens puerū 100. ann. ideo moriturum quia peccator erit, quem propheta hac vice citra iſtum reſpectum moriturum dicit, ſi verò peccator fuerit, non moriturum tantum, ſed & morte maledictâ moriturum. Æquè futilis eſt R. Chanina, pro-

phetæ affingens discrimen inter gentes & Israëlitas, quasi illas duntaxat ad annum ætatis centesimum morituras dixerit, hos non item. Nihilo minus enim textui istud repugnat, cum totus verborum istorum contextus, *Exultante me de Hierosolymis & gaudente de populo meo, non audietur in ea amplius vox fletus aut vox clamoris. Non existet illinc amplius infantulus ætate, aut senex cujus non impleat dies Deus, nam puer natus* 100 *annos morietur*, contineat non declarationem factam gentibus, illas ad annum centesimum ætatis morituras, sed promissionem factam Hierosolymæ & populo Dei in specie. (בון *illinc* non erit infantulus ætate) Quæ promissio relativa est ad statum illum infelicem & afflictissimam rerum faciem istius temporis, uti rectè observavit Abarbenel, quo infantuli præmatura morte abripiebantur, senes etiam, antequam dies suos implevissent; at aureo isto seculo sic non fore, omnes enim integrum vitę terminum, qui 100. annorum esse solet, feliciter impleturos promittit. Toto ergò cælo distat mens prophetæ à Talmudistico hoc interpretamento, quo Abarbenelis objectioni neutiquam satisfactum est: quomodo autem ei satisfieri possit & debeat, despiciant Iudęi. Secundus quo stringuntur, nodus est in verbis comminationis factæ peccatori: *Peccator* 100. *annorum erit maledictus.* Quęritur, si de futuro seculo hoc intelligendum, an tum etiam peccatores futuri sint? affirmativā sententiam tenet Ben Israel, quia enim locus erit libero arbitrio, etiam locus erit peccato, sed peccatis duntaxat leviorib. & minoris momēti, non vero gravioribus, inter quæ eminet idololatria, quæ tum plané exulabit. Prętera peccatores tum fore rarissimos, ait, & ob raritatem instar monstri & miraculi habendos, præsertim inter Israelitas. Sed sibi ipsi contradicit homo nugax; omnibus enim modis resuscitatorum statum ad futurum seculum, similem

facit ſtatui Adami ante peccatum, excepto peccati periculo. Adamus enim à ſerpente i. e. diabolo ſeductus in peccatum prolapſus eſt, hoc autem malum ad futurum ſeculum ſuſcitatis metuendum non eſſe dicit, quia tum omnes ſpiritus mali erunt exſtincti, omnesque corporis humani partes & omnes animæ affectiones tam ſalubri temperamento compactæ & diſpoſitę erunt, ut mens non niſi ad virtutis ſtudium prona ſit futura. Si hæc ita ſe habebunt, unde ergo peccatum? Vel homo libertate ſui arbitrii tum poterit abuti, ſicut Adam eâ abuſus eſt, vel non poterit abuti, ſi non poterit abuti, nullum erit peccatum, ſi poterit, ſanè peccatum ſemper erit metuendum. Sed dicat rationem quare in uno magis quam in alio ſit metuendum; annon ſalubre illud temperamentum & optima ad virtutem diſpoſitio omnibus futura eſt æqualis? qualis etiam in omnibus Adami poſteris fuiſſet, nullo excepto, ſi in felicitatis ſtatu, in quo conditus erat, premanſiſſet. Dicat præterea, ſi non à ſeductione metuendum eſt, an fieri poteſt peccator abſque ſeductione? Omnis ſeductio vel interna eſt vel externa. Externam dicit metuendam non eſſe, quia nulli tum erunt diaboli qui seducāt. Si quis ergo tum in peccatum inciderit, erit hoc per ſeductionem internam, ſed unde quæſo iſta interna ſeductio, ſi omnes animæ affectiones ad ſanctitatis & virtutis ſtudium perfectè diſpoſitæ erunt? Non itaque dicendum, hominem ſeductionis principium poſſe habere à ſe ipſo, nam ſi hoc ſtatuatur, non erit tum ſicut fuit Adam in ſtatu innocentiæ, qui à Deo talis erat creatus, ut peccare quidem poſſet, verùm non per internam diſpoſitionem ad peccatum, ipſâ nimirum naturâ ſeductionis principium ſuggerēte, (quod imagini Dei in homine planè repugnat) ſed per ſeductionē extrinſecus duntaxat admotam, qua ſi diabolus Adamum non fuiſſet adortus,

à pec-

à peccato manſiſſet immunis. Videte ergo quomodo homo iſte ſibi cõtradicat, dum & peccatores fore & peccatũ metuendum ſtatuit, principia tamen ſine quibus peccatum introduci nequit, tollit. Doctius & accuratius id perpendiſſe videtur Abarbenel qui aureum iſtud ſeculum non uſque adeò beatum deprædicat, quin metum peccati ab ancipitis arbitrii libertate pendentem, loci hujus evidentia adductus, in eo agnoſcat. Hinc alteri ſeductionis principio, externo nimirum, (nam ab interna diſpoſitione illud petere nefas) quod diaboli inſidioſa arte paratur, dat locum, dicens: בן ההוטא בטעו של נחש כי והו החוטא הנזכר כאן שמפניו נתקלל אדם והתחיב זרעו למיתה הנה הוא בן מאה שנה הבואהו קלות המות שהיא קללת האדם ראשון *Similiter peccans per ſeductionem ſerpentis, (hoc enim eſt peccatum illud de quo hic loquitur propter quod homo fuit maledictus & ſemen ejus morti obnoxium) cum fuerit centum annorum mortis maledictio ei obveniet, quæ fuit maledictio hominis primi.* Homines itaque ad futurum ſeculum collocat in ſtatu Adami, non quod à morte immunes futuri ſint, etiãſi aliqui non peccent, ſicut fuiſſet Adamus, (omnibus enim mortem æqualiter decernit, ſive pii fuerint ſive impii) ſed quod illi qui diaboli ſeductioni parebunt, ſicut fecit Adam, morte maledicta morituri ſint. Sed dicere, propherã hic loqui de peccatore non habualiter tali, ſed tali duntaxat futuro per ſedunem ſerpentis veluti denuò in paradiſo conſtituto, nemo non videt quam jejunum hoc ſit & frivolum. Annon, obſecrò, ſtipendium peccati mors eſt? & ubi peccatum non eſt, ibi nec mors? omninò. Si ergo propheta hic conſiderat hominem ad futurum ſeculum reſuſcitatum tanquã reſtitutum in integrum, i. e. qui jam peccator reverà nõ ſit, ſed talis, ſi ſatan novas ipſi inſidias ſtruxerit, fieri poſſit; Vel omnes omninò homines à ſatana iterũ ſeducendos eſſe credidit, vel non omnes. Si omnes; non erit ſeculum iſtud, ſeculũ novũ & beatum, ſed repetitio ſivè con-

tinuatio duntaxat præſentis, quippe iiſdem malis & & ærumnis, regnante iterum peccato, obnoxium, quod vehementer abſurdum. Si non omnes; ſummam injuriam facit iis qui alienis periculis cauti, à peccato ſedulò abſtinebunt, nec ſatanæ deceptionibus patebunt, omnibus enim peccati ſalarium i. e. mortem æqualiter adjudicat, ſive peccaverint ſive non peccaverint, nā puer natus 100. annos, licet à ſerpente ſe ſeduci paſſus non ſit, æquè tamen morietur ac peccator 100. annorum, qui ad Adami & Evę exemplum (ſic enim ineptit Abarbenel) voci tentatoris auſcultaverit. Prophetam autem alicui injuriam facere, nefas eſt dicere, proindeque firmiter concludimus, quia omnes morti reddit obnoxios, ipſum omnes ſub reatu peccati comprehendere, nec de futuro ſeculo, eo nimirum ſenſu, quo fingunt judæi, hic loqui. Sic ſatis de Rabbinorum ludibriis circa hunc textum.

Chriſtiani quidem, quia locus difficultate non caret, etiam expoſitione variant. Videantur interpretes. In eo ſatis bene conveniunt, prophetam ſelicem filiorum Dei ſtatum, cùm gratię tum glorię, cùm in hoc tum in futuro ſeculo, non propriis (hos enim ſublimia illa Dei, quæ prophetæ tractant, myſteria vix admittere, & hiſtorico potius quam myſtico huic ſcribendi generi convenire, ſæpius inculcavimus) ſed figuratis, nobis ob oculos ponere. Loquitur non de corporali ſed de ſpirituali animarum vitâ ejuſque conſervatione & incremento. Terminorum autem quibus hanc fœlicitatis Eccleſiæ Ieſu Chriſti partem exprimit, ratio hæc eſt. Proponitur in lege Dei vita longa tanquam ſignum divinæ benedictionis, è contra vitæ brevitas & mors præmatura maledictionis nota eſſe ſolet. Non quod illi omnes qui diu vivunt, reverà benedicti ſint & in majori apud Deum gratia, quod corporali iſta benedictione fruantur, quàm qui

vitam

vitam agunt brevem, sed quod mors per se, tanquam salarium peccati, manifestissimum divinæ maledictionis in naturâ humana sit indicium, ex quo sequitur, quod quò longiorem quis agit vitam, eo tardius fructum peccati sentiat, unde vita longa dici consuevit benedicta, habito nimirum respectu ad vitam brevem quæ citius maledictioni, in sensu mortis sitæ, est obnoxia. Inter felicitatis itaque, quam propheta promittit, partes, & hanc reponit quod ista maledictionis nota quæ in vitæ brevitate & præmatura morte consistit, tollenda sit, non enim morietur puer nisi 100. natus annos. Sed quomodo tollenda? non sanè per corporalis vitæ prolongationem, sed per vitæ melioris & excellentioris substitutionem, qua distinctio hæc inter vitam benedictam, quam in annorum multitudine, & vitam maledictam quam in annorum paucitate collocant homines, è medio tollitur. Vnde talis sensus emergit: Novæ meæ Hierosolymæ (Ecclesiæ Iesu Christi) cives non conquerentur amplius de vitæ brevitate, nec impii & hypocritæ qui in medio eorum, quamdiu in terris militaverint, fuerint reperti, de vita longâ gloriabuntur: Ecce enim ad aliam & longé excellentiorem vitam ego electos meos regenerabo quorum nemo erit qui dies suos non adimpleat sed sicut ille qui 100. annos natus est, dies suos impleviſſe judicatur, sic omnes ad spiritualem hanc vitam de novo creati, erunt quasi 100. annos nati, i e. ad plenam ejus dimensionem & staturam pervenient, cœtera licet pueri, nec mors corporalis præmatura istius vitæ dies præcidere poterit. Et ut verbo absolvam, *puer natus* 100. *annos morietur*, i. e. postquam homo regenitus perfectum suum robur & plenum gratiæ fideique dimensum, quisque pro suo modulo, quantum sat erit, in hac vita acquisiverit, illam cum æterna, quæ spiritualis complementum

est

eſt, feliciter commutabit. Adeòque dies ſuos impleviſſe hoc ſenſu dicendus eſt omnis, qui beatus in Chriſto moritur, etiamſi prȩmaturâ morte corporali fuerit abreptus, vita enim veri & fidelis Chriſtiani talis eſt, ut *etiamſi mortuus fuerit tamen vivat. Ioh.* 11. 25. Quæ vita tam excellens eſt & pretioſa, ut vita longa corporalis, benedicta audire non mereatur, niſi quatenus vitę ſpiritualis typus eſt, utpote quæ verè longa eſt quia æterna, & qui hac potitur, verè benedictus eſt, licet illâ fruſtretur. Tantumque abeſt ut vita corporis hujus ſeculi, ſi longa fuerit, iſto ſolo nomine benedicta dici debeat, ut niſi cum ſpirituali fuerit conjuncta, verè ſit maledicta, *peccator enim licet* 100. *annos natus ſit, tamen eſt maledictus.* Hunc genuinum ſcripturæ propheticæ ſenſum eſſe judico.

(11) Τὸ ἐναντιοφανὲς quod Eſaiæ cum ſemet ipſo intercedit in verbis, *Puer natus centum annos morietur*, Item, *abſorpſit mortem in æternum*, vel *in victoriam*, rabbinicè i. e. ineptè ab Abarbenele ſolutum, Ben Iſrael improbante, ſuprà vidimus. Sequitur nunc ut de poſteriori loco agamus accuratius. Videbatur authori noſtro ſufficere, longævitatem probaſſe ex verbis, *puer natus* 100. *annos morietur*, addens autem & alterum locum, *abſorbebit mortem in æternum*, num inde cum Ben Iſrael & aliis omnimodam à ſecunda morte liberationem exſculpere velit, an verò limitationem à Kimchio inventam & Abarbeneli probatã admittat, dubito: non enim novum eſt Rabbinis ut ſibi non rarò contradicant. Prout autem opinione variant Iudæi, ſic etiam diverſa eorum ſunt judicia circa utrumque Eſaię locum, & conciliatio diverſa. Antiquiores qui Meſſiam in hoc ſeculo exſpectabant, duplicem mortuorum reſurrectionem ſtatuentes, communiter credebant longævitatem, & deinde mortem ſecundam, idque vi verborum, *Puer natus* 100. *annos morietur.* Cui ſententię non exiſti-

existimabant obstare verba Danielis *alii susci tabuntur ad vitam æternam*, hęc enim de secundâ resurrectione in fine mundi ad futurum seculum & spiritualem vitam quæ in cibo & potu non consistit, ut supra ab Aben Esra intellexi-mus, & ubi Messiæ non amplius erit locus, dicta credebant: nec verba Esaiæ, *absorbebit mortem in æternum*; illa enim cum limitatione exponebant, uti jam in Kimchio videbimus. Recentiores autem temporis brevitate exclusi, ac proinde Messiæ regnum ad futurum seculum referētes, unicamq; duntaxat resurrectionē statuentes, non tam facilè se extricare possunt, unde in diversa eunt. Alii (uti Ben Israel cum suis) dicta posteriora, *suscitabuntur ad vitam æternam*, item, *absorbebit mortem in æternum* præponderare putant, proindeque illa absolutè sumunt, nullamque mortem post resurrectionem, sed transportationem in paradisum duntaxat agnoscunt. Illud verò *Puer natus* 100. *annos morietur*, limitant & de gentibus tantùm non de Israelitis dictum esse contendunt, quam limitationem talmudicâ authoritate subnixam habent. Alii econtra, uti Abarbenel &c. hoc ipsum, *Puer natus* 100. *annos morietur*, præponderare judicant, unde absolutè illud sumunt, & suscitatos omnes futuri seculi quicunque illi fuerint per mortem secundam ad mundum animarum corporibus solutos transmittunt. Limitationē verò quam Kimchi ad illud, *absorbebit mortem in æternum*, affert, recipiunt, & Danielis locum de mundo illo animarum (quam bene vide supra) exponunt. Hactenus itaque Iudæorum expositiones ad verba hæc *Puer natus* 100. *annos morietur*, sive absoluté sive limitatè illa sumant, frivolas esse satis superque probavimus. Idem nunc circa alterum Esaiæ locum, ubi dicitur, *absorbebit mortem in æternum*, ibimus demonstratum. Ac primò quidem *absolutum* sensum, quem Ben Israel & alii hinc colligunt

ligunt, nimirum mortem non fore in futuro ſeculo, admittimus, modò tale nobis futurum ſeculum concedant, in quo non regnet peccatum, ubi enim peccatum eſt, ibi neceſſariò ſequitur mors: Quapropter nugaciſſimi ſunt, qui tale futurum ſeculum ſibi imaginantur, quod peccato obnoxium ſit, & tamen à morte liberum. Oſtendimus etiam quam frivolum ſit, fingere ſeculum, in quo aliqui à peccato planè immunes ſint, cum alterutrum omnino ſtatuendum ſit, vel omnes eſſe peccatores, vel nullos; vel diſtinguere inter peccata gravia & levia, cum nullum peccatum tam leve ſit, quin Divinæ legi ſit contrarium, & per conſequens reatum mortis incurrat. Et ſi concedant ſeculum à peccato liberum, premuntur jam difficultate loci alterius, *peccator* 100. *annorum erit maledictus.* Aliter itaque ſentientes alii hujus dicti limitationem amplectuntur, quam Kimchi his verbis ſubminiſtrat: בלע המות ישחית ויבטל המות ר"ל מיתה מקרית לא מיתה טבעית ר"ל ההריגה שהיו הורגים אותם הגוים בגלות או יבטל אותה המיתה. *Abſorbebit mortem: i. e. perdet & ceßare faciet mortem, non naturalem ſed accidentalem: mortem nimirum violentam quam gentes in captivitate inferunt Iſraelitis, hanc ceſſare faciet.* Hanc diſtinctionem probat Abarbenel, atque ita Eſaiam cum ſemetipſo conciliat, adſtruendo nimirum mortem *naturalem* in futuro ſeculo, juxta illud: *Puer* 100. *annos natus morietur*, at negando mortem *accidentalem*, juxta hoc, *abſorbebit mortem in æternum.* Sed frivola eſt hæc conciliatio, non enim ſufficit conciliaſſe Eſaiam cum ſemet ipſo niſi etiam cum Daniele conciliatus fuerit, qui dicit, *Alios ſuſcitatum iri ad vitam æternam*; Quo dicto non accidentalis duntaxat ſed & mors naturalis neceſſariò tollitur in futuro ſeculo, nec de mundo animarum poteſt exponi, cum non de animarum ſolummodò, ſed & ſuſcitatorum corporum æternâ vitâ ibi agatur.

Quo-

Quocunque ergo ſe vertant, non inveniunt ubi pedem figant Rabbini, niſi Chriſtianorum ſententiæ ſubſcribant, quæ nullam mortis ſpeciem in futuro beatorum ſeculo agnoſcit; idque juxta doctrinam Eſaiæ, qui ſibi ipſi, uti ſupra demonſtratum fuit, nullatenus hâc in parte contradicit, Quomodo verò in Chriſto, qui mortem æternam & temporalem quoad maledictionem, in omnibus corporis ſui myſtici membris devicit & abſorpſit, hæc prophetia ſit impleta, Chriſtiani interpretes docent, & Paulus oſtendit. 1. *Cor.* 15. &c.

(12) Nona conſolatio in revelatione gloriæ Dei ſita, fruſtra ad tempus adhuc futurum transfertur, utpote qua jam ante multa ſecula potiti ſunt, vel potiri potuiſſent, ni illam ſpreviſſent, unde Iudæis erepta, Chriſtianorum propria facta eſt. Hoc ut manifeſtum fiat, legatur capitis contextus ab initio uſque ad hunc verſum, & videbimus in Chriſti adventu impletum eſſe, quicquid inibi conſolationis eſt. Conſtat hoc imprimis ex verſſ. 3.4. qui ideo à 4. Euangeliſtis citantur & ad Iohannem Baptiſtam Chriſti prȩcurſorem, qui *vox illa clamantis in deſerto* fuit, referuntur. Per hanc *vocem* Rabbini neſciunt quid propriè intelligere debeant. R. Salomo dicit, vocem hanc eſſe רוח הקדש *Spiritum Sanctum*. Aben Eſra. קול המבשרים *vocem annunciantium*. D. Kimchi, כאלו קול קורא *inſtar vocis clamantis*. Abarbenel, קול משמירת התורה *vocem de obſervatione legis*. Verba etiam per vocem iſtam prolata: *Complanate viam Domini, Montes deprimentur & valles extollentur* &c. quidam inſulsè de complanatione viarum, montium & vallium, gentibus hic injunctâ, exponunt, quò judæi ex captivitate reduces, ne in itinere laſſentur, placidè & inoffenſo pede Hieroſolymam perveniant. Fruſtrà miſeri homines de complanandis viis ſunt ſoliciti, non animadvertentes, in cordibus ſuis latere illos ſuperbiæ &

arrogantiæ colles, cæcitatis salebras, incredulitatis saxa, aliaque densissima obstacula & ingentia monstra, quibus dejiciendis, complanandis, expurgandis, induratæ cervicis homines & εἰκῇ φυσιούμενοι ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτῶν operam suam impendere debuissent, quò viam ad salutis suæ cognitionem per fidem & resipiscentiam sibi parassent. Hoc erat quod vox illa clamantis in deserto monebat, cui non auscultantes, gloriæ divinæ revelationis spe quam nunc incassùm exspectant, propriâ suâ culpâ exciderunt.

(13) Vaticinium Ioelis de Spiritus Sancti effusione, penitiùs hic inspiciēdum, impletum esse videmus *Act.* 2. 17. quod putabā Lipmannum nobis contestaturū, sed frigidè admodum transit. Audiamus igitur Abarbenelem אבדו ישראל בגלותם מארצם שלשה מתנות נכבדות שהיו להם נבואה ומופתים וידיעה אלקית ובמו שאמר אותותינו לא ראינו אין עוד נביא ולא אתנו יודע עד מה ומפני זה ייעד הנביא פה על שלש אלה שיחזרו לאומה כי באמרו אשפוך את רוחי על כל בשר רמז אל הידיעה והכרת אלקית השם יתב' שהיא הנקראת רוח השם כמו שנאמר ונחה עליו רוח השם רוח חכמה ובינה כי ביעבור שהיתה החכמה נשואה ברוח השכלי תקריא היא יצמיה רוח להיות' דבר רוחני זלא גשמי ולכן אמר על כל בשר שהוא באמת כולל לכל בני אדם מאיזה אומה שתהיה כמו שנאמ' יבא כל בשר להשתחוו' לפני ויבדך כל בשר שם קדשו וענין הידיעה הוא שכל בני בשר יקראו בשמו וכירו אלקותו כמו שנאמר או אתפוך על עמים שפה ברורה לקרא כולם בשם השם ואל זאת ההכרה והידיעה שתתחדש בעולם מלבותו אמר כאן אשפוך את רוחי על כל בשר ואמר גם כן וגם על העבדים ועל השפחות ההמה אשפיך את רוחי כי אין ראוי לפרש הרוח הזה על הנבואה כי אם על הידיעה והחכרה באלקותו כמו שאמרתי והוהרה בזה השאלה הראשונה וזהו הייעוד הראשון שיגשה הנביא כאן ר"ל שתמלא הארץ דעה את ה'. והייעוד השני הוא אומרו ונבאו בניכם ובנותיכם כלו' ש.ע"פ שמיום שנחרב ב"ה וננזו הארון ע"י ירמיהו בזמן החרבן אין יעוד נביא ובזמן בית שני לא חלה גבואה בשום אדם וכ"ש בגלות שלא מצאו חזון מהש' הנה בזמן הגאול' ישוב הנבואה לחול ביעם ישראל ד"ל במוכנים מהם מה שלא היה ולא יהיה בשאר הגוי' ולפי שהנבואה היא בב' מינים חלום נבואי ומרא' נבואי' כמו שנאמר בתור' ומראה אליו אתודע בחלום אדבר בו ולכן אמר במספר בדרנו' הנבואה אשר תמצא בהם שהוקנ' שבהם יזכו לחלומות הנבואי' והבחורים לחזיונות שראו שהם ממין המראה הנבואית והיה זה לפי שהוקנים לרוב לחותם חמקריי מתחדש בהם וקנה ולטרדת כחם הכרמ' מרוב האנשים אשר ראו וידעו יגבר בהם הדמיון ולכן כשיבואם השפיע יהיה בחלום אמנם

אמנם הבחורים שאינם כל כך לחים וכחם המדמה אינו כ"כ טרור ומלא מהצורות
אשר ראו תבואם הנבואה במראה והוא אמרו חזיונות יראו והותרה בזה השאלה
הב' ולא אמר חנביא הנה שכל הזקנים ינבאו בחלום ולא שכל הבחורי' חזיונות
יראו אבל אמר בלשון סתמי זקניכ' בחוריכ' לרמוז אל המוכנים מהם והראויים
לנבואה שהם יקבלוה ואמנם היעבר"ם והשפחו"ת שמפני עבודתם יהיו תמיד בעצבון
לא יוכלו להנבא אבל ישפוך השם את רוחו עליהם ר"ל רוח דעת ויראת השם
ויתר תהיה לך על אוזך ולא תשמיע לדברי הרב המורה שכתב בפרק ל"ב ח"ב
ו"ל ואמנם אשר בא בייעודי הנחמות באמרו אשפוך את רוחי על כל בשר ונבאו
בניכם ובנותיכם כבר פירש זה והגיד מה תהיה הנבואה באמרו זקניכם חלומות
יחלומון וכחוריכ' חזיונות יראו כי כל מגיד בנעלם מצד הקסם או אוב וידעוני
ומצד הכהון או מצד נבואה צודקת הוא יקרא גם כן נביא ולזה נקראו נביאי הבעל
ונביאי האשרה נביאים ע"כ: ומי יתן איפה ולא יכתבון מליו אלה כי איך יהיה
הנביא מיעד שלזמן הגאולה יהיה בישראל קוסם קסמים מעונן ומנחש
ומכשף מלאכות האסורות בתורה ואך יקראם השם רוחי אם הוא
שאשפיך את רוחי על כל בשר נאמר על זה כפי פירוש הרב אלא
שרבר הנביא מהנבואה האמיתית תשוב לחול באומה בימי קדם שלפי שהיתה
ואמנם מה שהביא הרב לדעת הזה והוא לכוחו שיהיו כל עם השם נביאים
מבלי הכנה הפך שרשיו כבר בארתי שאינו מחויב כי פירוש אשפוך את רוחי לא
נאמר על הנבואה ונבאו בניכם ובנותיכם הרצון בו אותם שיהיו מוכנים אליו והוא
על מה שאמר יעמוד ואקים מבניכם לנביאים ואולי שאין ההבנה שזכר הרב הברחת
לנבואה כמו שחשב וכמו שיתבאר ונחזור לפי הפסוקים ואומר שלפי שהיתה הנבואה
באומתינו מכלל המופתים ואינה בדרך הטבע כמו שחשב הרב לכן כמך לזה ונתתי
מופתים בשמים ובארץ להגיד שתהיה נבואתם בכלל המופתים והמופתים הם הייעוד
הנ' שייעד הנביא באן שיעשה השם בקרב ישראל בימי עולם וכשנים קדמוניות
ומכללם יהיה בשמים ובארץ הם ואש התמרות עשן ואמנם מה המופתים ההמרה
אשר אמר דם ואש ותמרות עשן אין ספק כי הוא מה שביאר וחזקאל בסלחמרה
גוג ומגוג שיהיה שם רם ההרג היעצומה בארץ ואש ותמרות עשן שמטיר השם
עליהם מן השמים אש וגפרית ורוח זלעפות וגו' ובעבור שהשמש מורה על בני
אדום והירח על הישמעאלים לכן אמר רומז על נקמתם השמש יהפך לחשך כי
יהיה חשך אפלה לבני אדום והירח לרם בבני ישמעאל וגו'. *Perdidit*
Israel per exilium ex terra sua tria excellentia dona quæ habuerant, sc. prophetia, miracula, & cognitio divina, juxta illud: Insignia nostra non videmus, non est amplius propheta, neque est apud nos qui sciat usque quò. Psal. 74. 9. *Quocircà promittit propheta hic, hæc tria dona populo restituenda esse. Nam cum dicit: Effundam spiritum meum super*

omnem carnem, intelligit scientiam & cognitionem Divinam, quæ hic vocatur spiritus Dei, sicut dicitur: Et quiescit super illo spiritus Dei, spiritus sapientiæ & intelligentiæ. Esai. 11. 2. *Quia enim sapientia provenit a spiritu intelligente, vocatur & ipsa spiritus, cum sit res spiritualis & non corporalis. Ideo etiam dicit: super omnem carnem, quia omnibus filiis Adam qui gentem constituunt conceditur: sicut dicitur*, veniet omnis caro ad incurvandum se coram me: Esai. 66. 23. Benedicet omnis caro nomini sancto ejus. Psal. 145. 21. *quod de cognitione dictum est, omnis enim caro invocabit nomen Dei & cognoscet divinitatem ejus, juxta illud*, tunc mutabo in populis labium ut purum sit, ut omnes invocent nomen Dei. Zeph. 3. 9. *De hac itaque cognitione, quâ regnum ipsius sanctificabitur in perpetuum, loquitur hic: effundam spiritum meum super omnem carnem: Addit etiam, & super servos & super ancillas effundam diebus illis spiritum meum. Neque convenit ut per spiritum hunc intelligamus prophetiam, sed solummodo scientiam & cognitionem Divinam, sicut dixi, atque ita solvitur prima quæstio* (illarum nimirum quæ huic prophetiæ præfixæ sunt.) *Hæc igitur est prima promissio quam propheta hic facit, qua significare voluit, totam terram cognitione Dei esse implendam.. Altera promissio est in verbis: et prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ; quasi dicat, ab eo quidem tempore quo domus sanctuarii vastata est & arca abscondita per Ieremiam, tempore nimirum vastationis, nullus propheta exstitit, etiam tempore domus secundæ nulli hominum prophetiæ donum concessum est, minus tempore exilii ulla divina visio reperta: Ecce tempore redemptionis reddetur donum prophetiæ vulgo populi Israelitici, illis nimirum qui ad id fuerint dispositi, quod reliquis gentibus nunquam contigit neque continget. Et quia prophetia hæc duas habet species, propheticum scilicet somnium & visiones propheticas, sicut dicitur in lege*; per visionem

ego

ego me ipſi notum faciã,& per ſomnium ego ipſi loquar. Num. 12. 6. *ideo de pluribus prophetiæ quam obtinebunt gradus mẽtionem facit, ſeniores inter ipſos propheticis ſomniis honeſtandos ait, juniores autẽ viſionibus, quas videbunt, de ſpecie ſcil. viſionis propheticæ. Ratio autem hujus eſt, quia in ſenibus, propter humiditatis accidentalis abundantiam, quæ ſenectutem reſtaurat, & continuum exercitium facultatis imaginatricis, à multitudine hominum quos viderunt & cognoverunt, prævalet imaginatio, ideo cæleſtis influxus plerumque in ſomnio ipſis obvenit. Verùm junioribus qui uſque adeò humidi non ſunt, quorumque facultas imaginatrix non uſque adeò occupata eſt, ſed formarum externarum quas contemplatur, plena eſt, obvenit prophetia per modum viſionis, ideo dicit, ipſos viſuros viſiones, atque ita ſolvitur etiam ſecunda quæſtio. Etiam non dicit propheta, omnes ſenes habituros ſomnia, & omnes juvenes viſuros viſiones, ſed indefinitè: ſenes veſtri & juvenes veſtri; ut oſtendat ſe tantum de aptioribus & prophetiâ dignioribus loqui, quod illi tantum eam accipient: Verùm ſervi & ancillæ, quia continuo labori ſunt adſtricti, prophetiæ vacare non poterunt, ſed effundet Deus ſuper illos ſpiritum ſuum, ſpiritum ſcil. cognitionis & timoris Dei. Quapropter paxillum infiges auribus tuis ne auſcultes verbis Raf Hammoreh* (Majemonidis,) *part. 2. cap. 23.* (*benedicta tamen ſit ejus memoria*) *ubi ita ſcribit: illa quæ in conſolationum promiſſionibus occurrunt, effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ, ipſe propheta ibid. explicat, indicatque, qualis illa prophetia ſit futura, dum ait; ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt, quicunque enim de re abſcondita aliquid nunciat, vel per modum divinationis, ſive pytho ſive hariolus fuerit, vel per modum functionis ſacerdotalis, vel per modum prophetiæ legitimæ, vocatur propheta, & ſic prophetæ Bahalis & prophetæ lucorum dicti ſunt prophetæ. Vtinam iſta viri iſtius verba nun-*

quam

quam fuissent scripta: Quomodo enim promittere potest propheta tempore redemptionis fore in Israele divinatores, præstigiatores, augures, incantatores, aliasque functiones in lege prohibitas? Et quomodo tales vocare potest Deus, Spiritum suum, si nimirum: effundam spiritum meum super omnem carnem, de isto hominum genere dicitur, sicut exponit Raf. Loquutus autem est propheta de vera prophetiâ, quæ ad vulgum in populo redibit, sicut priscis temporibus obtinuit. Et sanè quod Raf ad hujus rei confirmationem affert, necessarium aliàs esse, juxta hoc dictum Dei populum debere esse prophetas absque dispositione, contrarium huic fundamento nunc demonstravi, sc. non debere verba illa, effundam spiritum meum, de prophetia exponi: illaque, filii & filiæ vestræ prophetabunt non dici nisi de illis qui ad id fuerint dispositi. Iuxta illud quod dicit Amos: Excitabo è filiis vestris prophetas. Am. 2. 11. *Imò hanc dispositionem ad prophetiam, requisitam, non esse talem qualem fingit Raf, ex verbis quæ hic in textu sequuntur, liquet. Quia enim prophetia, quæ populo nostro propria erit inter miracula recensenda est, & non inter dona naturæ, ut existimat Raf, ideo immediatè addit Ioël: Et dabo prodigia in cælo & in terra, ad indicandum prophetiæ donum fore miraculosum. Signa autem miraculorum tertiam promissionem conficiunt, quam hic promittit propheta, Deum scilicet illa editurum in medio Israëlis, sicut fecit temporibus priscis & diebus antiquis. Illaque fore in cælo & in terra, sanguinem & ignem & elationes fumi. Quænam autem sunt ista signa? Sanguis, ignis & elationes fumi. Non est dubium quin illa sint de quibus loquitur Ezechiel, ubi agit de bellis Gog & Magog, in quibus videbitur sanguis horrendæ cladis in terra ignis itē & elationes fumi in cælo, nā immittet illis Deus è cælis ignem, sulphur, & ventum procellarum. &c. Illud autē, sol cōvertetur in tenebras, Aben Esra exponit de obscurationib. luminarium, quæ erunt temporibus illis, veluti si-*

gna

gna quib. graviſſima illa bella indicantur. Raſ autem hoc intelligit per modum ſimilitudinis auguſtias & vindictam denotantis. At meo judicio, loquitur de ſole & luna ſpeciatim, quia graviſſimum illud bellum erit inter Edom & Iſmael, qui ſimul pugnabunt contra terram ſanctam ad illam occupandam, ſicut ſcripſi in Majene Hajeſchuah, majan. 11. revera de bellis Gog & Magog illa quæ prophetæ ſic prædixerunt eſſe intelligenda. Sol itaque ſunt filii Edom, (Chriſtiani) Luna autem ſunt filii Iſmaël (Turci) & ſuper victoria de illis ſumenda dicit, ſolem in tenebras eſſe convertendum, quia denſiſſima caligo obruet filios Edom, & lunam convertendam in ſanguinem, indicans ſtragem filiorum Iſmael &c. Iudaicâ hâc expoſitione præmiſſa plenius videmus quantum judæi diſtent à Chriſtianis circa genuinum vaticinii Ioelis, à Petro Apoſtolo ad tempora Apoſtolorum & Eccleſiam N. T. Actor. 2. 17. relati, ſenſum; quod ſanè ſi judæis habenda fides, præter ſcopum prophetæ fuiſſet. Tria ex hoc dicto amiſſa dona exſculpit Abarbenel, tempore Meſſiæ reſtituenda. 1. Cognitio. 2. Prophetia. 3. Miracula. *Primum* donum quod attinet, nimirum cognitionem Dei, illud à prophetâ hiſce verbis *effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem*, promitti, & gentibus cum judæis commune futurum dicit. Et hoc modo, ſicut ſibi ipſi, ſic & aliis ſe ſatisfeciſſe credit ad primum dubium huic prophetiæ his verbis præfixum. נאמרו אשפוך את רוחי על כל בשר כי
איך יתכן שעל כל בשר שהוא שם כולל למין האנושי תחול הנבואה ורוח
אלקים ואם היתה התכנה תנאי הכרתי במציאות הנבואה כמו שהשכימו הרב המורה
ום עתו איך היה אפשר שכל בני אדם כקטון כגדול כחכם כסכל ינבאו ורש"י פירש
על כל בשר על מי שיעשה רך בלבו כבשר רוגמת ונתתי לכם לב בשר והוא
דרך דרש והראב"ע ושאר המפרשים פירשו על כל בשר על שראל והנה בשר
כולל לכל אדם כמו שנאמר לשחת כל בשר ויגוע כל בשר *Cum dicit: Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, quomodo ſtatui poteſt, omni carni, quæ vox totum genus humanum complectitur ſpiritum ſanctum & dona prophetiæ fore communia? Et ſi*

dispositio sit conditio necessaria ad prophetiam requisita, uti affirmat Raf Hammoreh, & qui cum ipso faciunt, quomodo possibile est, ut homines, tam parvi quam magni, tam sapientes quam stulti prophetent? Et R. Salomo exponit: super omnem carnem i. e. super omnem qui se gesserit tanquam habens cor carneum, juxta illud, & dabo vobis cor carneum Ezech. 36. 26. *Eodem modo exponunt Aben Esra & reliqui interpretes qui per omnem carnem intelliguut omnem Israelem. Sed nomen carnis commune est omnibus hominibus, sicut dicitur:* Ad predendum omnem carnem. Gen. 6. 17. Et omnis caro exspiravit. Gen. 7. 21. Liquet hinc, in quo consistat scrupulus qui in hac prophetica promissione tantopere cruciat Iudæos. Prophetam spiritum propheticum (quam solis Israelitis & quidem excellentioribus inter ipsos peculiarem esse contendunt) *omni carni* promittere, non possunt concoquere. Omnem ergò movent lapidem quò hunc sibi scrupulum eximant. Majemonides videtur prophetię vocabulum latius quam par erat hic sumpsisse, sc. tam pro illicito prophetandi genere, quod prophetis Baal familiare, quam pro divino & licito, atque ita non mirum in omni carne, i. e. inter omnes omnino gentes reperiri, qui spititu prophetico se afflatos profiteantur. Sed illum hoc nomine vehementer carpit Abarbenel, addità ratione, illicitum prophetandi genus, neque tempore Messiæ (de quo propheta loquitur) habiturum locum, neque spiritum Dei posse appellari, cum Deum authorem non habeat. Alii ad proprietatem vocis *carnis* confugiunt, illaque non universalitatem generis humani, sed novam duntaxat qualitatem illam populo judaico imfundendam quam propheta Ezechiel vocat *cor carneum*, indigitari existimant, inter quos R. Salomo, Aben Esra & alii. Sed neque strictam hanc & allegoricam vocis (*carnis*) sumptionem probat Abarbenel, qui per *omnem car-*

nem genus humanum universaliter denotari ex citatis locis evincit. Cum ergò omnes cæcutiant, & in tenebris versentur, ille solus hic sapit, novaque partium textus subdistinctione inventâ magnam præstitæ operæ apud socios suos gratiam iniviſſe sibi videtur. Verba igitur illa, *effundam de spiritu meo super omnem carnem*, distinguit à sequentibus: *filii & filiæ vestræ prophetabunt*, in his promitti donum prophetiæ, in illis non item, quod antecessores ipsius non animadvertentes per spiritum effundendum ipsum prophetiæ donum postea expressum intellexerant. Si quæras, quid ergo propheta per spiritum sanctum effundendum promittat? audivimus esse donum cognitionis & intelligentiæ, cujus *omnis caro* i. e. gentes ad veri Dei cultum & judaici Messiæ venerationē vocandæ, futuræ sunt participes: proptereaque prophetam distinguere *omnem carnem* i. e. omnes homines à *filiis & filiabus* judæorum, his promittere donum prophetiæ, illis cognitionis solummodò & intelligentiæ spiritum. Mirificè sibi placet iste homo detectâ hâc compositionis & divisionis fallaciâ: Quo etiam tacitè locum hunc Christianis eripere studet, quod nimirum de impletione hujus prophetiæ gloriari nequeant, cum nec prophetiæ donum eo sensu quo judæi illud definiunt, nec signa illa & miracula quæ propheta annectit in Ecclesia Christiana unquam fuerint conspicua. Utrumque ergo examinandum erit.

Prophetiam quod attinet, illā à *spiritu Sancto* distinguere videmus judæos; quā distinctionem Kimchi in præfatione suâ in Psalmos sic illustrat אמרו כי ברוח הקדש נאמר זה הספר לפיכך כתבוהו בכלל הכתובים ולא בכלל הנביאים כי לא נאמרו דבריו בנבואה כי אם ברוח הקדש ונביאי אנחנו מינע מן החפרש אשר בין הנבואה ורוח הקדש הוא כי הנבואה דבר בא על הא ים שהוא חכם שלם במדותיו תבוא לו הנבואה בחלום ובעת תבואהו הנבואה בהקיץ יתבטלו כחותיו הרגשיות והיה מסולק מכל דרכי העולם והוה יראה במחזה הנבואה

הנבואה כאילו איש מדבר עמו ויאמר לו כך וכך או יראה דמיונות במראה ההיא או לא יראה שום תמונה אלא ישמע קול מדבר עמו ורוח הקדש הוא שיראה האדם השלם מתענק בדברי האלהים שלם בכל הרגשותיו לא תתבטל אחת מהן ומדבר מה שמדבר כדרך בני אדם אלא שמעוררת אותו רוח עליוני ותופיע הדברים על לשונו דברי שבח והודאה לאלהיו. *Dicunt per ſpiritum ſanctum hunc librum eſſe dictatum, ideoque inter Cethuvim i. e. ſcriptos* (ſc. per ſpiritum) *non verò inter prophetas recenſetur, quia verba ejus non per prophetiam ſed per ſpiritum ſanctum dicta ſunt. Paucis autem dabimus differentiam quæ eſt inter prophetiam & ſpiritum S. quæ in eo conſiſtit, quod prophetia res ſit quæ homini ſapienti & affectibus integro accidit. Accidit autem ipſi prophetia in ſomnio, & tempore quo obvenit, dum expergiſcitur, facultatibus ſenſitivis deſtituitur, omnibus hujus mundi negotiis ſubductus, videtque in viſione prophetiam, quaſi vir quidam cum ipſo hoc vel illo modo loqueretur, vel in viſione iſta ipſi offeruntur ideæ, vel nulla oblatâ ideâ audit vocem ſecum loquentem. At Spiritus Sanctus eſt, quando homo Divinæ legi dans operam, pro humanâ ratione, ſenſitivis facultatibus integer, nulla earum ſubducta, videt & loquitur excitatus tamen per afflatum ſpiritus cæleſtis, qui linguæ ipſius divinarum laudum & celebrationum verba ſubminiſtrat.* Sed fruſtrà ſunt homines iſti, qui in eo toti ſunt ut non *rem* ſed *modum rei* nobis definiant. Non quæritur quo afflatu prophetæ vaticinari ſoleant, ſed quid proprie ſit prophetia. Prophetia (ſi vocem quæ Græca eſt, ſpectes) eſt *rerum futurarum prædictio*, ſive jam iſta prædictio fiat per modum viſionis, ſive per modum ſomnii, ſive aliter, perinde eſt, non énim ſpectat hoc rem ſed rei modum, de quo poſtea ſeparatim loquemur. *Rem* ergo quod attinet, non ſubſiſtendum nobis in voce *prophetia* (in cujus ſola conſideratione plurimi hærētes, de hoc ſubjecto minus doctè loquutos eſſe compertum eſt) ſed aſcendendū ad naturā & uſum vocis Hebrææ

נבואה; cui illa, non hæc illi ſubſternenda. quâ accuratè expenſ, manifeſtum fiet τὴν προφητείαν duntaxat ſpeciem eſſe τῆς נבואה, ſi nimirum τῆς προφητείας vocabulum pro rerum futurarum prædictione, uti ſumi conſuevit, ſumatur. Quam tamen acceptionem nimis anguſtam eſſe ex Græcis authoribus conſtat, apud quos προφῆται non tantum ſunt rerum futurarum *prænunciatores* ſed & divinorum oraculorum *enunciatores* ſive interpretes, uti conſtat ex illo Luciani ἀληθείας καὶ παῤῥησίας προφήτης, *veritatis & libertatis interpres.* Sed cum judæis nobis res eſt, qui genuinam Hebraici thematis latitudinem non agnoviſſe vel agnoſcere noluiſſe videntur. Verbum נבא videtur originem duxiſſe à נוב *Germinare, fructificare*, unde ניב *Fructus*, & metaphoricè *fructus labiorum.* i. e. *ſermo.* Eſai. 57. 19. Hinc נבא eſt *Divinos ſermones proponere & exponere, de rebus Divinis diſſerere.* נביא *Divinorum eloquiorum internuntius*, qui diſſerit de rebus, Deum Deique voluntatem ſpectantibus, נבואה *Divinorum eloquiorum elocutio*, de rebus divinis diſſertatio, dicta per ſynecdochen ſpeciei, *prophetia.* Eſt itaq; נבואה Nomen *Generis*, quod varias ſub ſe *ſpecies* continet. 1. *Doctrina* ſeu *inſtitutio.* 2. *Celebratio.* 3. *Increpatio.* 4. *Prædictio.* 5. *Interpretatio. Doctrina* ſeu *inſtitutio* primum prophetandi genus eſt. Hinc apud judæos olim erant *ſcholæ prophetarum*, & *filii prophetarum*, non quod omnes ad ſuperiorem illum prophetiæ gradum qui erat rerum futurarum prædictio, perveniſſent, ſed quod juniores ibi à prophetis i. e. doctoribus in judaicæ fidei myſteriis inſtituerentur. Eò ſpectant verba Moſis, cum ipſi nunciaretur, Eldad & Medad in caſtris propherare: *utinam totus populus Dei eſſent prophetæ, indente Deo ſpiritum ſuum illis. Num.* 11.29. Quod ſanè de rerum futurarum prædictione, cui enim bono hoc? ſed de divinorum myſteriorum & rerum ad ſalutem neceſſaria-

rum cognitione intellexit. Sic *Saul inter prophetas* non erat, qui futura prædicebant, sed qui res sacras tractabant, docebant & discebant. 1. *Sam* 10. 5. Hinc Jonathan Chaldæos ibidem חבל נבאים *Turbam prophetarum*, cui Saul occurrebat, vocat כיתת ספרא *Cœtum Scribarum*, i. e. virorum doctorum, literatorum, legis peritorum, qui descendebant מהבמה *ab excelso* i. e. מבית אסחרותא *à domo Consessus*, ubi nimirum discendi & docēdi causa consederant. 2. *Celebratio* secundū prophetandi genus est. Sic qui Deum laudāt, ejusq; magnifica opera musicis instrumentis deprędicant dicuntur הנבא *prophetare*. 1. *Chron.* 25. 1. 2. 3. *Distinxit David cum principibus militiæ ad ministerium in filios Asaphi, & Hemanis & Ieduthunis, eos qui prophetabant citharis, nabliis & cymbalis &c. Asaphi qui prophetabat ex præscripto regis &c. Iuduthunis cum cithara, qui prophetabat de celebrando & laudando Deo.* Sic ubi de prophetarum turba dicitur, quod descenderint מתנבאים ולפניהם נבל ותוף וחליל וכנור *Prophetantes cum nablio, tympano, tibia, & cithara ante se.* 1. Sam. 10. 5. Ionathan Chaldæus illud מתנבאים *prophetantes* reddit per משבחין *laudantes*, & D. Kimchi addit: נבואתם היתה שירות ותושבחות לאל נאמרות ברוח הקדש *Prophetia eorum erant cantica & celebrationes divini Numinis per spiritum prolatæ.* 3. Tertium prophetandi genus est *increpatio*: Quando *prophetare* dicuntur qui populo peccata sua ob oculos ponunt & gravissima Dei judicia ipsi denunciant. *Fili hominis dispone faciem tuam versus Hierosolymam, & prophetato contra terram Israëlis, dicens, Ecce me contra te exserturum gladium meum &c. Ezech.* 21. 7. Et alibi sępius. 4. Quartum prophetandi genus specialiter sic dictum, est *rerum futurarum prædictio*, non quidem inflictionis pœnæ in genere quæ juxta divinæ legis & justitiæ ordinem subsequi solet peccatum, quam prophetæ non ex speciali revelatione, sed ex officio juxta tertiam prophetiæ

spe-

ſpeciem prædicunt, ſed talium rerum futurarum quę abſque ſpeciali & miraculoſo divinæ revelationis influxu prævideri & prænoſci non poſſunt. Et quia hoc donum in priſcis illis נביאים Dei ſervis quam maximé conſpicuum erat, ideo per hujus ſpeciei ſynecdochen dicti ſunt *prophetæ, prædictores*, & ipſorum נבואה *prophetia*, quia maxime in prædictione conſiſtebat. Diverſi autem prophetiæ gradus erant pro diverſis rerum futurarū de quibus vaticinabantur, objectis. Alii prædicebant tempora Meſſiæ, eiuſque regnum, perſonam, ſtatum, perpeſſiones & gloriam deſcribebant, & hic ſupremus propheriæ gradus eſt, quo Eſaias prophetarum, ut ita loquar, facilé princeps ante omnes alios excelluit. Inferioris ſubſellii erant, qui Rerum publicarum, judaicæ imprimis, incrementa & decrementa, mutabilem humanæ ſortis, regum, principum, & privatorum fortunam, fatales denique rerum abſconditarum eventus, penitiſſimis earum receſſibus divino afflatu detectis, infallibiliter prænunciabant. 5. Quintum prophetandi genus eſt *interpretatio*, quando quis per ſpiritus ſancti illuminationem ſcitè exponere novit divina oracula ſive ab ipſo Deo immediaté, ſive mediaté per homines juxta præcedentem prophetiæ ſpeciem edita. Sic Moſi dicitur, quod Aharon frater ejus futurus eſſet ipſius *propheta* apud Pharaonem, conqueſtus enim erat Moſes ſe labiis præputiatum eſſe i.e. linguam habere impeditam. Futurus itaque erat Moſes propheta quarto modo, i. e. qui oracula à Deo exciperet, Aaron autem propheta quinto modo, qui oraculo illa per Moſem data Pharaoni & populo exponeret. Hinc נביאך *propheta tuus*, Onkelos Chaldæus reddit מתורגמנך *interpres tuus*. Nota quæ R. Salomo hic addit כל לשון נבואה אדם המכריז ומשמיע לעם ודברי תוכחות והוא מגזרת נובל שפתים נ"ב. וכמוהו וכל כהתנבות ושמואל ובלע"ז קורין לו בריד"ר *Qui verba prophetica promulgat & expoſit populo, verba*

verba increpationum, *quæ sunt* fructus labiorum Esai. 57. 19. justi qui sapientiam profert prov. 10. 31. *& juxta illud* quam absolvisset prophetare. 1. Sam. 10. 13. *hic in lingua vulgari* (Germanicâ) *vocatur* PREDIGER concionator. Docet התנבא *prophetare* hoc sensu nihil aliud esse quam *concionari*, verba prophetica populo exponere, & נביא *concionatorem*, qui profert נב *fructum* labiorum, & cujus labia ינובו *proferunt* sapientiam, quæ vocabula Hebræa cum נבא & נביא pulchrè conveniunt, adeò ut hæc ab illis, ut supra dictum, originem duxisse videantur. Hoc sensu Paulus apostolus frequentissimè sumit prophetandi vocabulum. vid. 1. Cor. 14. 1. &c. ubi προφητεύειν nihil aliud est quam facultate scripta prophetica exponendi esse præditum.

Hactenus de *re* ipsâ, quid nimirum sit *prophetare* & *prophetia*. Sequitur *modus* rei. Modorum prophetandi undecim gradus proponit Majemonides *Mor. Nev. part. 2. c.* 45. sed confundit rem cum rei modis. Notandum verò, ubi de modis prophetandi agitur, 1. Unicum duntaxat in omni prophetiæ specie esse essentialem, sine quo prophetandi facultas non conceditur, qui est internus spiritus sancti afflatus, influxus, illuminatio, revelatio. 2. Quartam prophetię speciem, accidentales habere modos, reliquis speciebus non communes, modi enim in lege & religione instituendi, divinas laudes decantandi, tremenda Dei judicia peccatoribus denunciandi, divina oracula interpretandi, in solâ internâ spiritus sancti illuminatione, influxu & motu consistunt; modus verò futura prædicendi peculiaria πμπτώματα habet, quæ licet de prophetię essentiâ, sive rem sive modum spectes, non sint, (per internam enim Spiritus S. revelationem absque externis illis casibus futura prænosci possunt) Rabbini tamen in modis istis totam prophetię essentiam collocant,

nec

nec rem à modis, nec diversas rei species à se invicem accuratè discernentes. Quartę itaque speciei modus primus sive supremus gardus est *allocutio oris ad os. Num.* 12. 8. Hic modus soli Mosi peculiaris fuit, utpote qui cum Deo familiariter utens, ex ipsius ore quæ facienda & futura essent intellexit. Secundus modus est *allocutio angelica*, quando Deus per ministerium angelorum, visibili specie apparentium, servis suis voluntatem suam revelat, uti factum Abrahamo & aliis. Tertius, *Allocutio vocis in visione*, uti Mosi accidit ad rubum ardentem. Ex. 3. Petro apostolo ad aspectum demissi vasis Act. 10. Abrahamo in visione segmentorum. Gen. 15. Quartus, *Allocutio in somnio.* Sic angeli à Deo missi voluntatem ejus hominibus revelare solebant. vid. Gen. 31. Matth. 2. &c. Quintus, *Somnium ænigmaticum* i. e. parabola in somnio oblata, cujus sensum vel per internam illuminationem vel per interpretis ad id à spiritu S. afflati declarationem deprehendit. Talia erant Somnia Iosephi, Pharaonis &c. Sexta, *visio prophetica in somnio*, cum propheta persuasus se cum Deo familiariter loquutum esse in somnio, eiusque jussa excepisse. sive per parabolam sive sine eâ, de ejus voluntate expergefactus certior est, juxta illud: *In visione me notum faciam ei, in somnio loquar cum ipso. Num.* 12. Hæc tam de re quam de modis dicta sufficiunt. Hinc colligimus. 1. Quando Rabbini inter *Spiritum Sanctum* & *Prophetiam* distinguunt, & spiritui sancto tribuunt libros *Cetuvim* seu *Hagiographos*, Prophetiæ autem *propheticos*; ipsos nec rem nec modum rei, accuratè distinguere, si enim rem distinguere voluissent, non debuisset fieri distinctio inter Sp. Sanctum & prophetiam quasi inter duo opposita, sed inter diversas prophetiæ species, inter quartam nimirum (quam solam illi vocant prophetiam) & alias, in quibus aliud prophetandi genus conspicitur, ut in pleris-

que Hagiographis, qui tamen æquè prophetæ fuerunt ac præcedentes, at ſpiritus ſanctus non facit ad rem ſed ad modum rei, non enim occurrit in quæſtione, quid ſit prophetia? ſed quomodo fiat prophetia? Præterea ſi modum accuratè diſtinguere voluiſſent, nō debuiſſēt diſſerentiā ſumere à modo eſſētiali & omnibus prophetię ſpeciebus communi, qui eſt ſpiritus ſancti afflatus, quaſi S.ſanctus in Hagiographis duntaxat influxum habuiſſet, non verò in propheticis revelationibus, quod omnino falſum, ſed tales exhibere modos, qui diverſa iſta ſcribendi genera accuratè à ſe invicem ſecernerent. Inepta ergò & ridicula eſt iſta diſtinctio *inter Spiritum S. & Prophetiam*: Eſt enim ac ſi quis diſtinguere volens inter *hominem* & *brutum*, loco hominis ſubſtitueret *facultatem ſenſitivam*, loco bruti *animal*. Prout enim ſeſe habent facultas ſenſitiva & animal ad utramque iſtam ſpeciem, Hominem & Brutum; animal genus eſt quod ſoli bruto non competit, ſed utrique ſpeciei commune eſt, ſenſitiva facultas agendi modus eſt, non ſoli homini proprius ſed ad utramque ſpeciem ſpectans: Sic etiam ſeſe habent ſpiritus Sanctus & prophetia ad utrumque iſtud ſcribendi genus inter quod diſtinguere volunt, prophetia genus eſt quod ſoli futura prædicendi dono non competit, ſed utrique ſpeciei ſive prophetandi generi commune eſt; Spiritus S. influxus agendi modus eſt, non ſolis Hagiographis proprius ſed omnibus prophetię ſpeciebus familiaris. *Secundò*, liquet & hoc, Abarbenelis ſolutionem ad propoſitum ſcrupulum nullo niti fundamento, quando verba illa Ioelis; effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, à ſequentibus ita ſeparat, ut ſingulare aliquod donum, divinæ nimirum cognitionis & ſcientiæ, omni carni, i. e. gentibus promiſſum, à prophetiæ dono in ſequentibus verbis ſolis judæorum filiis & filiabus promiſſo diſtin-

ctum

dum, illis contineri intelligatur. Quis hominem iſtum contra majorum ſuorum fidem tam acutè ineptire docuit? Quaſi verò cum divinis donis ita comparatum ſit, ut qui Sp. S. effundit non effundat donum prophetiæ, & qui donum prophetiæ effundit non effundat ſpiritum ſanctum. Imo contrà ex ſupradictis conſtat, donum Spiritus Sancti eſſe donum prophetiæ, & viciſſim donum prophetiæ eſſe donum Spiritus, voce ſcil. prophetię latè ſumptâ, uti ſumi convenit. Tribus itaque periodis, tria promittit Ioel. 1. Divinorum donorum cujuſcunque ſint generis, authorem, *ſpiritum ſanctum* ſuper omnem carnem, gentes, ſervos, & ancillas *effundendum*. 2. Dona à Spiritu Sancto manantia, ſub voce *prophetiæ*, quæ omnes ejus ſpecies complectitur, propoſita, *prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ*. 3. Particularem illum & accidentalem prophetandi modum, qui quartæ ſpeciei, futurorum ſcil. prædictioni proprius eſt, *ſenes ſomniabunt ſomnia, & juvenes videbunt viſiones*. Videamus jam, quomodo iſto ſenſu hoc vaticinium apoſtolorum tempore impletum ſit & etiamnum impleatur.

Primò divinorum donorum authorem Sp. S. ſuper omnem carnem i.e. genera ſingulorum hominum *parietis intergerini ſepto* quod judæos à gentibus ſecernebat, *ſoluto Eph.* 2. 14. effuſum eſſe, abundè ex Hiſtoriâ liquet, & licet Iudæi ei fidem non adhibeant, nihil tamen hic habent quod nobis oggerere poſſint. Quæritur ergò *ſecundò* de ipſo Sp. S. dono *prophetia* nimirum. Hanc tam ſuper gentium quam Iudæorum (omnes enim in genere alloquitur propheta) filios & filias eodem tempore quoad diverſa prophetandi genera effuſam eſſe, Iudæi licet non credant, rationes tamen nullas quibus illud negent, ad manus habent. Quapropter nihil hic eſt quod cum aliquâ rationis ſpecie arrodere poſſint, niſi quod ſuper quarto

prophetandi genere obganniunt, illo Ecclesiam Christianam esse destitutam. Cui accedit quod propheta *tertio* loco addit de accidentali futura prædicendi modo per somnia, scil. & visiones, qui affectus deficere videtur. Respondemus. 1. Apostolos & viros apostolicos etiam in hoc prophetandi genere fuisse celebres, ipsa experientia multarum rerum ab ipsis prædictarum, quæ complementum suum jam sortiuntur, comprobatum reddit. Nec defuisse etiam per somnia & visiones prophetandi modum, historia apostolica docet, & tota Ioannis Apocalypsis eius est generis. 2 Licet ista prophetiæ specie Ecclesiâ Christiana fuisset destituta, Ioelis tamen vaticinium implemēto non laborasset, cum de aliis abundè constet. Neque necesse est ad literam sumere id quod dicit de somniis & visionibus. Sicut enim propheris novum non est ut sub ceremoniarum veteris testamenti typis, Regni Iesu Christi mysteria includant, quemadmodum bona opera pietatis & charitatis sub sacrificiorum & altarium nominibus celebrata, juberi videmus, sic eximia mentis illuminatio, & rerum, quæ regnum cœlorum & doctrinam Euangelicam spectant, exquisita cognitio sub visionum & somniorum umbris, quæ mentem humanam, veluti nocturna sidera tenebras, leviter afficiebant, & quasi in obscuro speculo objiciebant id quod nunc luce meridiana clarius intuetur, promittitur. Si regerant, donum futura prædicendi, etiamsi aliqui in Ecclesia primitiva illud habuerint, ilicò tamen fuisse sublatum, ac proinde vaticinio Ioelis non esse satisfactum, qui illud veluti perpetuum promittit. R. Continuationem & perpetuitatem istius doni neque de essentia Ecclesiæ Christianæ fuisse, neq; Ioëlis vaticinio promitti. Nō fuisse de Ecclesiæ Christianæ essentiâ, constat. Cui enim bono istud donum? Duplicem futura prædicendi gradum ostendimus, supre-

mum

mum eorum qui Messiæ adventum prænunciabant, alterum, qui futuras rerum mundanarum vicissitudines per Sp. S. detegebant. Primus gradus ob eo tempore cessavit quo Messias per adventum suum prophetarum vaticinia implevit, & secundum ejus adventum quod attinet, illum satis superq; prædictum habemus ab ipso Dei filio & apostolis quorum vaticinia scripto cõsignata nobis ad manus sunt, quæ ejus ut & aliorum articulorum ad Christianam religionem spectantium fidem comfirmant, adeò ut novis vatibus qui talia nobis prædicant opus non habeamus, hoc enim plané esset superfluum. Dicant nobis fatidici Rabbini, quare hoc prophetandi donum non viguerit sub templo secundo sicut sub templo primo? Vel necessarium fuit, vel non fuit; necessarium fuisse, dicere non auderent, quia Deus nõ concessit, si necessarium non fuit, quare ergo necessarium esset in Ecclesiæ Christianâ? Si tum temporis Ecclesia Iudaica vera Dei Ecclesia fuit (prout reverà fuit durante adhuc ceremoniarum fœdere) & verè Dei populus absque lumine prophetiæ, quare etiam Ecclesia Christiana verus Dei populus esse non possit, licet hoc lumen desit? Imò sicut judæi sub templo secundo non opus habebant prophetis qui futura prædicerent, sat enim à prophetis templi primi de Messia ejusque regno ipsis prædictum erat, quibus fidem adhibere debuissent, sic Ecclesia Christiana non indiget prophetis, sat enim prædicta habet, quibus fidem adhibere sufficit. Multò minus requiruntur vates qui temporum vicissitudines prædicant, hæc enim ad curiositatem forent non ad necessitatem. Ex Christi & apostolorum monitis satis didicerunt Christiani quæ mala ante secundum ejus adventum hominibus eventura sunt, quæ complementum suum jam sortiri incipiunt, adeò ut ulteriori fatidicâ demonstratione hic non sit opus. Neque joelis

vaticinium donĩ prophetici hujus generis perpetuitatem promittere, obtendi poteſt: ad ejus implementum enim ſufficit, in Chriſtianâ Eccleſiâ quintum prophetandi genus vigere, quod in genuinâ & legitima oraculorum propheticorum interpretatione, qua ludęorum ſtupiditatem & cœcitatem imò belluinam pertinaciam redarguimus, conſiſtit, cujuſque lumine quiſque Chriſtianus ex internâ fidei ſuæ diſpoſitione per ſpiritum ſanctum ingenitâ ſpiritualis ſuæ fortunæ vates eſſe poteſt. Sed ut huic loco finem tandem inponamus: Dicant nobis Iudæi, quia tantopere urgent fatidicorum ſomniorum & viſionum reſtitutionem, cui bono iſta omnia in futuro illo beato Meſſiæ, quod fingunt, ſeculo? ſi mundus iſte futurus nullis amplius calamitatibus, nulli rerum humanarum viciſſitudini, nec regni Iſraëlitici immutationi erit obnoxius, ſed omnia fauſta erunt & proſpera, omnia ex voto hominibus juxta recentiorũ Rabbinorum imprimis ſententiã, ſuccedent. Quodnam quæſo erit iſtorum ſomniorum & viſionum objectum; quid videbunt? quid ſomniabunt? An res adverſas? at nullæ erunt: an proſperos ſucceſſus? at iis jam abundè gaudent, quisque ex voto habet quicquid petit; nec avaritiæ & ambitionis agetur ſtimulis, ut ſuâ ſorte non contentus plura petere velit quam quæ poſſideat. Quid ergò attinet in ſomnio videre illa quæ coràm ſunt & cuivis vigilanti obviam? niſi quis delirantium rabbinorum ſomniis, vaniſſimis nugarum umbris mentem paſcere, magis in deliciis habeat, quam ſolidum veritatis corpus in apertam lucem productum grato animo amplecti.

Alterum textus membrum *ſigna miraculoſa* complectitur, quæ & ipſe Chriſtus variis in locis, ultimis temporibus diei iſti tremendi & extremi judicii nuncia eventura prædicit. Cum autem nec de illorum apparitione nec

ap-

apparitionis modo nihil adhuc conſtet, non eſt neceſſe ut de hac vaticinii parte ejusque impletione jam ſimus ſoliciti. Vide etiam pag. 30. hujus libri.

(14) Sané ſi ullum propheticum extat effatum, de cujus impletione jure addubitare poſſint Iudæi, illud Ezechielis erit ubi dicit; *Amovebo cor lapideum é carne eorū & dabo eis cor carneum.* Apertum hic contra Chriſtianos diſputandi campum habent, ſi modò à ſaxei ſui cordis, flecti neſcii, ſtupiditate, & pertinaci patefactæ veritati reluctandi ſtudio argumentū duxerint. Sed plus ferit hoc telum miſeros apellas, licet ἀναισθήτους quam Chriſtianos. Locum autem hunc paucis abſolvemus, quia vix quicquam difficultatis habet. Manifeſtè ex ipſo verborum contextu liquet de quo tempore loquatur propheta. Ab initio capitis querelam inſtituit contra illam tribus Iudæ partem quæ Hieroſolymæ ſub Zedekia adhuc remanſerat, poſtquam ipſe Ezechiel cum plurimis aliis ſub Iechonia in captivitatem Babylonicam eſſet abductus. Accuſat ipſos quod propheticum Jeremiæ ſermonem contemnerent, ſociis in captivitate afflictis inſultarent, nec ipſorum calamitate cauti ab injuſtitiæ viis deflectere didicerint, ſeque pro legitimis terræ Iſraeliticæ hæredibus, fratribus ſuis inſtar ſcoriæ inde expurgatis, venditarent. His itaque captivitatem & interitum interminatur, fratres autem jam modò captivos ſolatur eo, quod Deus in terram Iſraëlis illos reducturus ſit, ibique fœdus ſuum cum ipſis reſtauraturus, idololatricum cultum abrogaturus, cor lapideum in carneum, ut rectius in viis Domini quam antea fecerant, ambulent, mutaturus. Cui etiam promiſſioni finitâ captivitate Babylonicâ ſatisfactum fuiſſe conſtat. Et ſanè cor lapideum in carneum ab eo quidem tempore mutari cœpiſſe, inde liquet, quod ab horrendâ illâ idololatriâ, quâ tam fœdè ſub templo primo

mo ſe contaminaverant eaque de cauſa graviſſimas dederant pœnas, in poſterum ſtudioſé ſibi caverint. Nondum autē complementum ſuum plenè ſortiri potuit vaticinium Ezechielis, (ab uno enim extremo Eccleſia Iudaica in aliud incidit) donec Meſſias Ieſus Chriſtus paulò poſt orbi revelatus ſpiritualem ſibi Hieroſolymam ex Iudæis & gentibus compoſitam, ſpiritus S. donis cordibus ipſorum infuſis, exſtrueret, quæ veræ ſanctitatis & juſtitiæ ſtudiis addicta, Deum in ſanctorum Eccleſiæ inviſibilis communione per fidem unicè coleret. Cum ergò de eo duntaxat tempore loquatur Ezechiel, quo abrogata idololatria verus Dei cultus reſtituendus erat (ſicut verba textus verſſ. 18. 19. 20. 21. expreſſè ſonant) quo jure differt author noſter hujus dicti impletionem usque ad tempora alicujus Meſſiæ poſt tam multa ſecula (uti ſperant) demum venturi, cum judæi à Babylonica captivitate ad hodiernum diem atrociſſimi idololatriæ criminis inſimulari non poſſint. Vim textui inferunt Rabbini; Kimchi imprimis qui in hæc verba: *Et congregabo vos ex iſtis populis & recipiam vos è regionibus in quas diſperſi eſtis, & dabo vobis terram Iſraëlis. v.* 17. ita commentatur: על גלות עשרת השבטים אמר זאת הנבואה לא על גלות בבל כי לאת' שהיו מבזים יושבי ירושלם בשר קבוץ גלוהם ויעד שאמר מן העמים מן הארצות ויעד שאמר ונתתי להם לב חדש ורוח חדשה ולא היה כן לעולי בבל *Prædicit hoc de captivitate decem tribuum, non verò de captivitate Babylonica, iis enim quos ſpreverant habitantes Hieroſolymæ, captivitatis ſolutionem jam modò nunciaverat. Tum etiam quod dicit: ex populis; è regionibus; item, dabo ipſis cor novum & ſpiritum novum; illos qui Babylone reverſi ſunt non ſpectat.* Gratis hoc ſupponit & contra ſcopum prophetæ, qui in præcedentibus de captivis in Babylone tantum loquebatur, juxta Rabbinorum conſenſum, quibus 17. verſum per לכן אמור *ideò dic* adjungens, eod. continuato

ſermo-

sermone, de aliis ibi captivis (nisi quis sensui vim manifestam inferre velit) meminisse non potest. Imò verba vers. 18. *Quumque venerint illuc* (Hierosolymam) *amovebunt omnia idola ejus, omnesque abominationes ab ea*: Ex quibus constat prophetam de eo tempore loqui, quo regnaverat idololatria in Israële Hierosolymis, quod sanè de tempore quo decem tribus reducentur i. e. quo Messias (uti putant) veniet, intelligi nequit, cum jam à multis retrò seculis idolis valedixerint. In reditu autem ex Babylone Hierosolyma ab istis sordibus purgata est & in posterum libera remansit, eatenus saltem quod à judæis denuò conspurcata non fuerit, unde liquet de isto duntaxat tempore hic sermonem esse. Hoc animadvertens Kimchi dictum versus 18. sensum hoc modo corrumpit. השקוצים והתועבות שעשו בהם הגוים הם שקוצי ארזם כי בימים תהיה בבא הגאולה *Idola & abominationes istæ sunt quas gentes sibi conficient, Idola sc. Edom* (Christianorum,) *in quorum potestate tum temporis, quo Messias veniet, illa erit* (sc. Hierosolyma.) Duplicem errorem in Kimchii verbis deprehendimus. Primus quo ipse deceptus est, quod postea experientia edocuit. Floruit D. Kimchi sub finem seculi duodecimi post Christum natum, eo nimirum tempore, quo sub *Balduini* IV. (regũ Hierosolymitanorum septimo & ultimo) Christiani rerum potiebantur in Oriente. Sperabat itaque Messiam tam citò venturum, ut Christianos Hierosolymę cum idolis suis adhuc hærentes offendere posset. Sed miserè deceptus est homo; duodecimo enim seculo nondum exacto, terra sancta in barbarorum potestatem per *Saladinum* Syriæ Damascenæ principem redacta est. Iamque quatuor ab eo tempore cum dimidio effluxerunt secula, nec etiamnum magna Hierosolymę à Christianis recuperandæ spes affulget. Ergo non est quod Messiæ adventum adhuc tam citò exspectent, si scil. juxta

Kimchianam expositionem non venturus est, quin priùs Christiani Hierosolymā idololatricis suis sordibus à Judæis tum repurgandis, conspurcaverint. Secundus, quo ipse alios decipit, est, quod quæ propheta judæorum ante captivitatem Babylonicam idola fuisse dixit, ea Christianorum esse, à Judæis ejicienda, persuadere conatur. Vanâ ergò hujus viri spe prudentior factus Abarbenel, locum à pravâ istâ expositione purgat, agnoscitque vix ad Messiæ tempora torqueri hoc vaticinium posse: אמר זה בנגד הגולים שגלו עם יכ"ה שהיו מיושבי ירושלם והיו הנשארים בירושלם אומרים עליהם שאותם הגולים רחקו מעל השם לנו נתנה הארץ למורשה וגו' לכן אמר הרחקתים אף על פי שהרחקתים לא רחקו מכני וגו' לא תהיה ארצי לרשיני ירושלם למורשה כי הם הגולים בשיבם כגלות' יירשוה אבל לא יהיו עובדי ע"ז כמוהם כי בבואם לירושלם יסירו מכנה כל תיעבותיה ולא תחשוב ששובו לחטוא כי אני אתן להם בימים ההם לב אחד ורוח חדשה וג' והנה אין יהיה זה שבזמן הגאולה העתידה שעליה נאמרה פרשה זו יתן לבבני אדם לב אחד ורוח חדשה ויסלק מהם היצר הרע בהיות' תכריים כאשר הם היום הזה הנה אצלי עם כליאת תחת המתים אין ספק שכל לבבות בני אדם יכניעו ויכירו וידעו כי ה' הוא האלקים אין עוד כמלכדו ואחרי שיגדם בזה על התיד חזר לדבר מהרשיעים שנשארו בירושלם וכיגדם אמר לב שקוציהם וגו' *Dicit hæc* (nimirum illa quæ à vers. 14 incipiunt) *de captivis ex habitatoribus Hierosolymæ qui cum Iechonia in captivitatem abducti sunt. De quibus illi qui Hierosolymæ remanserant, dicebant: Isti captivi à facie Dei remoti sunt, & nobis terra possidenda tradita est &c. Ideo dicit Deus: Abegi eos, id est, licet procul eos abegerim, non tamen planè eos rejeci &c. Neque terram impiis illis Hierosolymæ relictis possidendam dabo, illi enim qui jam captivi sunt, ex captivitate reduces illam possidebunt, & non erunt idolorum cultores sicut illi, quamprimum enim Hierosolymam reversi fuerint, omnes abominationes ex illâ removebunt, & ne existimes illos iterum peccaturos, ego enim dabo ipsis in diebus illis cor unum & spiritum novum &c. Quomodo autem ista ad tempus redemptionis adhuc futuræ referri possunt, ut de illa hæc sectio intelligatur? Dabit quidem tum*

Deus

Deus hominibus cor unum & ſpiritum novum, & auferet ab illis cogitationem malam, qui carnales jam ſunt, eritque hoc meo judicio, conjunctum cum miraculo reſurrectionis mortuorum &c. Non eſt dubium quin tum omnia hominum corda humilientur ut Deum agnoſcant. Sed non hoc ſolum hic dicit, factâ enim promiſſione hâc de tempore futuro, redit ad impios illos Hieroſolymæ relictos, & de illis dicit: Quorum corda deteſtabilia ſua &c. Hæc quidem foret genuina vaticinii hujus expoſitio & ſenſus, niſi infarciret judaicum delirium de tempore futuro, quaſi propheta conſolationi, quæ ab initio uſque ad finem cap. captivis in Babylonia judæis deſtinata erat, binos hos verſus. 19. & 20. intervertens, velut ſubitò in alium mundum abreptus, aliud quid, ad novum aliquem Iudaicę reipublicę ſtatum abinde poſt viginti ſeculorū tempus exactū nondum inchoandum, pertinens, ſomniaverit, donec verſu. 21. ab Abarbenele in viam revocatus, cœptam telam, quam ſub manu habebat, pertexeret. Hoc uſque adeò jejunum eſt, ut ulteriori refutatione non indigeat.

ΕΠΙΔΟΣΙΣ.

QUandoquidem authori noſtro ſtatutum erat, numerum ſuum denarium non excedere, unam conſolationem omittere coactus fuit, quæ Iudæorum animos non minus afficit; lautiſſimum ſc. *Convivium*, quo Meſſias, devictis hoſtibus, illos excipiet, cujus ſola meditatio tanti ponderis eſt, ut reliquis diuturni hujus exilii calamitatibus conſtanter & forti animo ad finem uſque perferendis ſufficiat. *Cl. Buxtorffius* in fine *Synagogæ Iudaicæ* illud deſcribit. Non ferens autem ut iſte conſolationum theſaurus aliquo, imprimis quoad prȩcipuam ſui partem, defectu laboret, Iudæis nec moleſtum nec ingratum fore ſpero, ſi & ego coronidis loco Rabbinicas iſtas delicias & generoſum, quod bibent, vinum extremis ſaltem labris deguſtavero.

Variis in locis Rabbini & Hagiographorum Targumista hujus convivii mentionem faciunt. Tota autem hæc traditio nititur authoritate Talmudica libri בבא בתרא. Ubi *Cap.* 5. hoc modo proponitur אמר רבי יהודא אמר רב כל מה שברא הב"ה ניעולמו זכר ונקבה בראם ואף לויתן זכר ונקבה בראם ואלמלא נזקקין זה לזה מחריבין את כל העולם מה עשה הב"ה סירס את הזכר וחרג את הנקבה ומלחה לצדיקים לעתיד לבא שנא' והרג את התנין אשר בים ואף בהמות בהרי אלף זכר ונקבה בראם ואלמלא נזקקין זה עם זה מחריבין את כל העולם כו' עשה הב"ה סירס את הזכר וצינן את הנקבה ושמרה לצדיקים ליעתיד לבא שנא' הנה נא כחו במתניו ואונו בשרירי בטנו הנה נא כחו במתניו זה זכר ואונו בשרירי בטנו זו נקבה ההם נמי ליסרסיה לזכ' וליצננה לנקבה דגים פריצי וליעבי' איפכא אי בעית אימא מלחה דנוקבתא עדיף או בעית אימ' כיון דכתיב לויתן זה יצרת לשחק בו בחדי נקבה לאו אורח ארעא הכא נמי למלחה לנקבה כוורא מליחא מעלי בשרא מליחא לא מעלי. *Dicit R. Iehuda, Raf dixisse. Omnia quæ creavit Deus in mundo suo, marem & fœminam creavit illa. Etiam Leviathan marem & fœminam creaverat, sed si coivissent & fœtum procreassent, totum mundum vastassent. Quid igitur fecit Deus? Castravit marem & occidit fœminam, eamque sale condivit pro justis ad futurum seculum; Dicitur enim*: Interfecit draconem qui est in mari. Esai. 27. 1. *Etiam Behemoth in* mille montibus. Psal. 50. 10. *creaverat marem & fœminam, sed si coivissent & fœtum procreassent, totum mundum vastassent. Quid igitur fecit Deus? Castravit marem, & sterilem effecit fœminam, eamque servavit pro justis ad futurum seculum; Dicitur enim*: Vis ejus in lumbis ejus est, & robur ejus in umbilico ventris ejus. Iob. 40. 11. *Vis ejus in lumbis, iste mas est;* (sc. שלא הטיל הרע מימיו ne unquã semen producat, ideò vis omnis lumbis ipsius indita est) *robur ejus in umbilico ventris, hæc fœmina est,* (sc. שלא ילדה מימיה ne unquam parere possit, ut dicit glossa.) *Illic etiam illum* (Leviathan sc.) *castrandum esse duxit, quoad marem, sed ut sterilem efficeret fœmellam* (Leviathanis, non consultum duxit, quia) *piscis vastatrix* (fuisset, ideo eam occidit.) *Et ad contrarium faciendum, si rogaveris,* (quare marem sale

מסם

non condiverit sed fœminam) *dicam*; *illam* (fœminam) *sale condivit*, *quia fœmellæ* (caro) *delicatior est*. *Si interrogaveris* (quare marem non occiderit, sed fœminam,) *dicam*; *quia scriptum est*, balænam formasti, ut ludat in ipso. Psal. 104. 26. *cum fœmella non amplius rem habens*. *His etiam*, (ubi de Behemoth) *ut sale fœmellam condiret*, (in animum non induxit, sed conservat absque sale,) *piscis enim sale conditus*, *delicatus est*, *sed caro sale condita non est delicata*. Ecce *Haggadam* seu narrationem adeò stultam, ut *R. Simson Bar Abraham* suffusus pudore, amplissimum פירוש allegoricum ei subnectat, quod in *Beth Israël* videre est, quo Talmudicis nugatoribus sensum mysticum affingere conatur, sed illis ineptior, cum inter stultos velle sapere, summa stultitia sit, & ejusmodi facetiarum inventoribus nihil minus in mentem venerit, quam allegoricis terminis res describere, quarum illi nullam forté cognitionem unquàm habuerunt, vel si fabulando philosophari in animo habuissent, saltem S. Scripturę locis tam turpiter abuti non debuissent. Quò quis enim magis isto scribendi genere delectatur, eò majorem prudentiam adhibeat necesse est, ut sacra quæ tractat mysteria non ludibrio exponat, sed illustret.

Hoc itaque figmento Talmudicorum successores delusi, splendidum istud Messiæ convivium ex Pisce *Leviathan* & Tauro *Behemoth*, illo, sale cõdito, hoc, sine sale cõservato, conficiunt, de quibus animalibus multa hinc inde nugantur, nec ullum tam putidum procudunt mendacium, quin etiam ilicò sacrum aliquod scripturæ dictum ad manus habeant quo illud confirment. Fabulam de *Behemoth* Psaltem asserere cogunt Psal. 50. 10. בהמות בהרי אלף *jumenta in montibus mille*. Ubi per בהמות quod nomẽ plurale est, & jumẽta in genere denotat, illi singulare aliquod stupẽdæ magnitudinis animal intelligunt, quod vocãt שור הבר

Bovem ſylveſtrem, & ad ejus confirmationem adducitur locus *Iob.* 40. 10. *Ecce Behemoth, quem feci, tecum.* Ubi Aben Eſra addit שם בהמה גדולה אין ביישוב נדולה מכנה *Behemoth eſſe nomen maximi animalis, quo nullum majus eſt in toto mundo.* Sine locum jobi quod attinet, plurimi etiam Chriſtiani interpretes ſunt, qui per nomē Behemoth ſingulare aliquod animal ibi intelligunt, cujus ſpecies & natura ignoratur, & videtur textus Hebræi proprietas illud etiam poſtulare, ſed idem animal denotari Pſal. 50. non conceditur. Quod autem Targumiſta & R. Salomo ibidem verba, *in mille montibus*, exponentes, ſcribunt, שהוא שור בר מתיקן לסיעודת היתיד רועה אלף הרים ליום וכל יום ויום הם צומחים *tantam iſtius bovis ad prandium futuri ſeculli ſaginati, eſſe magnitudinem, ut ſingulis diebus mille montes depaſcat, qui etiam ſingulis diebus iterum germinent*, illud verò Rabbinicé & magiſtraliter eſt mentiri. Cum hoc figmento tamen certare videtur illud, quod Kimchi ad verſ. 11. ibidem de voce זיז *avis* addit, אמר ר' יהורה בן ר' סימון הזיז הזה הוא עוף גדול בשיעה שהוא פורש כנפיו מכסה גלגל החמה *R. Iehudam filium R. Simonis dixiſſe, Aven* Sis *tantæ eſſe magnitudinis, ut quando alas ſuas extendit, orbem ſolis tegat.* Vocatur iſta avis apud Talmudicos בר יוכנה de qua ita *lib.* בכורות *in Gemara cap.* 9. פיום אחת נפלה ביצת בר יוכני וטבעס' כרכ' ושברה ש' ארזים ומי שדיא ליה והכתיב כנף רננים נעלכה אכר רב אסי ההיא מוזרתא הואי *Aliquo tempore cecidit ovum ex nido Avis Barjuchne & immerſit* 60. *civitates, & trecentas cedros confregit. Et quis ejecit illud? Scriptum eſt*; Ala pavonum exſultabunda Iob. 39. 16. (quam hujus avis alam eſſe putat R. Salomo.) *Dixit Raf Aſai, ovum illud fuiſſe putridum.* Addit ibidem Gloſſa טבעה ששים כרכים חלבון וחלמון שלו היא שנפלה ביתה מוזרתה ה"א מוזרת שאין אפרוח גדל בה והשליכתה מרעתא *Sexaginta civitates albumine & vitello ovi iſtius contuſi inundatas & immerſas fuiſſe, ac inſuper putridum fuiſſe, i.e. pullo vacuum,*

aliàs

aliàs enim jactus iſte longè damnoſior exſtitiſſet. Egregiè. Hanc Avem *Elias Levita in Thiſbì* , futuri ſeculi epulis etiam accenſet. שמעתי שעתיד הק"בה לעשות ממנו סעודה לצדיקים עם הלויתן ושור הבר *Audivi quod Deus tandem in futuro ſeculo ex eo juſtis paraturus ſit convivium* , *cum Leviathan & Bove Sylveſtri.* Nec putandum iſtud convivium fore abſtemium, his enim ciborum deliciis exquiſitiſſimum vinum apponetur , quod in paradiſo crevit & in cella Adami aſſervatur, vinum defæcatum , quod bibent & ſupra modum hilares erunt. Hujus convivii tam certi ſunt judęi,ut quemadmodum Chriſtiani ſæpenumerò per animarum ſuarũ ſalutem temerè jurare conſueverunt, ſic illi ſuum לא אוכל משור הבר *Non comedam de Bove Sylveſtri ſcil. niſi hoc verum ſit* , *niſi hoc vel illud fecero* , &c. non rarò in ore habeant. Et ſanè plerique illorum qui quam maximè nugari deſiiſſe videri volunt , carnalia iſta gaudia,quæ in cibi & potus fruitione cõſiſtunt,ſperant. Hanc ſententiam Ben Iſrael *l.* 3. *De Reſur.c.* 9. multis argumentis è ſcripturâ & ratione petitis defendit, R.Saadiæ Gaon,R. Moſ. Ægyptii, Abarbenelis & aliorum celeberrimorum Rabbinorum authoritate fulcit,Gerundenſis opinionem,qui vitam mundi futuri in ſpiritualis lætitiæ perceptione duntaxat collocabat,confutat,& difficultates quę ex carnali matrimonio & legitimâ uxore cuiq; aſſignanda oriri poſſint,tollit. Alii etiam Meſsiæ fœdam illam , lege Dei prohibitam polygamiam , quam priſcis patribus tot ærumnarum fomitem exſtitiſſe conſtat, tribuere non verentur. Si hoc Meſsiæ licitum quidni & aliis ?

Sic Gens illa Sancta incredibili gaudio perfuſa , pinguedine & oleo uſque ad aures immerſa , cum Meſſia ſuo deliciabitur. Chriſtianorum reges , principes, magnates , ipſorum miniſtri erunt, pincernæ , pecudum paſtores & agricolæ : illi verò ſolius Dei miniſtri & ſacer-

cerdotes omnibus imperabunt. Vita ipſorũ erit longęva. Temperies aeris ſaluberrima, nam in extrema ſenectute vegeti adhuc erunt & ſucculenti. Mira terræ fœcunditas, triticum enim ſpontè ſicut rami arborum in ſumma abundantia proveniet. Peregrini illud non comedent, imò econtrà in judæorum horrea cumulatiſsimé deportabunt. Feliciſsima matrimonia contrahent, filios ſuos & filias nuptum dabunt & nuptias ſumma cum voluptate celebrabunt. Rumores belli non ſpargentur amplius, gladii enim in vomeres & lanceæ in falces conflabuntur & loco buccinæ claſsicum canentis, non niſi vox tripudiantium in plateis, ſonus tibiæ & tympanorum clangor audietur affatim. Sic lætabuntur & feriabuntur in ſeculum,& gaudii nullus erit finis. Totum hoc ex *Eſai.* 2.4. *cap.* 11. 7. *cap.* 25. 6. *cap.* 27. 2. *cap.* 53. 10. *cap.* 60. 14. 15. 16. *cap.* 61. 5. *cap.* 62. 8. *cap.* 65. 21. *cap.* 66. 10. *Ier.* 33. 10. *Hoſ.* 14. 8. *Pſal.* 92. 13. 14. 15. &c. conficitur.

Riſum teneatis amici.

FINIS

PARTIS PRIMÆ. LIB. I.

LIBRI

LIBRI I.

PARS SECUNDA.

Dicta Sapientum de Tempore Adventus Meſsiæ.

PARS SECVNDA

Inquiſitiones Rabbinorum B. M.

POENITENTIA.

(1) NOTUM ſit vobis, pro certo apud Deum concluſum eſſe, Iſraelem non redemptum iri donec pœnitentiam egerint à manuum ſuarum iniquitatibus. Quippe ex captivitate Ægypti non exiverunt, donec à peccatis ſuis egiſſent pœnitentiam, ſicut declaratur in Homiliâ ſuper ſectione כי תשא (*Exod.* 30. 11.) Sic & nobis nunc incumbit, ut ab iniquitatibus noſtris reſipiſcamus, atque tunc redemptio placidè ad nos perveniet, prout propheta Eſaias (cui ſit pax) teſtatur. *Per reſipiſcentiam & quietem ſervabimini* (2) *Eſai.* 30. 15. Quod exponitur; per meritum reſipiſcentiæ, ſicut ſcriptum eſt; *convertere Iſrael. Hoſ.* 14. 2. Quod meritum conſiſtit in perfecta obſervatione ſabbathi qui eſt dies quietis & ceſſationis. Et ſic idem propheta dicit: *Adveniet Tzioni redemptor, & converſis à deſectione &c.* (3) *Eſai.* 59. 20. Et ſi ſponte pœnitentiam egerint, veniet ipſis redemptio in pace & quiete, & introibit Rex Meſſias Hieroſolymam & congregabuntur ad ipſum captivitates cum lætitia, quia dicitur in Eſaia (4) *Et adducent omnes fratres veſtros ex omnibus gentibus muneri Deo, curribus cameratis, mulis & veredariis. &c. Eſai.* 66. 20. Et ſcriptum eſt: *Nam cum lætitia egrediemini & cum pace deducemini*

(5) *Eſai.* 55. 12.

החלק השני
מדרשות חז"ל.
תשובה.

ת ת ת ת ת לכם כי כתוב
§ § וחתום לפני המקום
§ דעו § שאין ישראל נ
§ ת ת ת § נגאלים עד שיעש
תשובה מעונות שבידם כי אף
מגלות מצרים לא יצאו עד ששבו
מאותן עונות שבידם כדפירש
ברוש של כי תשא כמו כן ע
עתיד אנו צריכים לשוב מ
מעונותינו ואז הבא הגאולה בנחת
וכן אמר ישעיה הנביא עליו
השלום בשובה ונחת תושעון
פירוש בזכות התשובה דכתיב
שובה ישראל ובזכות שמירת ש
שבת שהוא יום נחת וכרגוע
וכן חוא אומר ובא לציון גואל
ולשבי פשע וגו' ואם מעצמם
יעשו תשובה תבא להם הגאולה
בשלום וכנחת וילך מלך המשיח
בירושלם ויתקבצו אליו הגליות
בשמחה שנא' בישעיה והביאו
את אחיכם מכל הגוים מנחה
לה' בצבים ובפרדים ובכרכרות
וגו' וכתיב כי בשמחה תצאו
ובשלום תובלון.

DIALEPSIS.

PRimæ partis libri de Messia, & denariorum labore defuncti, secundam aggredimur, quâ sapientum Rabbinorum, de tempore quo Messias venire debet, signis item, prodigiis & bellis, ejus adventum præcessuris & comitaturis, placita nobis exponit author. Idem ergo subjectum quod hactenus per S. scripturam (vidimus quam feliciter) tractavit, nunc humana authoritate, eadem tamen scripturâ nitente confirmat, quod licet confusè satis & imperitè agat, eâ tamen, qua potuimus perspicuitate, in sectiones & membra totam ejus dissertationem, quò facilius percurri possit, dispescuimus.

(1) Primo loco infelicissimum illud impedimentum, quod ex communi Rabbinorum opinione, solum in causa est, quod Messias nondum venerit, *impœnitentiā* sc. *Iudæorum*, nobis ostendit. Abarbenel in lib. cui nomen dedit ראש אמנה duos statuit adventus Messiæ terminos, terminum אפשריות *Possibilitatis*, & terminum חיוב *Necessitatis*. Prior pendet ab homine, posterior à Deo. Terminus possibilitatis antevertere potest terminū necessitatis, quando nimirum Iudæi maturâ pœnitentiâ Deum impulerint, ad Messiam citius mittēdum quam decreverat. Deficiente verò pœnitentiæ conditione, periit quidem ista anticipationis contingentia seu possibilitas, non tamen ideo periit terminus necessitatis, necessariò enim, eo quo Deus decrevit tempore venturus est, etiamsi pœnitentiam non egerint. Impedimentum itaque hoc licet Messiæ adventum retardet & differat, tamen non auffert, adeò ut Iudæi spe suâ nondum exciderint. Fundatur autem ista Abarbenelis distinctio super Talmudicorum traditione quam supra ex *cap.* חלק *pag.* 165. attulimus, exsculptâ ex loco *Esai.* 60. 22. *Ego Dominus suo tempore accelerabo illud*, si mereantur

tur, accelerabo, si non mereantur, in tempore suo. Quam expositionem Abarbenel in commentariis, his verbis illustrat: יש לגאולה שני זמנים האחד הוא אפשרי ע"י תשובה וזכות הדור והאחר הוא מחויב בהגיע עת הגזר לפני יתכי *Duo termini redemptioni sunt indicti, alter possibilis per resipiscentiam & meritum generationis, alter necessarius ubi statutum apud Deum tempus appropinquaverit.* אחישנה ergo i.e. *accelerabo illud* est זמן אפשריות *terminus possibilitatis* pœnitentiæ concessus, בעתה autem i.e. *in tempore suo*. est זמן חיוב *Terminus necessitatis* à Deo decretus. Acutè satis, sed videamus an æquè solidè. De felici judæorum & gentium ad Christianam Ecclesiam constituendam combinatione, ejusque Ecclesię felici statu prophetam hic loqui supra pag. 132. intelleximus. Concedimus ergò judæis ad tempora Messiæ hoc pertinere, sed duo quæruntur. 1. An carnaliter & ad literam omnia illa quæ prophera hic de felici Ecclesiæ sub Messia statu dicit, intelligi debeant. 2. An ultimus capitis versus Talmudicam illam distinctionem de tempore Mesiæ patiatur. Prior quæstio propriè hujus loci non est, lumen tamen aliquod controversiam de tempore perpendenti afferet, unde paucis illam præmittemus. Si verba illa, quib. Esaias felicem Ecclesiæ statum describit, judaicum i. e. carnalem & literalem sensum admittunt, quomodo nobis conciliabunt Esaiam cum se ipso? *Esai.* 30.26. dicitur: *Erit lux lunæ sicut lux solis & lux solis erit septupla*, ubi Rabbinos ex Jonathane Chaldæo mira de utriusque luminis, quando Mesias venerit, incrementis supra p. 154. nugari vidimus. Hoc autem cap. vers. 19. *Non erit tibi amplius Sol in lucem diurnam, & luna non illustrabit te.* Quomodo ista conveniunt? Ad metaphoricas hic locuriones confugere & propheticas loquendi formulas agnoscere coguntur Rabbini, quod sicut Kimchi fecit supra ad locum *Esai.* 30. 26. idque sobriè & cum ju-

dicio, ſimiliter Abarbenelem hic facere videmus לא יהיה לך עוד השמש לאור יומם ר"ל שלא יה"ה אורם ותשועתם ועניניהם מפאת הוראות המיערכות אנל יהיה מפאת ההשגחה הפרט"ית מהש' והוא אמרו והיה לך ה' לאור עולם *Non erit tibi amplius Sol in lucem diurnam. Vult dicere. Lumen eorum & ſalus eorum, & quicquid ad ejus cognitionem pertinet, non erit ex parte ordinariæ demonſtrationis, ſed ex parte particularis providentiæ Divinæ: ideo addit, & erit vibi Deus luci perpetuæ.* Diſtinguunt Rabbini inter השגחה & הוראה. Cognitio per medium הוראה illa eſt, quæ per lumen naturæ & ordinarię demonſtrationis acquiritur, at cognitio per medium השגחה illa eſt quam Deus abſque præviâ inſtitutione, ſpeciali providentia ſupernè infundit. Hac admiſſâ diſtinctione, de ſenſu hujus loci optimè conſtat. Concedant ergo Rabbini, velint nolint, dictorū prophetico rū mentem craſſo carnis velo, quod ipſis valde familiare, obtegendam non eſſe. Et juxta hanc viam omnia quæ de Meſſiâ & felici populi ipſius ſtatu, divinitus, ſed figuratis & typicis verbis prędicta ſunt, in Chriſto ejuſque inviſibili Eccleſia ſpiritualiter impleta eſſe, indieſque impleri, agnoſcere deberent. Hæc velut in tranſitu.

Quæritur ergo hic præcipuè an Talmudica iſta diſtinctio inter terminum *Poſſibilitatis* ſeu contingentiæ & terminum *Neceſſitatis*, debeat admitti, idque in verbis illis: *Ego Dominus accelerabo illud in tempore ſuo.* Negatur hoc ob has rationes. 1. Sententia prophetica iſtam gloſſam non patitur, verba enim בעתה אחישנה *In tempore ſuo accelerabo iſtud*, tam arctè conjuncta ſunt, ut ne vel minimo accentu regio interpunctari poſſint, adeo ut ne per ſomnium quidem propheta de termino neceſſitatis adventus in voce בעתה, ſub conditione non pœnitentiæ, poſſibilis autem anticipationis in voce אחישנה, ſub conditione pœnitentiæ, cogitare potuerit. Et eſſe ſpeculationem hanc recèns à Talmudicis confictam, & à ſucceſſoribus eorum

rum, tædii, propter nimiam Meſſiæ moram, animum ſubeuntis, levandi gratiâ avidé arreptum, ex Ionathane Chaldæo Paraphraſte liquet, qui de Meſſię adventu nondum uſque adeo ſolicitus, prophetæ verba Chaldaicè ita reddit, אנא ה' בזמנה איתנה *Ego Dominus illud in tempore ſuo evenire faciam*: Ubi alterum diſtinctionis membrum, anticipationis videlicet conditionem, quæ in voce אחישנה *accelerabo* ſundatur, videmus eſſe omiſſum; Quod enim ſuo tempore evenire debet, ejus nulla fingi poteſt anticipatio. Cœterum, veracem ſe oſtendit Deus, quod & *ſuo tempore* & *citò* evenire fecerit id quod promiſerat, adeò ut nec in voce אחישנה aliquid promiſſum ſit, quod tempus decreti antevertere debuerit, nec viciſsim in voce בעתה aliquid ſtatuatur quod acceleratione repugnet; venit enim Meſsias *tempore ſuo*, quo nimirum adventum ejus decreverat Deus, nō tardius nec citius. Venit etiam *feſtinanter*, Hebraicè enim feſtinanter venire dicitur is qui eo venit tempore quo venire debebat, & adventum ſuum in aliud tempus non rejicit. Sic vaſtatio judæorum in Babylonica captivitate vocatur vaſtatio *accelerata*, *Zeph.* 1. 18. Non quod tempus quo Deus illam decreverat, anteverterit, ſed quia illo ipſo tempore, ſicuti decretum erat, & non tardius fuerit immiſſa. Eodem planè modo, quo Deus in ſenſu contrario *cunctari* dicitur, non quod decreti executio ultrà ſtatutum tempus retardetur, ſed quod vel tardare videatur hominibus, vel ſcriptura iſtam Deo actionem tribuat ad patientiam ejus & longanimitatem indicandam. 2. Abſurdum eſt Deo tribuere decretum quod à conditione ſuſpenſum ſit. Hoc faciunt judæi, tale Deo decretum de mittendo Meſsia tribuentes, quod homines præſtitâ conditione (pœnitentia ſc.) antevertere poſſunt, ejuſque executionem celeriùs quam ſtatutum erat, obtinere. Hoc ſanè divinorum decreto-

rum naturæ repugnat. Quippe omnia Dei decreta, sunt unus, æternus & simpliciſsimus actus, & non niſi noſtro concipiendi modo diſtincta. Quod Deus vult, id non tantū ab æterno, ſed & ſimpliciter & abſoluté vult, ejuſq; volitio identica eſt cum Divina ejus eſſentia, realem enim aliquam inter Deum ejuſque voluntatem & decreta ſtatuere differentiam, eſt accidentia ſtatuere in Deo, ejuſque ſimplicitatem evertere. Cum ergo, ſicut unicum tantum & ſimplex, ſic & abſolutum Dei decretum ſit, ſequetur decretum de mittendo Meſsiâ ejuſdem eſſe naturæ, proindeque à nullâ conditione ſuſpenſum, ſicut enim Divina ejus eſſentia à nullâ re dependere poteſt, ſic nec ejus decretum. Suſpenſum autem omnino foret, ſi Deus illo tempore Meſsiam mittere decreviſſet, additâ limitatione, ſi Iudæi maturâ pœnitentiâ promeruerint, ſe antè ſtatutum tempus miſſurum. Foret, inquam, hoc decretum non abſolutum ſed murabile & dependens, ſi enim abſolutum eſſet & immutabile, nulli conditioni quæ Meſsiæ adventum anticipando, eventum ejus fruſtrari poſſet, foret ſubjectum. Quocircà videmus nihil iſtâ diſtinctione ineptius & ſtultius à Rabbinis excogitari potuiſſe. 3. Idem patebit, ſi inſuper conſideremus, cui bono Meſsias à Deo mittendus fuerit. Luculenter nos iſtud docet Eſaias verſu 21. qui illum quo inane hujus diſtinctiunculæ figmentum nititur, immediatè præcedit: *Erunt ſurculus plantarum mearum, opus manuum mearum, ut glorificer*: In hæc verba admodum appoſitè commentatur Kimchi יהיו נצר מטעי שיראו במעשיהם כי אני נטעתים לא כבראשונה שאומר עליהם מי יתן קותי לעשות ענבים ויעש באושים ולא הית נראה שהיה מטע ה' אלא זמורת זר, *Erunt ſurculus plantarum mearum, nam ex operibus eorum conſtabit, quod ego illos plantevcrim, non ſicut antea, cum de ipſis dicerem*: Quare exſpectavi ut ederet uvas? edidit labruſcas. Eſai. 5. 4. *Non enim tum vide-*

videbantur Dei planta ſed palmes extraneus Eſai. 17. 10. Inter alia itaque Meſsiæ beneficia & hoc futurum erat, quod, cum antea omnes in viis ſuis ambulaſſent, jam ad Deum toto corde convertendi eſſent, idque non propriis viribus, ſicut nec ſurculus ſeipſum plantare poteſt, ſed virtute Divina, Dei enim *ſurculus* eſt Eccleſia & *opificium manuum ipſius Eſai.* 29. 23. Et ad id mittendus erat Meſſias, ut in ipſo cœleſte iſtud opificium perficeretur, nam ipſe *vites* eſt, pater ipſius *agricola*, fideles omnes *palmites* ipſi inſiti ut *fructum* ferant. *Ioh.* 15. 1. Hæc ſi ita ſe habent, (uti reverà ſe habere, judæi ulteriori demonſtratione, ſi hujus loci eſſet, convinci poſſent) videmus decretum de mittendo Meſſia nullatenus miſſionis iſtius ſub conditione pœnitentiæ anticipationem admittere. Vera enim pœnitentia quam homo proprio marte neutiquam præſtare poteſt, ipſius Dei opus eſt in homine, quo homo Dei ſurculus fit & opificium, & quidem non niſi in ipſo Meſſia perficiendum. Unde ſequitur, Deum non deſtinaſſe Meſſiam homini, ut pœnitentia ſuâ ejus adventum anteverteret, ſed ut per veram pœnitentiam & fidem ipſi velut ſurculus arbori inſereretur, cum pœnitentia medium non ſit, quo homo ducitur ad Meſſiam, ſed Meſſias medium, quo homo ducitur ad pœnitentiam. Cauſa itaque quod Meſſias hactenus non venerit, non eſt quod זמן חיוב *Terminus neceſſitatis*, quo ex decreto venire debet, exſpiraverit, ſic enim nulla amplius ſpes ſupereſſet. (licet aliqui Talmudici qui Romæ cum pauperibus & ulceroſis ipſum decumbere affirmant, ſubtilius adhuc diſtinguentes, etiam זמן חיוב jam exſpiraſſe, & ſpem זמן גלוי *Termini revelationis* duntaxat ſupereſſe ſtatuant) Sed eſt quod judæi conditionem לזמן אפשרי סמוכה *termino contingentiæ annexam*, pœnitentiam ſc. præſtare non potuerint, nec etiamnum poſſint. Si quæras, in quo igitur tam

gra-

graviter nunc peccent,& annon religiosa illa abstinentia, quâ inde à captivitate Babylonicâ ad hęc usque tempora, tam studiosè ab idololatria iræ divinæ provocatrice sibi caverunt, sufficientis pœnitentię loco esse possit? Respondet noster Rabbi, istud non sufficere, nec ulla ratione Messiæ adventum anticipari posse, quin prius sabbathum exactissimé observare didicerint, cum in perpetuâ sabbathi violatione præcipuus pœnitentiæ defectus consistat. Hoc sublato,pro sufficienti & completa habebitur, atque tum veniet Messias בנחת *placidé & quieté* & fruentur judęi לזמן הנחה *tempore quieto*, quando nimirum ritè celebraverint יום הנחת *diem quietis*,i.e. Sabbathum.Sic communiter hodie causam istius moræ scisitantibus solent respondere. Quæ responsio petitur ex codice Talmudico שבת cap. 16. א"ר יוחנן כל המשמר שבת בהלכת' אפי' עוב' ע"א כאנוש כוחלין לו שנא' אשרי אנוש יעשה זאת וגו' מהללו אל הקרי מחללו אלא מחול לו אמר ר' יהודה אמ' ר' אלמלא שמרו ישראל שבת ראשונה לא שלטה בהם אומה ולשון שנא' ויהי ביום השביעי ויצאו מן העם ללקוט ולא מצאו וכתיב בתריה ויבא יעמלק א"ר יוחנן משום ר"ש בן יוחאי אלמלא משמרין ב' שבתות בהלכתן מיד נגאלים שנא' כה אמר יי' לסריסים אשר ישמרו את שבתותי וכתיב בתריה והביאותים אל הר קדשי וגו' *Dixit R. Iochanan, quicunque observat Jabbathum juxta suam consuetudinem, etiamsi idola coluerit sicut Enosch,* (כי דוד אנוש התחילו לעבוד ע"א רבת' אז הוחל) Enoschi enim generatio cultum idolorum incepit,juxtaillud:Tunc profanatum est &c. Gen.4.26. dicit Glossa) *condonata tamen ipsi sunt* (peccata) *juxta illud*, Beatus mortalis (Enosch) qui facit hoc &c. Esai. 56. 2. Ubi מחללו *ne legas* מחללו (à profanando illud) *sed* מחול לו (condonatum est ipsi.) *Dixit R.Iehuda,Dixisse Raf, si observasset Israel primum sabbathum, non dominata ipsi fuisset ulla gens aut lingua. Dicitur enim* Fuitque die septimo, cum exiviissent aliqui de populo ad colligendum,sed non invenerunt. Exod.16.27. (Hæc fuit prima sabbathi violatio) *& postea dicitur*: Et venit Amaleck

leck & pugnavit contra Iſrael. Exod. 17.8. (quæ ſc. iſtius violationis pœna fuit.) *Dixit R. Iochanan nomine R. Simeon filii juchai ; ſi obſervaret Iſrael duo ſabbatha, uti decet, ilicò liberarentur, dicitur enim ;* Sic dicit Deus principibus, qui cuſtodierit ſabbatha mea &c. Eſai. 56.4. *Et ſcriptum eſt paulò poſt :* Adducam illos ad montem ſanctitatis meæ verſ. 7. Tanta igitur pietatis iſtius foret efficacia, ut ſi unum vel alterum ſabbathum ritè, eoque quo decet modo, obſervare poſſent, non tantum idololatria omniaque alia ſcelera eſſent condonata, ſed inſuper totum pœnitentiæ opus eſſet abſolutum, & Meſsias præ foribus. Dices: An ergo legitima ſabbathi obſervatio res uſque adeò difficilis eſt, ut per tot ſecula ne ſemel quidem iſto officio, uti decet, defungi potuerint ? Codice ſupra citato cap. 16. fol. 117. (quandoquidem die ſabbathi omnes judæi debent התענג *oblectare ſe & delicias agere*, ideoque etiam tardius ſurgere quam diebus aliis) diſputant Talmudici quoties prandendum & epulandum ſit iſto die. תנו רבנן כמה סעודות חייב אדם לאכול בשבת ג' רבי חידקא ד' א"ר יוחנן ושניהם מקרא אחד דרשו ויאמר משה אכלוהו היום כי שבת היום לה' היום לא תמצאוהו בשדה ר' חידקא כבר הני תלתא היום לבר מאורתא ורבנן סברי כהדי דאורת' א"ר שׁ פזי א"ר יהושע בן לוי משו' בר קפרא כל המקיים ג' סעודות בשב' ניצול מג' פורעניו' מחבלו של משיח ומדינה של גיהנם וממלחמת גוג ומגוג מחבלו של משיח כתיב הבא יום וכתיב התם הנה אנכי שולח לכם את אליהו הנביא לפני בא יום ה' וגו' ממדינה של גיהנם כתיב הבא יום וכתיב התם יום עכרה היום ההוא ממלחמת גוג ומגוג כתיב הכא יום וכתיב התם ביום בא גוג. *Ter epulandum eße die ſabbathi, dicunt Rabbini, ſed R. Chiddaka dicit R. Iochanam dixiſſe, quater. Vtrique eandem ſcripturam pro fundamento habent, ſc.* Exod 16.26. Dixit Moſes, comedite illud hodie, nam ſabbathum hodiè Domino eſt, hodie non invenietis illum cibum in agro. *R. Chiddaka putat, quia ter hic extat,* hodie, (ideo etiam ter eſſe prandendum. Gloſſa.) *cœnâ veſpertinâ exceptâ, ſed Rabbini cenſent, cœnam veſpertinam ibi eſt comprehenſam. Dixit R. Si-*

meam filius Paſi, R. Ioſuam filium Levi dixiſſe nomine Barkafra: Quicunque ter prandet in ſabbatho, liberabitur à tribus pœnis, nimirum à doloribus Meſſiæ, (כי דור שבן דור בא בו קטיגורי בת"ה כתובות) Tempore enim quo Ben David veniet, ſurgent calumniatores contra diſcipulos ſapientum, Gloſsa ex cod. *à judicio inferni, & à bello Gog & Magog. A doloribus Meſſiæ, ſcriptum enim hic eſt* היום *hoc die*, & alibi ſcriptum, Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat יום *dies* Domini. Malach. 4 *A judicio Gehennæ, ſcriptum enim hic iterum eſt*; היום *hoc die*, & alibi ſcriptum eſt: יום *dies* furoris dies illa. Zeph. 1. 15. *A bello Gog & Magog, ſcriptum enim tertiò hic eſt* היום *hoc die*, & alibi ſcriptum eſt: quo יום *die* venerit Gog. Ezech. 38. 18. Quis unquam acutius? Facile hinc aliquis colligeret, nullum pietatis officium facilius & gratius eſſe poſſe quam obſervationem ſabbathi, ſi enim quater vel ſaltem ter prandendum eſt iſto die, totum ferè tempus, præſertim ſi tardius quam more ſolito ſurgendum ſit, inter fœcundos calices abſumitur. Unde ergo iſta tam difficilis & ardua ſabbathi obſervatio, cui vel ineptiſſimus quiſque, modò capacem ſtomachum & plenipotentem ventrem habeat, ſufficere poſſit? Sed reſpondent ſapientiſſimi Rabbini, hanc difficultatē in rituum & præceptorum varietate cōſiſtere. *Ritibus* prout in ספרי מנהגים continentur, ſatis probè defunguntur. Sed in *præceptis* obſervandis impoſſibile, quin ſæpiſſime à ſcopo aberrent. *Majemonides* ad legitimam ſabbathi obſervationem quinque duntaxtat præcepta refert, quorū duo ſunt מצות עשה *Præcepta affirmantia*, reliqua tria מצות לא תעשה *Præcepta negantia.* Præcepta affirmantia, ſunt. 1. לשבות בשביעית *Die ſeptimo eſſe quieſcendum.* 2. לקדש היום הזה *Iſtum diem ſanctificandum eſſe.* Præcepta negantia ſunt. 1. שלא לעשות בו מלאכה *Nullum opus illo die faciendum* 2. שלא לצאת חוץ לגבול *Non eſſe faciendum iter.* 3. שלא לינגוש.

Nemi-

Neminem mulcta afficiendum. Hæc quinque præcepta in infinita alia, ramuſculorum inſtar, ab his quinque pullulantium extenduntur, de quibus infinitæ inter Talmudico-altercationes & rixæ ſunt, an ſc. talis vel talis actio & actionis modus ſub conſiderationem violationis ſabbathi venire debeat, nec ne. Integer codex in Talmude extat de hâc materiâ, dictus שבת qui id genus contentionibus, diſtinctiunculis, exceptionibus &c. confertus eſt, quæ poſtmodum Rabbinorum lucubrationibus elucidatæ, novarum animadverſionum incrementis graviores ſæpenumerò & intricatiores factæ ſunt. vid. הלכות שבת Majemonidis & אורח חיים. Exempli gratia. Refert Majemonides in הלכות שבת *cap.* 5. ex traditione Talmudicorum in omnibus Iſraelis civitatibus & provinciis, תוקעין בהן שש תקיעות בערב שבת *in veſpera ſabbathi*, (quâ feſtum incipere ſolet) *ſexies buccina clangi.* Ad primum ſonum נמנעו העומדים בשרות מלחרוש ומלעדור ומכל מלאכה שבשדה *omnes agricolæ ab aratione, ſarritione, omnique agricultura ceſſare jubentur.* Ad ſecundum ſonum נסתלקו הריכין ונגעל החניות *ſubducuntur valvæ*, & *clauduntur officinæ.* Ad tertium ſonum סילק המסלק והטמין המטמין והדליקו הנרות שהה כדי לצלות דג קטן או כדי לחדבק פת בתנור הוקין וכדיע והוקין ושובת *Quiſque removet* (ſc. ollas ab igne, aliaque quę mechanicis artibus exercendis uſu veniunt), *eaque tegit & conſervat*, (donec ſabbathum præterierit.) *Lucernas accendunt. Morantur donec piſciculi ſatis aſſati ſint, vel panis in furno agglutinatus* (i. e. שיקרמו פניה *donec ſuperficies ejus ab omni parte incruſtata, & ſat coctus ſit.*) *Interim clangitur iterum, quarta, quinta & ſexta vice, & ſic quiſque ab omni opere ceſſat.* Hoc eſt, (ut ait author commentarii מגיד משנה) היו מחרין התקיעות כדי להוכיח מחול על הקדש *Reliqui ſoni accelerantur, ut citò tranſitus fiat à profano ad ſacrum* ſeu feſti obſervationem. Addit Majemonides תקיעה ראשונה הוקין אותה במנחה והשלישית קרוב לשקיעת החמה *Primus ſonus auditur tempore oblationis*

(i.e. illo tempore, quod intercedit inter horam tertiam pomeridianam & crepuſculum, ſive horâ veſpertina, Rabbinis מנחה dicta) *tertius Solis occaſui proximus eſt.* Quandoquidem itaque ad tertium clangorem, cui ſequentes celeriter & exiguo admodum intervallo ſubjunguntur, refertur רדיית הפת *Extractio panis* è furno, quæ omnium actionum ante-ſabbathicarum ultima eſt, & poſt ultimum buccinę ſonum אסורה *illicita* videtur, cui tamen mora aliqua conceditur, ut panis triplici prandio ſabbathico in craſtinum deſtinatus, probè coctus ſit: Magna eſt quæſtio & magni momenti quidem, אם רדיית הפת מתנור מותרה בינרב שבת *An extractio panis ex furno in veſpera diei Sabbathi licita ſit?* i. e. eo tempore quo feſtum ultimo buccinæ ſono jam audito, initium ſumpſit. Videntur doctores ſibi contradicere. Legitur enim *in Maſſechet ſchabbat cap. col citle.* יצא תקיעת שופר ורדיית הפת שהיא חכמה ואינה מלאכה *Excipitur* (ſc. ab actionibus illicitis) *clangor buccinæ & extractio panis, quæ eſt ars ſeu ſapientia non verò opus.* Sic Ibid. מותר לרדות ממנו מזון לג' סעודות ואומר לאחרים בואו ורדו לכם לכל אחד מזון ג' סעורות *Licitum eſt extrahere è furno quantum ad tria* (Sabbathica) *prandia ſufficit, aliiſq; dicere: venite & extrahite vobis quiſq; alimentum pro tribus prandiis.* Econtra dicitur אין נותנין את הפת בתנור עם חשכה ולא חורדה על גבי הגחלים *Ne immittāt panem in furnum, tenebris jam obortis, neque placentam ſuper prunas.* Videtur inde ſequi, ſi iſto tempore in furnū immittendus non eſt, ergo nec extrahendus. Sed diſtinguunt inter immittentem & extrahentem. Panem in furnum immittere & coquere crepuſculo veſpertino nō eſt conceſſum, at panem מבעוד יום *pleno die* antequam clangor buccinæ audiatur, immiſſum, tenebris licet obortis & feſto inchoato, licet extrahere, nam conceſſa eſt מהות כדי להרגיק פת בתנור כדי שיקרמו פניה *Mora aliqua, donec Maſſa probè cohæreat, & ſatis cocta ſit, ejuſque ſuperficies ab omni parte incruſtata.* Hinc jam nova oritur

quæ-

quæstio. Si contigerit, ut quis panem suum demum festo jam inchoato immiserit, adeo ut quando alii extrahunt, ipsius massa nondū cocta sit nec incrustata. Quæritur an isti homini postea in luce Sabbathi liceat extrahere? Distinguitur: Si immiserit במויד *deliberato studio*, non ignorans esse initium festi, עד מוצאי שבת אסור, *prohibitum ipsi est* (extrahere sc.) *donec festum præterierit*. Sed si immiserit בשוגג *Per errorē*, nescions vel non cogitans esse festū, מותר לרדות מזון ג' סעודות *licitum est extrahere quantum ad triplex Sabbathicum prandium sufficiet*. Hic tamē nondū subsistunt religiosi Rabbini, sed denuò quærunt, an eodem illo instrumento מרדה sc. *Palâ*, qua diebus profanis extrahunt, etiam in festo extrahere liceat? Negatur hoc. שהוא רודה לא ירדה במרדה אלא בסכין *Qui extrahit, ne extrahat pala sed cultro.* Si rationem quæras, respondent שלא יעשה כדרך שעשה בחול *Ne videatur eod. modo facere sicut diebus profanis*, quibus facit opus. Accuratius istius rei ratio expendi videtur in lib. *Orach Chaijm*, ubi additur שלא יבא לידי איסור סקילה *Ne in opus prohibitum elapidationis incidat*: Lapides enim contrectare, tollere, emundare &c. prohibitum die sabbatho, at מרדה כלי שרודין בו הפת ומפרידין אותו מכותל התנור *Pala instrumentum est* (ut dicit ibid. glossator) *quo panem extrahentes, illum à pariete furni abstrahunt.* Ne itaque laterem furni hoc modo affricando מלאכת שקילה *opus contrectandi lapides* vel quod proximè ad ejus naturam accedit, feciisse videantur, non palæ sed cultri usus concessus est. Quæritur אם מותר לראות במראה בשבת *An licitum sit speculum inspicere die Sab.* R. cum distinctione המראה מחבת אפי' קבועה בכותל אסור *Speculum fusum quod parieti affixum est, inspicere prohibitum est.* Ratio. שמא ישיר בה נימין המדולדלים בשיער *Ne quis pilos à capillitio avulsos & pendulos conspiciat*, quibus aufferendis, si manum admoverit, opus prohibitum, quia non necessarium, fecerit. Verùm speculum שאינה של מחבת ואפילו אינה קבועה מותר

quod non eſt ſuſum nec pendet à pariete, inſpicere licet. Illuſtrat hoc *Maggid Miſchne in Hilchoth ſchabbat Harambam c. 22.* למדנו שמותר לנשים להסתכל במראה של זכוכית בשבת שאינה קבועה ואינן חוששות *Diſcimus inde, licitum eſſe mulieribus inſpicere vitreum aliquod ſpeculum, quod non pendet, illiſque non curantibus.* i. e. quod nec uſum ſpeculi habeat, nec curioſé inſpiciatur, ne occaſionem aliquid animadvertendi & tollendi dare poſſit. Quæritur. אם מותר להחם רבר בשבת *An liceat aliquid calefacere die ſabbathi?* R. Diſtingue להחם לאור אסור *Ad focum calefacere prohibitum* אבל להחם בחמה מותר *Sed ad calorem ſolis aliquid calefacere permiſſum eſt.* Item, diſtingue inter חמה & תולדות החמה *Solem & qualitatē* (calidam) *à ſole productam.* Licitum eſt ליתן מים צונן בשמש כרי שיחמו *aquam frigidam expenore ſoli ut caleſiat;* verùm להחם בתולדות חמה אסור *calefacere aliquid ad ſolis qualitates,* (i.e. ad corpus à ſole calefactum) *prohibitum eſt.* Ratio שאינו בא לטעות מחמה לאור *Ne error committatur à ſole ad ignem,* quod enim à ſolis qualitate calefit, videri poſſit ac ſi ab igne calefactum eſſet. Quæritur, cum lex dicat: nullum opus facies, nec tu, nec jumentum tuum: אם מותר להוציא בהמה לר"ה בשבת *An liceat educere jumentum in locum publicum in Sabbatho?* R. Diſtingue. מותר למשוך את הבהמה בתג ורסן שלה והוא שתהיה רואיה לאותו הרסן ושמשתמר בו כגון שיר לסוס ואפסר לגמל וחטם לנאקה וכוגר לכלב *Iumentum fræno & habena ligatum educere licet, fræno ſcil. cuique jumento proprio, eique cuſtodiendo, apto; ſicut equus duci ſolet catena, camelus capiſtro, camela annulo, canis loro.* Verùm אם הוציא בהמה במתג שאין משתמרה בו כגון שקשר חבל בפי הסוס במתג שאינה צריכה לו חמיר בשיר של סוס או החתול בסוגר אסור *Si jumentum ducatur fræno quod ipſi non convenit, vel ineptum ad illud cuſtodiendum, ut ſi os equi ligetur funè, vel aſinus catena equi, aut felis loro, prohibitum eſt.* Ratio. ה"ז משוי שכל שמירה מעולה או שמירה פחות משוי הוא לה *Onus hoc eſt, ſive enim cuſtodiæ frænum majus ſit, ſive minus, quam quod cuique jumento convenit,*

in-

inſtar oneris hoc ipſi eſt, quia ſc. moleſtum. Oneris autem geſtatio opus eſt, iſta die prohibitum. Eadem ratio eſt, quare

לא תצא בהמה בזוג *Iumentum exire non debeat cum tintinnabulo.*

ולא בחטם שבצוארה *Neque cum annulo.*

ולא ברצועה שברגלה *Neque cum loro in pede.*

ולא בסולם שבצוארה *Neque cum ligno in collo.*

ואין חמור נמרדעת *Neque aſinus cum clitellis.*

ואין גמל במטוטלת התלוי' לו בזנבו *Neque camelus cum ferro ligato in cauda ipſius.*

ולא יקויד יד ולא עקוד רגל *Neque pedibus ſive anterioribus ſive poſterioribus ligatus.*

ואין התרנגולין בחוטין שברגלי' *Neq; gallinæ cũ funiculis in pedibus.*

ואין הכבשין בעגלה תחת אליה *Neq; oves cũ receptaculo ſub cauda.*

ואין הכבשות בעצים בחוטמן *Neque agnæ cum lignis in fronte.*

ואין העגל בעול קטן על צוארו *Neq; vitulus cũ parvo jugo in collo.*

ואין בהמ' בשבכה בפיה שלא תאכל *Neque jumentum cum impedimento in ore, ne comedat.*

ואין הפרה בעור הכופר על דדיה שלא ינק השרץ *Neque vacca cum corio piceo ſuper ubera, ad ablactandum fœtum.*

ולא ברצועה שבין קרניה *Neque cum loro inter cornua.*

ואין חמור באוכף *Neque aſinus cum ephippio.*

ואין הסוס נזנב שועל *Neque equus cum cauda in pugillum colligata.*

ולא בזהורית שבין עיניו *Neque cum coccineo ornamento inter oculos.*

ואין בהמה בקרסטל שבפיה *Neq; jumentum cum caniſtro in ore.*

ולא בסנדל שברגלה *Neque cum ſandaliis in pede.*

ולא בקמיע שאינו מוכחד *Neque cum amuleto, quando ad ſanitatem ejus non conducit.*

Excipe.

מותר לצאת באגד שעל גבי המכה *Licitum eſt ut exeat cum ligamine ſuper plaga.*

ובקשקשים שעל גבי השבר *Et cum emplaſtro ſuper fractura.*

ובשלה מדלדלת בה *Et cũ ſecundina quæ inde dependet.*

זכרי

זכרי' ביעור על זכרותן שלא יעלו על הנקבות *Et mares cum velamine super membro, ne coeant cum fœmellis.*

ובעור על לבה' שלא יפלו עליה' זאבים *Et cum corio circa cor contra impetum luporum.*

וכבש' מלופפי' במטלניות כדי שיהיה צמר שלהן נקי. *Et oves linteis obvoluta ut earum lana conservetur munda.*

Quæritur an licitum sit in sabbatho לשפשף בידים בגד שמחקשה אחר הכביסה *Fricare aut atterere manibus vestimentum aliquod quod post lotionem* (cum jam exsiccatum fuerit) *obduruit vel obriguit* ? R. בחלוק *cum discrimine.* כותר לעשותו שאינו מכוין *Licitum est hoc facere si intentionem aliam non habeat, quam ut illud mollefaciant.* Verùm סודר אסור *pannum linteum* ita fricare *non licet.* Ratio : מפני שמכוין לצחצחו *Quia scopum alium tum non habent quam ut nitidum efficiant*, והוא כמלבן *quæ dealbantis* actio est, sabbatho prohibita. Vid. *Orach Chaiim.* sect. 302. Quęritur ibid. An licitum sit לקנח טיט שעל גב רגלו *abstergere lutum quod adhæret pedi* ? R. cum discrimine. יכול לקנחו בין הקרקע בין הכותל *Licitum est abstergere inter terram & parietem.* Non ad parietem משום בנין *propter ædificium.* Non ad terram משום אשוי גומות Ne foveam implere videatur, quod opus sabbatho prohibitum. Et hæc etiam est ratio. שאסור לפנות בשדה ניר בשבת *Quare in sabbatho ventrem exonerare non liceat in agro recèns proscißo*, quia scil. multæ ibi sunt foveæ. Ibid. *sect.* 312. Quæritur an liceat להוציא צואה של הרנגולין המונחת בחצר *excrementum gallinarum in atrio relictum removere* ? R. Distingue בכלי לא מוהר *Cum instrumento* removere *non licet*, aliàs licet. Ratio שהוא כנרף של ריעי שמותר להוציאו *Est enim ac si quis matulam cum stercore removeret, quod licet.* Iterum distingue. אם הוא בחצר אחרת שאינו דר שם אסור להוציאו *Si fuerit in alieno atrio ubi nemo commoratur, aufferre non licet.* Observa tamen, אם ירא מפני התינוק שלא יתלכלך בה מוהר לכפות עליה כלי *Si metus sit, ne puerulus aliquis se illo inquinet, etiam instrumento aliquo illud tegere licet. sect.* 308. Quæritur, An lici-

licitum ſit לצוד ולהרוג פרעוש או כינה בשבת *capere & elidere pulicem aut pediculum in Sabbatho?* R. Diſtingue. Pulicem aut pediculum מעל הארץ או מעל בגדו אסור *de terra aut de veſtimento* tollere *non licet* אבל אם הוא על בשרו ויצקצו מותר לצוד ואסור להורגה *Sed ſi cuti adhæreat & mordeat, venari quidem licet, necare tamen non licet.* Excipe tamen; כינה מותר להורגה *Pediculum impunè necare licet.* Hoc autem non niſi cum judicio & diſcrimine ſieri volunt ſapientiſſimi Rabbini: libertas enim & vitæ ſecuritas quâ gaudet pulex, tanta eſt, ut etiam inde ad pediculum aliquod privilegium redundet. Hinc unanimi conſenſu à doctoribus Talmudicis ſancitum שמפלא בגדיו אסור להרוג גם כינה שמא יבא להרוג פרעוש *Ne veſtes ſuas excutiens occidat pediculum, ne cad. operâ occidat pulicem.* Licèt enim pediculum ſabbatho necare liberum ſit, quia tamen vetitum necare pulicem, ecce גזיר הריגת כינה אטו הריגת פרעוש *Necatio pediculi prohibita eſt ne interimatur pulex.* Hoc itaque beneficium pulici vicino ſuo debet pediculus, quod ipſi propter vicinum bonum benè ſit. Liquet hoc ex ſecundo hujus decreti membro, quo למפלא ראשו מותר להרוג כינה *caput ſuum excutienti, pediculos necandi facultas conceditur,* ולא גזרי' אטו הריגת פרעוש *nihilque ibi de iis, ne pulices unà periclitentur, parcendis cautum.* Ratio שאינן בראש מצויות *Quia pulices non reperiuntur in capite. Sect.* 116. Sic pediculorum ambitio caſtigatur, quod pulicum in capitis dominio ſocietatem admittere nolint ſicut in veſtibus, hoc enim ſi facerent, æquè ac pulices ab internecionis periculo die ſabbathi eſſent immunes. Atque ita diſcrimine hoc non minus feliciter reperto quàm prudenter adhibito, R. Elieſeri pediculorum fautori optimè cum ſociis convenit, qui dicit ההורג כינה בשבת כאילו הורג גמל *qui pediculum elidit in ſabbatho, ſimilis illi eſt qui occidit camelum.* Allata diſtinctio toram controverſiam deciderit, ſi ſcil. dictum hoc non de capitis ſed veſtimento-

rum excuſſione duntaxat intelligatur.

Qui plura deſiderat,adeat *Synag. Iud.Buxtoffii*,ſexcenta enim id genus ex talmudicorū pręceptorū volumine in mediū afferri poſſent, ubi ne minutiſſimos quidē humanarum actionū apices à ſabbathica cenſura immunes eſſe videmus: illas etiā, quarum vel ſola nomina, lingua verecunda & caſtæ aures reticere jubent, ſigillatim excutere, & ſuo מותר ואסור *licito & illicito* definire non verentur. Quippe præceptum illud negativum; *nullum opus facies, neque tu neque jumentum tuum* &c: in infinitum uſque extendunt, nihilque, quod aliquam operis ſpeciem habere poſsit, intactum relinquunt. Hinc ſatis conſtat, judęo rigidiſſimam illam ſabbathi obſervationem,niſi prius humana naturâ exuta, angelicam vel pecorinam (pecora enim Iudaica, pleraque id genus præcepta, ut decretum de pulice & pediculo &c. melius obſervare poſſe quam homines, certum eſt) induerit, eſſe impoſſibilem, nec mirum, neminem exſtitiſſe, qui iſtarum obſervationum farraginem vel memoriter tenere, nedum actiones ſuas omnes ad hanc amuſſim exigere valuerit. Quis enim manum aut pedem extendat,quin Rabbinicum aliquod מותר ואסור ilico transgrediatur? Quapropter fruſtra ſunt Rabbini,quòd ſuos vana ſpe lactent, dum celerem Meſſiæ adventum promittunt ſub conditione impoſſibili: hanc enim ſi præſtare potuiſſent, jam dudum præſtitiſſent. Unde concludimus, ſi de termino *Neceſſitatis* non magis certi ſunt quam de termino *Poſſibilitatis*, Meſſiam in æternum non venturum: Primum autem eſse vanum ſupra demonſtravimus; Alterum verò jam à multis retrò ſeculis exſpiraſſe, rerum eventus luculenter teſtatus eſt.

(ᵃ) בשובה ונחת *In reſipiſcentiam & quietem*. Paronomaſiæ, quæ eſt inter יום נחת *diem quietis* & הגאולה בנחת *Redemptionē*

qui-

quietam, elegantia deluſus, nec ſenſum nec ſcopum hujus loci rectè expendit. Non ſenſum, Sumit enim verba illa, ac ſi propheta dixiſſet: Si diem נחת *quietis* i. e. Sabbathum recté & uti decet obſervaveritis, ſervabimini, i.e. veniet redemptor ille Meſſias. Hic duplici modo aberrat. 1. in medio ſalutis promiſſæ. 2. in definitione iſtius ſalutis. In medio, cum illud eſſe dicit נחת *quietem*, i.e. legitimam diei quietis obſervationem. In definitione ſalutis, cum illam definit: גאולת המשיח *Redemptionem Meſſiæ*. Non ſcopum, refert enim ad tempora futura id quod propheta de præſenti Reipublicæ Iſraeliticæ ſtatu enunciaverat. Ab initio capitis carpit propheta inanem aliquot judęorum ſui temporis ſub rege Ezechiæ fiduciā, qui ſibi metuentes à potentiſſimo Aſſyriorum exercitu contra Hieroſolymam ſub Rabſacke militante, Ægyptiorum auxilium implorabant & quaſſatæ arundini innitentes (*vid.* 2. *Reg.* 18. 20.) os Domini non conſulebant, neque verâ reſipiſcentiâ ad ipſum converſi à potenti ipſius brachio opem & ſalutem exſpectabant. Ideo dicit: *Væ filiis contumacibus, dicit Dominus, ad agitandum conſilium ſed non ex me* &c. v. 1. *Proficiſcentibus ut deſcendant in Ægyptum, cum os meum non conſuluerint, ut roborentur robore Pharaonis, & recipiant ſe in umbram Ægypti. Nam erit vobis robur Pharaonis pudori* &c. v. 2. *Ægyptii in vanum & inaniter adjuvabunt, idcirco proclamo ad hoc: ſortitudinem ipſis ſore ut maneant* v. 7. Deinde poſtquam vani iſtius conſilii infelicem exitum minatus fuiſſet, v. 15. iiſdem ferè verbis repetit id quod verſ. 7. dixerat: *Ita dicit dominus: reverſione & quiete ſervabimini, in tranquillitate & fiducia erit potentia veſtra, non acquieſcites autem ſed dicitis, velocibus equis vehemur* &c. Toto hoc contextu ſimul inſpecto, facile patebit quantum prophetæ mens & ſcopus à rabbinicâ iſtâ παιγνιωδίας elegantia diſtet. Senſus enim verbo-

rum hic eſt : Fruſtra in Ægypto contra Aſſyriorum potentiam auxilium quæritis, in me auxilium veſtrum eſt, non in Ægypto: quapropter edico vobis ut de exterorum ope non ſoliciti, quietè & pacificè domi conſideatis, in me fiduciam veſtram collocantes, & à me ſolo ſalutem & à Rabſakis vobis & mihi ſuperbè inſultantis tyrannide & minis liberationem exſpectantes. Hoc facientes poſtmodum Iudæi, divini eloquii veritatem brevi experti ſunt, Hieroſolymæ enim tranquillè & quietè remanentes, Deoque fidentes, exercitus Aſſyriorum horrendam ſtragem abſque humana ope cœlitus immiſſam ſummo cum gaudio contemplati ſunt. Ergo נחת *Quies* illa verſ. 15. non eſt diei quietis obſervatio, neque quietus Meſſiæ adventus, ſed eſt quieta & tranquilla in Deo fiduciæ collotio, quam verſ. 7. per vocem ſynonymam שבת (quæ, ſi nomē ſit à שבת *ceſſare, quieſcere*, ſignificat *quietem*, ſi infinit. à ישב *ſedere*, vel, quod malim, ſi reſpectum ad utramque originem habeat, *quietam & tranquillam remanſionem*, in qua tota judæorum fortitudo conſiſtere debebat, denotat) expreſſerat. Nec ſalus promiſſa hic eſt redemptio per Meſſiam (niſi typicè verba prophetæ ſumantur) ſed profligatio exercitus Aſſyriorum & publica ſub felici regis Ezechiæ imperio tranquillitas, de que prolixius ſub finem capitis. Sed ut iſtud reddatur adhuc evidentius, videamus etiam naturam vocis שובה quæ in textu ſynonyma נחת ἑρμ. Videtur Rabbi noſter illam facere ſynonymam cum תשובה *pœnitentia*, בשובה ונחת per pœnitentiam & quietem i. e. talem pœnitentiam quę in perfectâ diei ſabbathi obſervatione conſiſtat. Sed potius שובה & נחת hic ſynonyma ſunt, nam licèt שובה etiam ſit à שוב *reverti*, & תשובה *reverſio* ad Deum i. e. pœnitentia, etiam tum temporis judæis fuerit neceſſaria, tamen natura נחת συνωνύμως requirit, ut שובה hic non pœnitentiam

pro-

propriè ſed *manſionem quietam* ſignificet. Sic videmus שוב Pſal. 23. 6. ושבתי בבית יהוה לארך ימים *Revertar ad domum Dei in longitudine dierum*, non propriè ſignificare *reverti*, ſed poſt reditum *quietè & pacificé* in aliquo loco *habitare*. Eodem plané modo quo קום Pſal. 1. 5. לא יקומו רשעים במשפט *Non ſurgent impii in judicio*, non proprié ſignificare *ſurgere*, ſed poſt ſurrectionem *ſtare & ſubſiſtere*. Qui hebraiſmus notatu dignus eſt. Quidni ergo etiam nomen שובה (quod alibi non reperitur) hic non propriè ſignificet reditum ad pœnitentiam, ſed poſt reditum iſtum tranquilla remanſio in aliquo loco cum plena in Deum fiduciâ? præſertim cum adjunctum נחת & omnes loci circumſtantiæ iſtam denotationem expetant & ſenſus ſic magis perſpicuus ſit; quod ſolam Gallicam verſionem accuratius quam ullam aliam, obſervaſſe video, quæ utramque vocem pro ſynonymis habens, ita reddit, *en vous tenant cois & à repos vous ſerez delivrez.* Atque hæc conſideratio mentem prophetæ adhuc longius ab inani rabbini noſtri expoſitione abducit. Si verò judæi hâc in parte fidem mihi adhibere nolint, acquieſcant ſaltem in ſuo Kimchio רהב הם שבת החזוק שלהם הוא בשבתם בעיר ירושלם ולא יכלו לבקש עזר ממצרים כי לא יועילו להם. ושובה ונחת כפל ענין במלות שונות וכן יעד ואמר בהשקט ובבטחה אמר אני אמרתי אם השמיעו לי כי בנחת תושעון ולא תצטרפו ללכת לטרוח לבקש עזר כי אם שתשבו וזאת תהיה גבורתכם ר"ל כי ה' נלחם לכם Ad verſum ſeptimum: *Fortitudo ipſis erit ut maneant, i. e. Fortitudo ipſorum in eo conſiſtet ut maneant in urbe Ieruſalem, neque fruſtra ſe conſumant, auxilium quærendo apud Ægyptios, qui nihil ipſis proderunt.* Et ad verſum 15. *in quiete & requie. Idem binis vocabulis dicit, ſicut etiam facit, cum addit: in tranquillitatem & fiducia. Eſtque ac ſi diceret. Dico ego vobis, ſi voci meæ auſcultabitis, quietè ſedendo liberabimini, neque opus vobis erit, ut vos deſatigando, auxilium aliunde petatis, ſed tranquillé duntaxat ſedeatis &*

hoc erit robur vestrum. Hac expositione, sicut nihil accuratius, sic nihil à somnio de Messiâ & sabbathi observatione alienius.

(1) Convenientiorem sané & luculentiorem, qui Messiam promitteret, locum allegare non potuit quam *Esai.* 59.20. Gentem etiam cui promissio hęc facta, rectè observavit esse populum Israeliticum. Errorem duntaxat committit circa qualitatem in illis quorum bono veniet, requisitā, quæ qualitas est conversio ab iniquitate, cui vim Messiæ adventum accelerandi tribuit, quod decreto Dei repugnare, supra vidimus. Quæritur autem an vaticinium hoc jā adimpletum sit? Dicunt Christiani in Christo esse impletum. Negant hoc judæi petitâ ratione à gente, cui facta hic est promissio, Israeliticâ nimirum quæ redemptore suo nondum est potita. Respondemus ipsis, judæos omnino redemptore potitos esse, non quidem quoad liberationem carnalem qualem illi sibi imaginantur, quæ nuspiam promissa est, sed quoad salutem animarum & gratiam Iudæis æque quam gentibus, cum salus ex Iudæis sit, oblatā, cujus effiaciam in Ecclesia primitivâ Christianâ perceperunt illi ex Iacob qui à defectione se convertentes verâ fide Messiam sunt amplexi. Sed specialius quid in hoc dicto considerandum. Cum enim à Paulo Rom. 11. 26. allegari videatur ad probandam universalem Iudæorum ad Christianam fidem conversionem, plerique Christiani in eâ sunt sententia, vaticinium hoc quoad istud membrum adhuc ante mundi consummationem restare implendum. Verba Pauli hæc sunt. *Nolim vos ignorare, fratres, mysterium hoc ut ne sitis apud vosmet ipsos sapientes, obdurationem ex parte Israeli evenisse, tantisper dum plenitudo gentiū introierit. Et ita totus Israel servabitur, sicut scriptum est, veniet Tzioni liberator & avertet impietates à Iacob.* Super verba illa, *totus Israel servabitur,*

duplex

duplex tā apud priſcos quam recentiores Chriſtianorum doctores ſententia eſt: Prima eorum qui per *Iſraelem* intelligunt Iſraelem carnalem, populum Iudaicum; altera eorum qui per *Iſraelis* nomen intelligunt Iſraelem ſpiritualem, Eccleſiam Ieſu Chriſti ex Iudæis & gentibus compoſitam, uti ſæpiſſimè videmus, Eccleſiæ Chriſtianæ œconomiam, veteris & typicæ Eccleſiæ nominibus inſigniri apud prophetas. Et ſic Paulus Gal. 6. 16. Per *Iſraelem Dei* procul dubio non populum Iudaicum ſed totam Eccleſiam Chriſtianam intelligit. Sanè ſi rem conſideremus, nulla inter utramque ſententiam differentia eſt, ſive enim dicas, totus Iſraël ſpiritualis, i. e. tota Eccleſia Chriſtiana, ex Iudæis & gentibus compoſita ſimul ſumpta ſervabitur, ſive dicas, totus Iſrael carnalis, velut Eccleſiæ Chriſtanæ membrum ſervabitur, res eodem recidit, utrobique enim ſalus Iudæorum comprehenditur. Sed tamen quoad applicationem & eventum, hæc ſententiarum diverſitas, diverſas reddit aliquot dictorum propheticorum expoſitiones. Si enim Paulus per *Iſraelem* intelligat Iſraelem ſpiritualem, totam Eccleſiam Chriſtianam, ſequetur inde. 1. Ipſum divinam illam N. T. œconomiam oſtendere voluiſſe, qua Deus Eccleſiam ſibi paravit ex Iudæis & gentibus ſimul, adeo ut licet induratio obvenerit Iudæis, illam tamen *ex parte* & non omnibus obveniſſe dicat, neque hoc impedire, quo minus plurimi illorum à defectione cōverſi & gentibus aſſociati, Iſraelem ſpiritualem unâ cum ipſis conficiant, qui totus Iſrael ſpiritualis ſervabitur. i. e. à ſtatu Eccleſiæ militantis ad ſtatum Eccleſiæ triumphantis transferetur, quod tamen non fiet quin prius plenitudo gentium introierit. i. e. ad eundem illum ſpiritualem Iſraelem adducti fuerint qui ex gentibus adhuc adducendi reſtant: gentium enim ad Eccleſiam accurſus frequentior ſemper fuit quam judęorum

rum. 2. In locis propheticis, illo nimirum quem Paulus hic allegat Esai. 59. 20. aliisque, ut *Ier.* 30. 9. *Servient Domino Deo suo & Davidi regi suo quem excitabo illis*, sic *Ezech.* 34. 22. 23. 24. & 37. 23. 24. *Hos.* 3. 5. ubi (consentientibus Rabbinis Davidem esse Messiam) filiis Israel speciatim promittitur Messias, eorùmque ad Messiam conversio; non solis Iudæis sed Ecclesiæ ex Iudæis & gentibus compositæ. i.e. Israeli spirituali fieri promissionem, adeo ut Iudæi sibi speciatim ista loca vendicare nequeant, nisi quatenus sint pars & membrum Ecclesiæ N. T. & reipsâ ad verum Messiam Iesum Christum conversi. Verum si per *Israelem* apostolus intelligat Israelē carnalem, locorum sensus longe alius erit, sequeturque inde. 1. Ipsum de speciali quodam beneficio non gentes sed judęos spectante loqui. 2. Ipsum hoc beneficium prævidisse in loco illo prophetico quem allegat, & similibus parallelis, adeo ut judæi sibi solis ibi factam esse promissionem jure pertendere possint. Quale autem est istud beneficium? *Conversio ad Deum & Messiam, & gratiæ, per Messiam partæ fruitio*, qui sensus est verborum propheticorum. Iudæi non curantes quid Paulus intenderit, beneficium hoc sibi proprium, faciunt merè carnale, utpote Messiæ, quem adhuc exspectant regno comprehensum, quam Theologiam toto hoc libro confutamus. Hic verò de mente Pauli ex Christianorum sententiâ quæstio est, qui, si speciale beneficium, conversionem sc. ad Messiam, judæis à prophetis promissam intelligat, jam conversio illa, de quâ ipse & prophetæ, non erit illa, quæ tempore apostolorum & postmodum diversis intervallis quando judæi modò plures modò pauciores genribus in Christianæ fidei professione sese associarunt, contigit, sed universalior aliqua, non sine miraculo ante mundi finem adhuc futura, qua judæi non quidem omnes & singuli (sicut nec

omnes

omnes & singuli ex gentibus conversi sunt) sed ingenti concursu , qualis olim gentium fuit, convertentur. Atque ita etiam dicta illa vaticinia & promissiones ibi factæ, nullatenus gentes ut partem Israelis spiritualis sed judæos duntaxat spectabunt, suo tempore gentibus jam conversis associandos, quando sc. gentium multitudo introiverit. Hic sensus (licet etiam prior fidei analogiæ nihil habeat contrarium) Pauli authoritate,qui illum amplecti videtur, præpollet & facit ad majestatem Christianæ religionis. Scopum autem apostoli talem fuisse, hæ imprimis rationes evincunt. 1. Vocat hanc judęorum conversionem μυστήριον *mysterium* & quidem tale mysterium quod Romanos ignorare nolebat, rem itaque hactenus ipsis incognitam declarare volebat. At verò Israelem spiritualem, cujus judæi jam modò pars aliqua erant, aliique per diversa temporum intervalla futuri erant, servandam esse, nemo, qui Christianus esset, ignorare poterat. Unde colligitur,ipsum de peculiari quadam & generaliori judaicæ gentis futurâ conversione loqui, quod Mysterium Romani hactenus ignoraverant. 2. Ejusdem sententiæ confirmatio petitur à scopo Pauli, à vers. 18. id unicè ipsum intendisse videmus ut gentes ad Christianam fidem conversæ à vanâ adversus judæos in incredulitate permanentes,gloriatione sibi caverent. Argumenta sumpsit primò ab antecedenti,æquali nimirum Iudæorum & gentium conditione, quod omnes æquè indigni divina gratiâ fuissent , non minus enim gentes propter idololatriam suam & detestandam vitam (qua de causa ipsos *oleastrum* vocat) indignæ erant, qui benignè cum ipsis ageret Deus, quàm judæi digni qui divinâ gratiâ propter incredulitatem suam exciderent. Quapropter licet judæi propter incredulitatem essent rejecti, gentes tamen inde , se ut in eorum locum & sortem

adoptarentur, dignas fuisse, argumentum ducere neutiquam volebat, cum ex mera duntaxat benignitate & misericordia ista gratia ipsis obtigerit. Secundò à consequenti, facilitate scil. vicissitudinis. Eâdem enim facilitate qua judæi erant rejecti, & gentes in eorum locum adoptati, eadem vicissim illi restitui, si ab incredulitate sua resipuerint, illæ vero rejici poterant, si vana gloria ductæ, oretenus tantum fuerint Christiani, non enim existimandum, si Deus naturalibus ramis non pepercit, ipsum insito oleastro parsurum. Tertiò à mysterio, quo judæos tandem aliquando, licèt illis qui tum temporis vivebant induratio obvenisset, in Ecclesiæ gremium per veram resipiscentiam recipiendos esse vaticinatur, quasi dicere voluisset: Non est, O gentes! quod adversus judæos gloriemini, ad tempus tantum & ex parte est illorum induratio, qui tandem æque ac vos, & tam frequenti concursu, quo vos fidem Christianam suscipere visi estis, vocandos esse vobis prædico. Quod si vero hoc de Israëlis spiritualis salute intellexisset, argumentum contra gentium gloriationem fuisset ineptum. 3. Idem colligitur ex notatione temporis. Obduratio ex parte evenit judæis, sed quamdiu durabit? ἄχρις οὗ *donec plenitudo gentium introierit*, tum sc. induratio illa cessabit. Loquitur itaque de judæorum conversione quæ non isto tempore, quo gentium multitudo nondum introierat sed post multa secula in Ecclesia conspicua futura erat. 4. Ab emphasi vocis ἀπὸ μέρους *ex parte*, quæ indurationem istam limitat & quoad tempus, & quoad objecta, i.e. nec fore illam indurationem perpetuam, nec fore omnium, sed aliquorum duntaxat, isto autem tempore quo vivebat apostolus, non erat induratio judæorum ex parte sed ferè omnium, pauciſſimi enim ad Christianam fidem convertebantur. Illud ergo ἀπὸ μέρους & temporis & objectorum

ctorum seriem includit usque ad universalem conversionem, quæ si exspectanda non esset, frustra & sine fundamento vocasset Paulus judæorum indurationem, *particularem*, quæ sanè hactenus universalis potius fuit quam particularis. 5. Ab oppositione, confert conversionem judæorum, cum illâ gentilium, atqui illa fuit generalis, ergo & hęc talis est futura. 6. Salus totius Israelis de quâ v. 26. dicitur πλήρωμα *plenitudo* judæorum v. 12. qui loci collati satis ostendunt, quid per totum Israelem intelligat, opponitur enim πλήρωμα judæorum τῶν πλήρωμα, gentium vers. 25. quæ oppositio inanis esset, si nulla generalis judæorum conversio, non entis enim nulla sunt accidentia. Hinc satis liquet, quid de judęorum conversione judicaverit apostolus, & quo sensu locus propheticus ab ipso citatus, exponendus sit.

(4) In verba Esai. 66. 18. 19. 20. *Congregabo omnes gentes & linguas, quæ venientes visuræ sunt gloriam meam. Ponam in his signum & mittam ex his qui evaserint ad gentes in oceanum, Pulem & Ludum jaculantes arcu, Thubalem & Iavanem: regiones denique longinquissimas, quæ non audiverant famam meam, neque viderant gloriam meam, ut indicent gloriam meam in gentibus. Et adducent omnes fratres vestros ex omnibus gentibus muneri Domino, equis & curribus & pilentis, mulisque ac veredariis, ad montem sanctitatis meæ Hierosolymam*, hoc modo commentatur Abarbenel הנזרה מלפני בא לקבץ את כל הגוים והלשונות והקבוץ בארו יחזקאל שיהיה כולו
על ירושלם כי הנה יעלו שמה הנוצרים בתחלה ויחריבו את ארץ מצרים במכת חרב
והרג ואבדן גדול ואז יאספו עליהם הישמעלים כל בני מזרח וצפון ותהיה מלחמה
ב ניהם קרוב לירושלם והיתה להם עת צרה אשר כמוה לא נהיתה כי תהיה הרב
א ש באחו רבה מאד כמו שבארתי במעין י"א ממעיני הישועה לתת נקמת ה'
באויביו ועל אותה נקמה אמר ובאו וראו את כבודי כי הוא תהיה כבוד ה' באמת
כמו שאמר יחזקאל יעל ה והתגדלתי והתקדשתי ונודעתי לעיני גוים רבים וידעו כי
אני ה' ולפי שבעצת ה' ימלטו מאותה מלחמה פלטים עם מומים רבים כמו שאמר
זכריה והאת תהיה המגפה אשר יגוף ה' את כל העמים אשר צבאו על ירושלם

המיק בשרו והוא עומד על רגליו ועיניו תמקנה בחוריהם ולשונו תמק בפיהם לכן אמר ושבתי בהם אות שהם המומים והנגעים ושלחתי מהם פליטים ר"ל שיכבד הש"י שימלטו במלחמה וילכו אל הגוים שזכר תרשיש פול ולוד ואל כושבי קשת שפירשו המפרשים שהם הטיר"קוס ואל בני תובל אשר באי אינגלו"אטירא ואל יון שהיא ארץ היונים וגם כל ארץ איטליא ובכלל לכל האיים הרחוקים אשר לא שמעו את שמעי ולא ראו את כבודי ויגידו הפלטים החם את כבודי שהיא המלחמה ונקמתה בגוים ההם ואז גויי הארצות כשידעו זה הפלא הגדול שיעשה השם יביאו את כל אחיכם והם בני ישראל ששארו בארצות הגוים ולא באוניריין לירושלם יביאו אותם מנחה לה' בכבוד גדול בסוסים וברכב ובצבים שהם העגלות המכוסות ואהל בהם כמו שש עגלות צב ובפרדים ובכרכרות שהם הנמלים הקלים וגו'.

Statutum apud me eſt, ut colligam omnes gentes & linguas, de quâ collectione etiam locutus eſt Ezechiel illam fore contra Hieroſolymam. Primò enim eò aſcendent Chriſtiani, vaſtabuntque Ægyptum per gladium, cædem & cladem maximam. Poſtea contra ipſos colligentur omnes Iſmaelitæ (Turci) *omnes incolæ Orientis & Septentrionis, eritque prælium inter ipſos propè Hieroſolymam, & tempus anguſtiæ, cui ſimile antea non exſtitit, erit enim gladius cujuſque contra fratrem ſuum, ſicut expoſui in Majene hejeſchuah, majan.* 11. *Sumetque Deus vindictam de omnibus inimicis ſuis, quam indicat, cum dicit: Venient & videbunt gloriam meam. Hæc enim reverâ erit gloria Dei, ſicut etiam Ezechiel de illa prædixit:* Magnificabo me & ſanctificabo me & innoteſcam in oculis multarum gentium, ut cognoſcatur me eſſe Dominum. Ezech. 38. 23. *Et ſtatutum eſt apud Deum ut nonnulli ex iſto prælio auffugiant magna plaga affecti, ſicut dicit Zacharias* Zach. 14. 12. Hæc verò plaga erit qua afficiet Dominus omnes populos, qui turmatim convenerint contra Hieroſolymam: tabefaciet carnem cujuſque ipſo ſtante ſuper pedes ſuos, & oculi cujuſque tabefient in foraminibus ſuis, & lingua cujuſque tabefiet in ore ipſorum. *Propterea dicit, ponam in ipſis ſignum; hoc ſignum erunt iſtæ plagæ & maculæ, mittamque ex ipſis profugos, dicere vult: Deum cauſaturum ut aliqui ex iſto prælio auffugiant ad gentes illas,*

qua-

quarum hic meminit, Tarsum sc. Pul & Lud, & ad jaculantes arcu, quos interpretes dicunt esse Turcos, & ad filios Tubal, qui habitant in Anglia, & ad Iavan, qui sunt Græci & Itali, & universim ad omnes Insulas longinquas, quæ rumorem meum non audiverant, & gloriam meam non viderant. Nunciabunt profugi illi gloriam meam, quæ bellum erit & vindicta gentium. Tum gentes istarum terrarum quamprimum magnum hoc miraculum intellexerint, quod Deus fecerit, deducent ilicò omnes fratres vestros, qui sunt filii Israelis relicti in terris gentium, & qui nondum ascenderant Hierosolymam: Deducent illos veluti munus Domino, magno honore affectos, vectos equis & curribus, & essedis, quæ curruum tectorum cum tentorio superné species est, juxta illud, sex plaustra camerata Num. 7. 3. *& mulis & veredariis, qui sunt cameli velocissimi &c.* Eodem modo Kimchi, R. Salomo &c. Omnes nostro rabbino hic adstipulantur. Nil nisi bella crepant & arma, suosque Gog & Magog semper in ore habent, quorum strages omnibus terræ gentibus erit exitiosa, exceptis judæis, qui tum curribus, rhedis, essedis, curribus cameratis, trigis, quadrigis, pilentis, carpentis, lecticis, camelis, veredariis, tibiis, tympanis, citharis, panduris, (uti Abarbenel ex Jonathane Chaldæo exponit) vehentur Hierosolymam. Quis tum nolit esse judæus? Sed quando istud erit? Quando sabbathum ritè observaverint, ut innuit noster. i.e. nunquam. Πρῶτον ψεῦδος hic est, quod gentium congregationem ad videndam Dei gloriam in malam partem sumant, quasi verò gentes alium in finem congregari, nec alio modo gloriam Dei videre possint quàm ut mactentur, annon æquè gloria misericordiæ divinæ, ac justitiæ & vindictæ, congregationis & visionis istius finis & objectum esse potuit? Imò si rem spectemus, illud potiùs quam hoc verum esse comperiemus; sæpius enim Esaiam de gentium ad veri

Dei cultum vocatione, quàm de earum interitu loquutum esse videmus, & ubi gentibus perditionem prædicit, non gentibus quâ gentibus, sed quâ Ecclesiæ hostibus (qui sæpè per nomen gentium denotantur, ead. prophetica locutione quâ ipsa Ecclesia dicitur Israel & Hierosolyma, respectu nimirum oppositionis quæ tum temporis inter judæos Dei populum quoad fœdus externum & gentes erat) illam minatur, qui hostes æquè ex judæis quam ex gentibus sunt, quicunq; enim perditissimus peccator est, divinarū legum transgressor, & idololatrā, quales tum erant judæi, is Dei & Ecclesiæ hostis est. Sed accedamus propius, quorum quæso erant peccata illa contra quæ propheta invehitur isto capite, judæorumne an gentium? quid dicit vers. 3. & 4. quid vers. 17.? *Qui sanctificant se* (sc. ad sacrificandum idolis) *qui mundant se in hortis, sequentes alter alterum palàm, qui comedunt carnem porci & rei abominabilis & muris, pariter consumentur, dictum Domini*, quosnam hic intelligit, gentes ne an judæos? non sanè gentes, illis enim lex de carne porcina non comedenda nunquam lata erat, ubi autem nulla lex est, ibi nulla transgressio, saltem quoad cibum & potum res per se adiaphoras, quæ sub transgressionis considerationem cadere non possunt, nisi quatenus legi latæ contrariantur. Hoc cum ita se habeat, quis quæso credat, prophetam huic de judæorum peccatis institutæ querelæ, totalem gentium, quod judæorum hostes essent, destructionem voluisse subnectere? Inconcinna sané, ne dicam absurda, esset ista transitio. Imo contrà, quod supra vers. 12. de *gentium gloria*, quam *torrenti inundanti* assimilat, dicit, annon hoc potiùs de gratiosa gentium vocatione, quàm earum destructione est intelligendum? Sed ipsa experientia de hac re abundè testata est. Gloria ergò Dei gentibus manifestanda, de qua propheta v. 18. non illa-

illarum interitum ſed vocationem indicat. Signum quod poſiturus eſt, non eſt clades & tabes in gentibus, ubi ineptè à Rabbinis citatur locus Zachariæ, ſed ipſos ſpectat judæos, de quorum abominationibus & conſumptione verſ. præced. locutus erat, quos licet rejecturus eſſet Deus, ſignum tamen in ipſis i. e. aliquibus ex ipſis poſiturus erat, quod euangelii & Chriſtianę fidei profeſſio eſt, propterea àque profugi iſti non ſunt gentium profugi ex bello Gog & Magog, ſed judæorum profugi, illi ſc. qui à rejectionis & indurationis pœnâ & judicio liberati, iſtoque ſigno notati, quales fuerunt Euangeliſtæ & apoſtoli (ſalus enim eſt ex judæis) Chriſtianæ fidei veritatem & gloriam in Tarſis, Pul & Lud, i. e. gentibus longè latéque annunciaturi erant. Fratres ex gentibus non ſunt judæi inter gentes diſperſæ, ſed ipſę gentes judæorum fidelium quoad ejuſd. fidei profeſsionem, fratres. Equi & muli &c. quibus vehentur, metaphoricè & prophetico loquendi modo, omnis generis media ſunt, interna & externa quibus gentes hactenus ab Eccleſia alienæ, ad illam perducendæ erant. Montis ſanctitatis & Hieroſolymæ nomina Eccleſiæ Jeſu Chriſti μετωνυμικὰ ſunt, Prophetis familiaria. Hanc prophetici ſermonis mentem fuiſſe ex verborum contextu, vaticiniorum omnium analogia, & imprimis ipſius experientiæ teſtimonio apparet. Antequam ergo Rabbini mulos ſuos, carpenta & pilenta, Hieroſolymam profecturi conſcendant, prius, ſi placet, probent, quod gratis præſupponunt, Eſaiam de bello Gog & Magog quod tantopere crepant, eſſe locutum.

(5) Rectè quidem Rabbini locum Eſai. 55. 12. *Cum lætitia egrediemini & cum pace deducemini*, de tempore Meſſiæ exponunt, niſi in perſonâ aberraſſent, & de reditu ex captivitate corporali quod propheta de ſpirituali ex captivitate ſatanæ & peccati, non Iudæis peculiari ſed

& gen-

& gentibus communi, uti per totum caput videre eſt, dixerat, intellexiſſent. Et ſanè ſi quàm maximè locus de egreſſione ex captivitate quadam corporali intelligendus eſſet, non foret diuturna illa, in qua etiamnum poſt daſtructionē templi ſecundi detinentur judæi, ſed Babylonica, de quâ ſolâ Eſaias, quicquid carnalium beneficiorum & liberationis promiſit, vaticinatus eſt, utpote poſt emenſum. 70. annorum ſpatium certiſsimè eventurâ. Nec de aliâ liberatione egreſſus iſte cum lætitia intelligi poteſt quàm de illa de qua cap. 52. 11. *Diſcedite, diſcedite, exite illinc, immundum ne attingitote, exite è medio iſtius, purgate vos portantes vaſa Domini*, ubi præter myſticum ſenſum, (quo diſceſſus à peccato & poteſtate diaboli jubetur) reditus ex Babylone non obſcurè indigitatur. Sed quia Rabbini etiam iſtum locum detorquent, ſtringamus fortiùs ex cap. 48. 20. *Exite à Babylonia, fugite à Chaldæis*, quem tertium nobis conteſtari nequeunt. Vel itaque probandum erit, de diverſis captivitatibus corporalibus & diverſis inde egreſſibus in tribus hiſce locis ſermonem eſſe, vel fatendum, fruſtra illos eſſe qui binos præcedentes ad hodiernum exilium referunt, coacti interim agnoſcere, in hoc ultimo expreſſis verbis de Babylonico agi, & gratis præſupponere quod probare nequeunt, nulla aliâ ratione ducti, quam ut carnis ſuæ deſiderio ſatisfaciant, nulloque argumento muniti, quo talem prophetæ mentem fuiſſe evincant, niſi quia reprobus ipſorū ſenſus talem fuiſse jubet; hoc enim ſolenne eſt Rabbinis, ut licèt in ipſo textu nihil ſit quo id quod dicunt, fulciant, ei tamen ſomnia ſua ſuperſtruere & hominibus imponere non erubeſcant.

צרות.

ואם חס ושלום אינם עושים תשובה ה"ברה מעמיד להם כלך שגזרתיו קשות כהמן הרשע ומחזירן למוטב בעל כרחן כדאיתא בפרק חלק ובן הבתוב אומר הנה צרפתיך ולא ככסף בחרתיך בכור עוני כי נאה עניותא לישראל כורד כומקא למוסיא חיורא כדדרשינן במסכת ע"ז וכרפידש רש"י בכוף תוכחות של בהר סיני והבאתי אותם בארצויביהם פי' רש"י וז מרה ט כה לישראל שלא יהיו אומרים הואיל וגלינו בין האומות נעשה כמעשיהם אני איני מניח אלא מעמיד אני את נביאי מחזירן למוטב תחת כנפי השכינ' שנאמ' ביחוקאל ותעולה על רוחכם היו לא תהיה וגו' חי אני נאם ה' אם לא ביד חזקה וגו' והכי אמרינן כל כי האי ריתחא ליתת וחמנא גבן וליפרוקינן כדאיתא בפרק חלק ובפרק כל המנחות אמר רבי יוחנן למה נמשלו ישראל לזית לומר לך מה זית זה אינו מוציא שמנו אלא ע"י כתישה אף ישראל אין מחזירין למוטב אלא ע"י יסורים שכל הנביאים לא החזירו מנשה בן חזקיהו למוטב אלא ע"י יסורים שנאמ' כדברי הימים ובהצר לו חלה את פני

ANGUSTIÆ.

Quod si verò (quod Deus benignè avertat) resipiscentiam non egerint, constituet illis Deus (1) regem qui durissimâ persecutione, sicut Haman improbus, cos premet, & ad meliorem frugem reducet, illis quidem invitis, prout extat in capite *Cheleck*. Et sic scriptura dicit: (2) *Esai* 48. 10. *Ecce conflabo te non autem sicut argentum, seligam te catino afflictionis.* Vtilis itaque erit calamitas Israeli, (3) furnus enim ruber est instar equi albi, sicut exponunt in tractatu *Avoda sara*, & juxta expositionē R. Salomo in fine comminationum Paraschæ *Behar Sinai*, (4) *Et inducam illos in terram inimicorum suorum. Levit.* 26. 41. Exponit R. Salomo: Hæc bona conditio est Israeli, ne dicant quandoquidem deportati sumus inter gentes, faciemus secundum opera earum. Ego verò hoc non permittam illis, sed prophetas meos ego ipsis constituam, qui ad frugem illos reducāt sub alis Schechinę. Sic enim dicitur in Ezechiele (5) *Ezech.* 20. 32. *Id quod ascendit in spiritum vestrum, minimé omninò futurum est* &c. *vers.* 33. *Ne vivam ego, dictum Domini Dei, nisi manu robusta* &c. Et in hunc modum omnes loquuntur, nam iræ fervor iste erit, ut efferveſcat Deus misericors contra illos, idque ad liberandum illos, sicut extat in cap. *Cheleck*, & in cap. *Col Hammenachoth*, dicit R. Iochanan: Quare accomparatus est Israel olivæ? Dicam tibi, quia oliva non educit oleum suum, nisi fuerit contusa, sic Israelitæ non redibunt ad frugem nisi per castigationes. Sicut nec omnes prophetæ reducere potuerunt Menassem filium Ezechiæ, nisi per castigatio-

ה' ויעתר לו ויחתר לו כתי' מ
מלמר שחתר לו מחתרת מ
מתחת כסא הכבוד לקבלו
בתשובה מפני מדת הדין
שמקטרגת וכן יהויכין מלך יהודה
לא עשה השובה אלא בהפסד
ממון וביסורים כך יעשה הב"ה
לישראל יתן לב למלכים ולשרי
הארץ לגרשם מן הארץ שנא'
ביחז' והבאתי אתכם אל מדבר
העמים ונשפטתי אתכם שם פנים
אל פנים כאשר נשפטתי את
אבותיכם במדבר ארץ מצרים ו
ובדותי מכם המורדים והפושעים
בי מארץ מגוריהם אוציא אותם
ואל אדמת ישראל לא יבואו
כי במדבר יתמו ושם ימותו כל
הרשעים כדי שיהיו השאר צ
צרופים ומזוקקים ככסף שכן כ
כתוב בסוף דניאל יתבררו ו
ויתלבנו ויצרפו רבים והרשע
רשעים ולא יבינו כל רשעים
והמשכילים יבינו וכתוב בסוף
מלאכי הנני שולח מלאכי ופנה
דרך לפני ופ"רשי לבער הרשעים
וכן בגלות מצרים כתוב ע"י
יחוקאל שאחרון היה מתנבא
לישראל במצרים דכתיב ואומר
להם שקוצי עיניו השליכו ו
ובגלולי מצרים אל תטמאו וכתיב
בתרי' וימרו בי ולא אבו לשמוע

nes, uti extat 2. *Paralip.* 33. 12. *Et cum angustiâ afficeret eum, deprecatus est faciem Domini & exoratus est ei.* Scriptum, (6) & effossum est ei, docens, quod effodit ipsi foramen sub solio honoris ad recipiendum ipsum in pœnitentiâ ex proprietate judicii accusantis. Sic Iehojachim rex jehudæ non egit pœnitentiam nisi per jacturam divitiarum & castigationes. Eodem modo tractabit Deus Israelem. Incitabit reges & principes mundi ad pellendum ipsos è terris, sicut dicitur in (7) *Ezech.* 20. 35. *Et deducam vos in desertum populorum, ubi disceptabo vobiscum in os quemadmodum disceptavi cum majoribus vestris in deserto terræ Ægypti. Vers.* 38. *Et seligam ex vobis qui rebellant & qui deficiunt à me, è terrâ peregrinationum eorum emittam eos & in terram Israelis non redibunt.* Nam in deserto consumentur, & ibi morientur omnes improbi, ut reliqui sint defœcati & purgati sicut argentum. Sicut scriptum est in fine Danielis (8) *Dan.* 12. 10. *Purgabuntur, dealbabuntur, & conflabuntur multi, cum improbè agent improbi, nec animadvertent ulli improbi, sed erudientes animadversuri sunt.* Scriptum item in fine Malachiæ (9) *Mal.* 3. 2. *Ecce ego mittam angelum meum, qui expediat viam ante me*, scil ad exstirpandum improbos, ut exponit R. Salomo. Sic in deportatione Ægyptiacâ, scriptum est apud Ezechielem, quod Aharon prophetaverit Israeli in Ægypto, juxta illud: *Et dicens illis:* (10) *Quisque res detestandas oculorum suorum abjicite, & stercoreis diis Ægypti ne polluatis vos. Ezech.* 20. 7. Et paulò pòst. *Et rebellarunt contra me & noluerunt auscultare.* Ideò mortui sunt in

אלי ועל כן מתו בנ' ימי אפילה
ר' חלקים מישראל שנא' וחמשי'
עלו בני ישראל ואל יעלה על
לבבכם לומר אם הב"ה חפץ
בתשובתם ישלח לנו נביא כ
כבראשונה זה לא יהיה כדכת'
בירמיה עד מתי תתחמקין הבת
השובבה כי ברא ה' חדשה בארץ
נקבה תסובב גבר וכן כתיב ב
בהושע אלכה ואשובה אל מקומי
עד אשר יאשמו ובקשו פני ב
בצר לחם ישחרונני אין נגאלין
ישראל אלא מתוך צרה כדכתיב
בירמ' מרוע ראיתי כל גבר ידיו
על חלציו כיולדה ונהפכו כל
פנים לירקון ואמרינן בפרק חלק
א"ר יוחנן פמליא של מעלה
ופמליא של מטה בשעה שאמר
הב"ה הללו מעשה ידי והללו
מעשה ידי היאך אני מאבד אלו
מפני אלו ובסוף דניאל כתיב
כן בעת ההיא יעמד מיכאל ר
ופ"רשי ישתתק כאלם שיראה ה
הק"בה דן בעצמו ואומר אאבד
אומה גדולה כזו בשביל ישראל
ותהיה עת צרה בפמליא של
מעלה וקטיגוריא בפמליא של
מטה בתלמידי חכמים ואמרי
רבותינו דור שכן דוד בא צרות
רבות וגזירות קשות מתחדשות עד
שהראשונה פקודה אחרת נכמרת

tribus diebus quatuor partes ex Israele, (11) quia dicitur, *& quintati ascenderunt filii Israelis. Exod.* 13.18. Et ne cogitetis, si Deus delectatur pœnitentiâ, mittet nobis prophetam, sicut antehâc. Hoc non erit, quoniam scriptum est in Ieremiâ (12) *Ierem.* 31.22. *Quousque subduces te, o filia aversa! nam patrat Deus rem novam in terra, fœmina ambit virum.* Et sic scriptum est in Hoseâ (13) *Hos.* 5. 15. *Abiens revertar in locum meum, donec reos peragant se & quærant faciem meam, cum angustia fuerit ipsis, quærent me diluculo.* Non liberabitur Israel nisi è medio angustiæ sicut scriptum est in Ieremia. *Ier.* 30.6. (14) *Quare video unumquemque virum appositis manibus suis ad lumbos suos sicut puerperam, & conversos esse omnes vultus in speciem morbi regii.* Legiturque in cap, Chelleck': Dicit R. Iochanan (15) Familia suprema & familia infima, eâ horâ, quâ dixit Deus, iterum atq; iterum deprędicabunt opus manuum mearum, cum ego perdidero illos propter hos. Et in fine Danielis sic scriptum est (16) *Dan.* 12.1. *Eo tempore stabit Michael*, quod exponit R. Salomo: silebit sicut mutus, quando videbit Deum secum contendentem, & dicentem: Perdamne populum hunc magnum propter Israelem? Et erit tempus angustiæ in familiâ suprema, & accusatio in familia infima contra discipulos sapientum. Dicuntque Rabbini nostri; Eâ ætate quâ filius David venturus est, angustiæ multæ & persecutiones duræ innovabuntur, usque adeò ut visitatio una non tam citò præterierit, quin alia ei succedat. Et hoc est quod Ieremias propheta prædixit (17) *cap.* 30.5.6.7. dicens: *Nam sic ait Dem, vocem*

לה ועל זה נבא ירמיהו הנביא
ואמ' כי כה אמר ה' קול חרדה
שמענו פחד ואין שלום שאלו
וראו אם יולד זכר מדוע ראיתי
כל גבר ידיו על חלציו כיולדה
ונהפכו כל פניה לירקון הוי כי
גדול היום ההוא מאין כמוהו ו
ועת צרה הוא ליעקיב וממנה
יושע.

trepidationis audivimus, pavoris & non pacis. Interrogate jam & videte an pariat mas, quare video unumquemque virum stare appositis manibus suis ad lumbos suos velut puerperam, & conversos esse omnes vultus in speciem morbi regii. Eheu quia magnus est dies hic, adeò ut nullus fuerit par ei, & hoc tempus angustiæ est Iacobo, tamen ex eo servabitur.

DIALEPSIS.

(*) In tractatu Talm. *Sanhedrin* cap. *Cheleck*, unde hæc traditio petita est, disputant R. Eliesér & R. Iosua. Contendit ille גם ישראל עושין תשובה נגאלין *Israelitas, modò pœnitentiam egerint, servandos esse, sc.* per adventum Messiæ, teste Jeremiâ *cap.* 3. 17. *Revertimini filij aversantes, & curabo aversiones vestras.* Cui alter oggerit locum *Esai.* 52. 3. *Gratis vendidistis vos & sinè pecunia vindicabimini*, quem hoc modo exponendo, נמכרתם בעבודה זרה ולא בכסף תגאלו לא בתשובה ומעשים טובים *Vendidistis vos per idololatriam, sed sine argento liberabimini, i. e. sine pœnitentia & bonis operibus*, socii sui sententiam convellit. Verùm ille telum hoc promptè elidit auxilio verborum *Zach.* 1. 3. *Revertimini ad me, revertar ad vos*, ubi denuò pœnitentiæ conditio inculcari videtur, quam confestim novâ machinâ arietat R. Iosua, petitâ ex *Ier.* 3. 9. (Talmudicis enim hoc in more positum est in disputationibus suis ut farragine scripturæ dictorum se invicem obruant, & ne unum neq; intelligant neque expendant) locus ita habet: *Nam ego conjugio junctus sum vobis, & recipiam vos unum ex civitate & binos ex familiâ, atque adducam vos Tzionem.* Meritò rogaveris, quid homo contra pœnitentiæ conditionem disputans, hoc dicto inferre velit, quod ad hanc rem faciat? Divinatu hoc fuisset difficile, nisi Glossa in *Beth Israel*

docto-

doctoris mentem nobis exposuisset, his verbis : בעלתי אתכם *Conjugio junctus sum ego vobis*, (redde juxta mentem rabbini , *dominatus sum ego vobis* , verbum enim בעל est conjugio jungi, & consequenter, dominari, quod maritorum est) *sensus est, vobis invitis dominatus sum* (vel dominabor veniente Messia) *non per pœnitentiam*. Vult dicere, sicut in omni dominio non attenditur, an illi qui parere jubentur , ad obediendum parati sint nec ne, sic dominium Messiæ judæis obveniet, non attendendo , an per pœnitentiam ad illud excipiendum sint dispositi. Non hic laborandum quomodo ista scripturæ dicta, quibus hi nugatores se invicem adoriuntur, conciliari debeant , nulla enim hic vel minima contradictionis species est, adeòque non tam de dictorum disputatorum, quam de doctorum disputantium conciliatione soliciti fuerunt posteriores Rabbini , quæ tota in distinctione illâ, supra ex Abarbenele citatâ , ventilatâ consistit ; Venturum sc. Messiam, si pœnitentiam egerint, *celeriter*, qui est adventus *possibilitatis* ; Venturum verò , si pœnitentiam non egerint , *suo tempore* , qui est adventus *necessitatis*. Atque hoc medio istud doctorum altercantium R. Eliesers & R, Iosuæ dissidium videtur compositum. Expenso itaque hactenus judaicæ pœnitentiæ, quam R. Eliesers urget, fructu, qui foret adventus *possibilitatis*, i. e. Messiæ adventus *acceleratus* , sequitur nunc ut ex ordine videamus , quid istâ pœnitentiæ conditione neglectâ, tandem eventurum sit : Veniet nihilominus Messias , juxta sententiam R. Iosuæ, verùm non nisi *suo tempore*, adventu sc. *necessitatis*, quem licèt *gratis* & *sine pecunia* i.e. sine pœnitentia , non tamen sine summis angustiis juxta Rabbini nostri descriptionem habituri sunt , quarum initium faciet Rex ille tyrannus & judaicæ genti infensus , de quo loquitur talmudica traditio אם ישראל אין עושין תשובה אין נגאלין אלא

אלא הקדוש ברוך הוא מעמיד להן מלך שגזרותיו קשות כהמן ומחזירן למוטב
Si Israelitæ pœnitentiam non egerint, non liberabuntur, sed excitabit Deus contra illos regē, cujus persecutionum decreta gravissima erunt sicut Hamanis. Hujus regis etiam supra ad signum primum & sextum mentio facta est. Vide ibi.

(2) Locus Esaiæ 58. 10. Nullatenus eò spectat, quò judæus illum trahit, non enim hic agit propheta de afflictionibus ante introitum judaici Messiæ, sed de afflictionibus priscorum temporum. Loquitur enim in tempore præterito, quod licet more prophetico de futuro exponi possit, circumstantia tamen textus illud hic non admittit. Ab initio capitis sermonem instituit de corruptissima judæorum vita quâ etiamsi omni tempore vindictam Divinam provocassent, Deum tamen propter nominis sui gloriam longanimitatem suam & patientiam in pessimis eorum moribus perferendis abundè demonstrasse, & adhuc demonstraturum promittit. Utrumque duplici evidenti ratione confirmat. Deum patientiam suam ostendisse, probat vers. 10. *Ecce defæcavi te sed non cum argento*, quæ verba Abarbenel ita exponit לא צרפתיך כדמיון צרוף הכסף שרדכו להסיר ממנו כל הסיגים כי אלו הייתי עושה כן לא נשאר בכם זרע אחד אבל עניתי הרשעים ולא השמדתי לגמרי *Non defæcavi te ad similitudinem defæcationis argenti, ubi moris est ut omnes scoriæ tollantur: quod si isto modo vobiscum egissem, ne unus quidem remansisset: Verùm improbos afflixi duntaxat, non autem perdidi totaliter.* Sic rectè. In eo itaque bonus ille Deus, longanimitatem suam patribus multoties probatam reddiderat, etiam denuò illam demonstraturus, quando liberationem ex captivitate Babylonica jam instante, per Cyrum Persarum regem procurandam pollicetur, vers. 15. Nihil itaque hic de afflictionibus quas judæi hodiè sub gentium regibus vel perpessi sunt vel perpessuri. Adde, si Deus ante introitum Messiæ, judæos ob

neglectam pœnitentiam afflictionibus defœcabit, non verò sicut argentum defœcatur, quomodo sibi constat Rabbi noster, qui nuper ad signum septimum pag. 54. citabat locum *Zach.* 13.9. *Et inducam tertiam istam in ignem conflansque eos ut argentum*, & ad idem illud tempus referebat. Dicat nobis quomodo ista conveniant? Conflabuntur judæi ut argentum Zach. 13. & non conflabuntur ut argentum, Esai 58. Cœterum nulla in locis istis contradictio est, si verba Esaiæ de tempore præterito, & singulari Dei erga populum judaicum μαχροθυμίᾳ, uti intelligi debent, intelligantur. Zachariæ mentem vide pag. 74.

(z) *Furnus ruber est instar equi albi*, talmudica traditio est, cujus sensum nobis aperit elegans Aggada, quam legimus in *Gem. Sanh. fol.* 93. quæ ita habet. א"ר יוחנן מאי רבתיב ראיתי הלילה והיה איש רוכב על סוס אדום והוא עומד בין ההדסים אשר במצולה ואחריו סוסים אדומים שרוקים ולבנים מאי ראיתי הלילה בקש הק"בה להפוך את כל העולם בלן ללילת והנה רוכב אין איש אלא הק"בה שנ' ה' איש מלחמה ה' שמו על סוס אדום בקש הק"בה להפוך את כל העולם כלו לדם כיון שנתקל בחנניה מישאל ועזריה נתקררה דעתו שנא' והוא עומד בין ההדסים אשר במצולה אין הדסים אלא צדיקים שנא' אומן את הדסה ואין מצולה אלא בבל שנאמר לצורת חרבי ונהרותיך אובישׁ מיד מלאים רונז נישׁי' שרוקים ואדומים נישׁו לבנים. *Dixit R. Iochanan, quid est illud quod scriptum est* Zach. 1.8, Vidi nocte, quod ecce vir insidebat equo rufo, & stabat inter myrtos quæ erant in profundo, postea verò equos rufos, balios & albos. *Quid illud?* Vidi nocte, *Volebat Deus destruere totum mundum tempore nocturno.* Ecce vir insidens *non est vir alius quam ipse Deus, quia dicitur.* Exod. 15.3. Deus vir belli est, nomen ejus est Deus. Super equo rubro, *Volebat Deus destruere totum mundum per sanguinem, sed postquam aspexit Chananiam, Mischaelem & Asarjam*, (tres Danielis socios qui in fornacem conjecti sunt. Dan. 3.21.) *Mutavit sententiam*; *ideo additur*, & ipse stabat inter myrtos quæ erant in profundo, *per myrtos intelligendi sunt justi, dicitur enim.* Esth. 2.7. Is (Mardochai) nutrie-

nutriebat Hadaſſam (Eſther nimirum quæ à myrto Hadaſſa dicebatur, & juſta erat) *Et per profundum intelligenda eſt Babel, quia dicitur* Eſai. 44. 22. Dicturus ſum ipſi profundo, exſiccare & flumina tua arefacturus. (Addit Gloſſa נבל ישבת במצולה והעמיד הק"בה בזכות הדסה שבבצולה Babel ſita erat in profundo, ſteritque Deus ſuper dignitate Hadaſſæ, ſeu Eſtheræ quæ erat in profundo) *Ideo equi rubri & colorati furoris pleni derepente in albos converſi ſunt*, rationem iſtius mutationis addit gloſſa, כשנתכל בצדקים גז מכעסו *Deus enim aſpiciens juſtos ab indignatione ſua ceſſavit.* Hinc Rabbi Papa concludit שכום א חיוורה מעלי לחלמ' מנח הוא *Equum album in ſomnio oblatum bonum omen eſſe.* Addit Gloſſa מרקאמ' שארום הי רמז לקללה *quia equus rufus habetur pro ſigno maledictionis.* Vidit ergo Zacharias virum inſidentem equo rubro ſtantem inter myrtos, vidit equos rubros, coloratos, & albos, ergo *furnus ruber eſt inſtar equi albi.* Ratio conſequentiæ, licèt è longinquo petita, hæc eſt. Vir equo rubro inſidens Deus eſt, quare? Quia Deus dicitur vir belli. Equus ruber propoſitum Dei de mundo per ſanguinem perdendo notat, quare? quia rubedo color ſanguinis eſt. Sed propoſitum mutavit, quare? quia ſtabat inter myrtos, & per myrtos intelligendi juſti, quare? tum quia regina Eſther quæ juſta erat, vocabatur Hadaſſa, nomen habens à myrto, tum quia iſtæ myrti erant in profundo, i.e. in Babel quę ſita in profundo, ibiq; erant Eſther, & tres ſocii Danielis, conjecti in fornacem rubram. Deus itaq; equo rubro inſidens propoſitum habebat de mundo perdendo per ſanguinem, qui rubri coloris eſt, ſed quia ſtabat inter myrtos in profundo, inter ſocios Danielis in Babel in mediò furni rubri, propoſitum mutavit, ideo rubros iſtos equos, i.e. ſanguineos mutavit in albos, quos ultimo loco vidit Zacharias, i. e. equos boni ominis. Quod itaque Iſraelitæ in furnum ru-

brum

brum conjiciantur, i. e. afflictionibus premantur, eſt hoc ipſis inſtar equi albi, ſeu viri equo quidem rubro inſidentis, ſed illum ad furnum rubrum trium ſociorum Danielis in album mutantis. Quâ allegoriâ afflictionum perpeſſiones Iſraelitis bonum omen eſſe ſubindicatur. Stultis ejuſmodi, hominum παρεξηυλημένον νῦν ἐχόντων ratiociniis talmudica illa rapſodia, ex quâ oracula ſua depromere ſolent rabbini, ſcatet.

(+) Rectè quidem expoſuit R. Salomo locum *Levit.* 26. 41. Sed nec locus nec loci expoſitio ad præſentem judæorum ſtatum ullatenus referri poteſt. Prædicit Moſes divinam œconomiam, quamdiu duraret judaicæ reipublicæ periodus, illâ verò nunc à longo tempore ad metam perductâ, nulla amplius nec fœderis cum Abrahamo &c. pacti (niſi ſpiritualis) recordatio, nec tribuum & virium reſtitutio, quam promittit ſæpeque præſtitit, ſperanda eſt. Quamdiu pater aliquis degenerem filium pro filio ſuo agnoſcit, ejus etiam curam gerit, nec permittit ut paterna caſtigatio, licet ad tempus protrahatur, ipſi vergat in exitium, utpote de vitę & morum ipſius emendatione perpetuò ſolicitus. Poſtquam verò ipſum planè rejecit, nec pro filio ſuo amplius agnoſcit, ceſſat quoque paterna hæc cura, quippe tum pro derelicto habet, ſuo ſcilicet & aliorum arbitrio & libidini, quæ ad interitum trahit, expoſitum. Talis modernus judæorum ſtatus eſt, quapropter Moſaica iſta promiſſio hucuſque ſe non extendit, ut illâ adhuc freti, ſpem reſtitutionis ſibi faciant, per tot ſecula in exilio detenti, licet ſæpè oppreſſionum gravitate, ſeriâ iniquitatum pœnitentiâ ducti, cor iſtud præputiatum (quæ verba Moſis ſunt) abjeciſſe videantur; Sed quod gravius eſt, mente eorum occæcatâ, & denſiſſimis ineptiarum tenebris obſeſsâ, quod manifeſtiſsimum reprobi ſenſus & Divinæ derelictionis in-

dicium eſt. Neque R. Salomonis expoſitio ullum ſolatium afferre poteſt, dicit enim Deum per prophetas ad vitæ emendationem pellecturum populum ſuum, ſic ille ſumit verba Moſis, *ego ducam illos.* Hoc quidem tempore illo, quo Deus eos adhuc pro populo ſuo agnoſcebat, obtinuit. Ubi verò ſunt hodie iſti prophetæ? quibus ipſi judæi fateri coguntur ſe deſtitutos eſſe, & author noſter mox ipſe profitebitur, non prophetarum miniſterio Iſraelitas convertendos eſſe.

(5) Rectè etiam allegatur à R. Salomone locus Ezech. 20. 32. ad illuſtrationem ſuperioris, quamdiu enim ſtare debebat reſpublica judæorum, Deus neutiquam permiſſurus erat, ut propter iniquitates ſuas diſperſi & gentibus permixti, gentium quoque ritus & idololatricum cultum aſſumerent, potenti enim brachio eos ducturus erat, caſtigationum gravitate in timore ſui retenturus, iiſque tandem finitis in patriam reducturus, ſed hoc præſentem eorum ſtatum, ut ſupra oſtenſum, non juvat, talis enim divina œconomia circa ipſos futura erat tum temporis in captivitate Babylonicâ, non verò hodiè. Liquet hoc ex toto Ezechielis contextu, ubi domum Iſrael alloquitur, non qualis illa eſt hodie, ſed qualis tum temporis illa erat, verſ. 31. *Offerendo dona veſtra, traducendo filios veſtros per ignem, vos ipſos conſpurcaſtis in omnibus ſtercoreis diis veſtris in hunc uſque diem.* Ab id genus peccatis hodiè judæi ſunt immunes, ergò nec caſtigationes ob ead. peccata ibidem prædictæ, utpote reſipiſcentiæ & liberationis ex captivitate media futuræ, ultra præſcriptos limites extendi non debent. Adeoque nihil in dictis hiſce propheticis genti judaicę affulget ſolarii, non enim ſequitur; calamitates patrum noſtrorum ipſis *equi albi* i. e. boni ominis exſtitere, ergò & noſtræ nobis futuræ ſunt tales, emerſerunt illi, ergo & nos emergemus, col-

lap-

lapsus ipsorum status, finito exilio instauratus fuit, ergo & noster instaurabitur, quippe carnalis imperii & fœderis periodo transacta, illud in spirituale desiit, quod quamdiu homines isti agnoscere recusant, in æternum erunt miseri.

(ᵉ) Lib. *Ioma* c. *jom haccippurim* variæ pœnitentiæ species recensentur, quæ ratione effectuum dicuntur תשובות גדולות *pœnitentiæ majores*, quarum alia est שמביא רפואה לעולם *quæ mundo sanitatem conciliat*, juxta illud: *Revertimini filii aversantes, curabo aversiones vestras Ier.* 3.22. Alia שמקרבת את הגאולה *quæ appropinquare facit redemptionem*, juxta illud: *observate jus, exercete justitiam, nam proximè salus mea ventura est Esai.* 56.1. Alia שהזונות נעשות להם כשגגות *quæ peccata superbè & studio commissa convertere potest in peccata errorum.* Alia, שמאריכת ימיו ושנותיו של אדם *quæ vitam hominis prolongat* &c. Omnium autem maxima ratione nobilissimi effectus videtur esse illa שמגיע עד כסא הכבוד, *quæ hominem usque ad solium Gloriæ, i. e. Divinæ Majestatis appropinquare facit.* De hac intelligunt locum *Hos.* 14. 1. *Convertere Israël usque ad Dominum Deum tuum*, citatque Abarbenel ex *Pesikta rabbathi* hanc fuisse pœnitentiam regum Iehudæ in captivitate. Legimus in *Sepher Brant-spiegel* Germanico idiomate conscripto, ejusmodi בעל תשובה *pœnitentem* in cœlo omnibus justis qui totam vitam in observandis præceptis insumpsere, majorem esse & meliorem: Ratio, quia omnes justi in cœlo, eo qui ipsis assignatus est loco, subsistere jubentur, nec propius accedere possunt, at בעל תשובה usque ad solium Gloriæ accedit. Probatur hoc ex *Massecheth berachoth* ubi R. Abahu dicit, במקום שבעלי תשובה עומדים צדיקים גמורים לא יוכלו לעמוד בו *Eo quo viri pœnitentiæ subsistunt loco, justi licet perfectissimi subsistere non possunt.* Isto itaque honore exceptus etiam fuit impius Manasses post actam pœnitentiam, cui adhuc peculiaris

quædam gratia contigit, quod nimirum foramen ſub ſolio gloriæ ei effoſſum ſit, in quo in pœnitentiâ ſuâ receptus eſt & quaſi abſconditus à facie מדת הדין *proprietati judicii*, (quid autem ſit מדת הדין & שורת הדין vid. pag. 18.) Licet enim textus ſolummodo dicat ויעתר לו & *exoratus eſt ei*, oculatiſſimi tamen Rabbini, quos nullum unquam myſterii genus latuit, aliquid majoris momenti hic retegunt, nam permutatis duntaxat gutturalibus ח & ע facillimè ex ויעתר לו conficiunt ויחתר לו & *effoſſum eſt ei*; Ecce tibi ſecretum iſtius foraminis effoſſum & detectum. O beatos homines, quibus tam ſubtiles eſſe licuit! Οὐ πᾶσιν ἔστι τοῦτο ἐισπεσεῖν. Si roges, quodnam ſit iſtud pœnitentiæ genus quod hominem ad tantum honoris culmen in cœlo evehit, & quid ad illam requiratur? R. כפרה גמורה *Perfecta* peccatorum *expiatio*, de qua agunt *Majemonides & Orach Chaiim in Hilchoth jom haccippurim.* Fit autē diſcrimen inter עבירות חמורות וקלות *peccata gravia & levia.* Gravia ſunt הן שחייבין עליהם מיתת בית הדין או כרת *quæ hominum obſtringunt ſupplicio judicii vel exciſionis.* Per מיתת בית הדין *ſupplicium domus judicii* intelligunt mortem quę ex ſententia judicis temporalis infligitur, per מיתת כרת *ſupplicium exciſionis*, mortem quæ à Deo ob peccata infligitur, quam ſtatuunt illam eſſe quando homo infra 60. ætatis annum moritur, quæ dicitur mors exciſionis, cùm juſtum vitæ terminum non impleverit. vid. *lex. Talm.* in כרת. Levia peccata ſunt quæ neutrum mortis genus promerita ſunt, quibus expiandis ſola ſufficit וידוי peccatorum *confeſsio*, pœnitentiæ comes & ſignum. Quæritur duntaxat de gravium expiatione, ad quam tria requiruntur 1. חרטה *Contritio.* 2. יסורין *Caſtigationes*, 3. מיתה *Mortis ſupplicium*, non quod omnia hæc ſimul requirantur, ſed quod omnia circa pœnitentiæ & expiationis actum in conſiderationem veniant apud judæos, licet duo poſtrema non ad pœnitentiæ

ſed

sed expiationis rationem propriè & essentialiter duntaxat spectent ; castigationes enim media sunt ad pœnitentiam, sed ejus partem non constituunt, idemque de mortis supplicio est judicium. Sunt itaque ista duo de ratione expiationis tantum, idque non absolutè sed alicujus partis respectu, nam duplex peccatorum *expiatio* traditur in lege, alia *sacra* est, alia *politica* ; sacra est quâ peccatori coram Deo peccatorum condonatio acquirebatur, idque non per castigationes & mortis supplicia, quod nunquam probari potest, sed per sacrificia alioque ritus legali sacerdotio annexos. Politica est, quâ privatum aliquod peccatum condonabatur non peccatori sed populo, ne scilicet peccandi licentia totam gentem reatui involveret. Hæc fiebat per castigationes, plagas, vel mortis supplicium criminis reo inflictum, idque habita ratione tum gravitatis culpæ, tum ordinis politico judici tum temporis à Deo præscripti. Unde liquet תשובה *pœnitentiæ* (seu potius *Resipiscentiæ*, plus enim exprimit vox Hebræa quàm τὸ *pœnitere*) nihil intercedere cum ייסורין & מיתה *castigationibus & mortis supplicio*, quippe nihil ad eam conferunt nisi occasionem duntaxat ab extrinsecus, possuntque infligi etiam non resipiscenti, sed totum תשובה negotium consistere tantummodò in 1. חרטה *contritione* seu pœnitentiâ (quæ animi displicentia est) respectu peccatoris, & 2. כפרה *expiatione*, respectu Dei per peccatum offensi, illâ nimirum quæ sacrificio paratur, per quam Deus reconciliatur cum peccatore, & vicissim peccator cum Deo. Hæc duo tantum expendere debuissent in suæ teschubhæ descriptione judæi, illa à partibus aliis eò non spectantibus discernere & operam dare ut utrumque propriis suis partibus & requisitis constaret, si cum ratione & secundum divinæ legis constitutionem agere voluissent. Sed omnia confundunt tene-

briones, tandemque in nugas & ridiculas ceremonias evaneſcunt. Si nuda nomina, *feſti* nimirum, *expiationis*, *reſipiſcentiæ*, *ſacrificii & oblationis*, quæ ſola ipſis reſtant, excipias, de cœtero nihil recti, nihil ſani. Reſipiſcentiam quæ actus hominis internus eſt, confundunt cum expiatione qui externus eſt, & unum defindunt per alterum, cùm totam feré reſipiſcentiæ rationem collocent in expiatione, qua peractâ, ſe ſua teſchubhâ probé defunctos eſſe arbitrantur, qui primus error eſt; alter eſt, quod in expiationis actione utramque ejus ſpeciem, ſacram nimirum & politicam, quæ nihil commune habent, omninò præter divinum inſtitutum, conjungant. Et quidem præpoſteré omnia. Feſtum expiationis peccatorum quomodo celebrandum eſſet, traditur Levit. 16. Ubi duo illa, quæ ad veram reſipiſcentiam pertinere jam diximus, jubentur; *animæ* nimirum *diſpoſitio* ad pœnitentiam, his verbis, *affligetis animas veſtras*, *verſ.* 31. præſcripta, & *expiatio*, ſacrificiorum oblationibus & hirco in deſertum ablegando, quorum omnium ritus ibi deſcribuntur, per ſummum ſacerdotem pro peccatis totius populi peragenda. Primum requiſitum, *animæ* ſcil. *afflictionem* quod attinet, illam hodiè judæi in ſolius corporis afflictionem transfigurarunt, quam per abſtinentiam à ſex הדברים האכורים *rebus vetitis* definiunt, quæ ſunt 1. מלאכה abſtinentia ab omni *opere*. 2. אכילה ושתיה *à cibo & potu* 3. רחיצה *Lotione*, manuum ſc. aut aliarum partium corporis. 4. סיכה *Vnctione*. 5. נעילת הסנדל *Calceorum inductione*. 6. תשמיש המטה *Vſu lecti conjugalis*. Vid. *Orach Chaiim* ſect. 612. Ubi tamen omnes hæ actiones ſub incudem revocantur, variique proponuntur exceptionum modi, quibus illæ etiam illo die poſſunt eſſe licitæ. Nunquid hæc egregia animarum afflictio eſt, quando carnis libidini, id quod appetit, per horas aliquot ſubtrahitur? Alterum, quod in *expiatio-*

ne consistit, quandoquidem sacerdotio & sacrificiis hodiè carent, legalibus illis sacrificiis gallum, quisque suum, substituunt, quem postmodum, peracta ceremonia, probè assatum devorant. Et hæc expiatio peccatorum sacra est, cui politicam (quæ olim ab isto festo planè aliena erat) adjungunt, quod enim animæ dispositioni, quæ resipiscentiæ pars essentialis est, derogant, hoc expiationum varietate compensare volunt miseri homines. Duplex autem, politicarum expiationum genus erat, *Flagellatio* nimirum, Hebræis מלקות dicta, & מיתה *Mortis supplicium*, utrumque à judice politico inflictum, sed quandoquidem legum forensium & politici regiminis nullus hodie usus judæis conceditur, illi utrumque genus, veluti pristini status umbram aliquam suæ teschubhæ exercitio in die cippurim insulsè assuunt. Flagellationem, quæ divina lege Deut. 25. 3. *Improbum dignum flagris, quadragenis plagis cædendum curabit judex*, in reos decernitur, sibi invicem bini reciprocè quotannis administrant, studiosè tamen caventes, ne mansuetudinis & humanitatis legem, in actione licet inhumana, violent. Nec veteris traditionis obliviscuntur, quæ cavet ne plagarum numerus trigesimum nonum excedat, licet lex etiam quadragesimum includere videatur, sed distinguunt hic sapientissimi Rabbini בין מנין שהוא סוכם ובין מנין שהוא סכום *Inter numerũ numerantem & numerum numeratum*, si lex diceret, improbo plagas ארבעים במספר *quadraginta numero* inferendas esse, ipsa vox *quadraginta* esset numerus numeratus & plenus, cui nihil foret derogandũ, jam vero quia dicit lex, plagas illas debere esse במספר ארבעים *in numero quadraginta* (licet enim inter istas voces intercedat pausa major, finem versus constituens, non curant hoc doctores) censent in voce במספר latere numerum numerantem quadraginta, i. e. numerum qui post se numerat quadraginta,

ta, non itaque debent istę plagæ esse quadraginta numero, sed in numero ad quadraginta i. e. triginta novem. Curiosa subtilitas. Sane antiquus admodum iste, non 40. sed 39. plagas infligendi mos est, quippe Paulus apostolus id quinquies sibi contigisse testatur. 2. *Cor.* 11. Et doctores Misnici super ista traditione disputant, ejus tamen ratio, prout illam hic exposuimus, postmodum à Talmudicis demum investigata fuit, quæ an genuina sit, vehementer dubito. Aliam ex relatione judæorum affert *Buxt. in Synag. jud.* quæ videtur fabulosa. Lege hac de re ejus *Præf. in Abbrev.* Sic itaque flagellatio illa quæ olim legum forensium pars erat, facta est religiosa, qua miseri homines peccatorum suorum expiationem coram Deo moliuntur, atque hinc religiosas Pontificiorum flagellationes (utpote qui judaicorum & gentilium rituum proluvie Christianam religionem fœdissimè conspurcarunt) originem traxisse omni procul est dubio. Præterea למיתת בית הדין *supplicio mortis domus judicii*, quod gravius expiationis genus erat, substituunt מיתת הכרת *supplicium excisionis*, juxta illud, *excidetur anima ejus è populo Gen.* 17. 12. Quod soli Deo nunc tribuunt, finguntque, Deum gravioribus peccatis offensum vitam hominis præcidere, quando infra sexagesimum moritur annum, quæ excisio, pristinæ excisionis quam judex exequebatur, velut umbra est. Verùm in festo expiationis illā galli sui oblatione expiant, quâ efficiunt, ut illi qui è libro vitæ (temporalis sc.) propter peccata præmaturæ morti destinati, erant erasi, denuò ei à Deo inscribantur, vitæq; dies producant. Si quis autē pernoscēdi cupiditate ducitur, quibus ceremoniis & ritibus festum illud celebrent, miserum illum gallum exagitent, flagellationis totiusq; suę teschubhæ officio defungantur, adeat *Synag. jud. Buxt.* vel qui potest, eorum *Minhagim* & ritualia, imprimis illa

quæ

quæ Basileæ, typis quidem Hebraicis *Conradi Waldkirck* sed idiomate Germanico edita, omnes judæorum per Poloniam, Bohemiam, Germaniam &c. consuetudines, quę vel Heraclito risum concitarent, exhibent. Sufficit hic obiter demonstrasse quodnam resipiscentiæ genus illud sit quo sancti illi homines ad thronum Gloriæ pertingunt & Messiæ adventum accelerare jubent. Reliquis ineptiis, ne nimis prolixus sim, supersedeo.

(7) Locus *Ezech.* 20. 35. &c. de quo tempore intelligendus sit, supra ad notam quintam expendimus.

(8) Repetit dictum *Dan.* 12. 10. De quo obiter supra pag. 75.

(9) Dicit Malachiam *cap.* 3. 1. promittere angelum, qui paret viam ante Dominum, i. e. qui exstirpet improbos in adventu Messiæ, quem sensum mutuat à R. Salomone. Sed judęorum placita circa hunc locum, qui celebris est, plenius percipiemus ex verbis Abarbenelis. Locus ita habet: *Ecce ego mißurus sum angelum meum, qui expediat viam ante me, & repente veniet in templum suum Dominus, quem vos quæritis, & angelus fœderis, quo vos delectamini*, in quem ille his verbis commentatur. פירשום המפרש' ליעהיד לבוא וכתב הרא"בע שמלאכי הנזכר כאן הוא משיח בן יוסף והאהרון הוא הכבוד והוא יצמו מלאך הברית והר"רק פי' שאדון יעל משיח בן דוד ומלאך הברית יעל אליהו שיבוא באחרית הימים כמו שיזכור ולכן אמרו בהגדה שאליהו קנא על ברית המילה שמניעוה מהם מלכות אפרים שנאמר קנא קנאתי לה' אלקי ישראל כי עזבו בריתך בני ישראל ושאמר לו הב"ה אתה קנאת בשט' על הע"ז וכאן אתה מקנא יעל ברית מילה חייך שאין ישראל עושי' ברית מילה עד שאתה רואה בעיניך מכאן התקינו להניח כסא כבוד לאליהו בשעת הברית ומפני זה נקרא מלאך הברית שנא' ומלאך אשר אתם חפצים זה דרכם בפי' זה העניין אבל הוקשה לי איך תהיה התשובה ההיא מספקת לקושית רשע וטוב לו שהי' מספקים בה רשעי הדור רוצה לומר שיבא מלך המשיח ויעניש את הרשעים כי כאשר יהיה זה לא יהיה כי אם אחדי אלפים מהשנים ואז הרשעים האלה כבר יהיו חולפים מן העולם הזה הם וזרעם כמה דורות ומה תשובה זאת לקושיתם האמנם ר"ש פירש הכתוב' האלה לאחר המות על יענש הרשעים בגיהנם ועין הכתובים כפי פירושו אם הבקשו משפט הרשעים בא יבא ולא יאחר וגם לא תחפצי בו כי הנה אנכי שולח מלאכי והוא

הוא דמו למלאך המות ופנה דרך הרשעים לפני לתת לאיש כדרכיו ופתאו' יבא בשלא תחשבו ולא תרצו הארון אשר אתם מבקשים שהוא אלקי המשפט אשר אמרתם ר"ל שתבא המות פתאום על כל חי ואחריה יכירו וידעו כי אלקי המשפט ה' ומלאך הברית הוא מלאכי הנזכר והוא נוקם נקם ברית רמז למלאך המות ואולי שטפני זה אמר הוא בא כי תמיד הוא בא ויבא אבל מי יכלכל ויכבול את יום בואו שענשי גהנם גדולי' מנשוא אבל פשט הכתובים אינם מתישבים עליו כי אנה אמרו ומי יכלכל את יום בואו מורה שעל יום מיוחד ידבר גם אמרו יטהר את בני לוי וגו' הנה זה לא יפול על הנפשות אחר המות. תראה שיש בפסוק הזה מאמר בלשון הוה הנני שולח מלאכי ומאמר בלשון עתיד ופתאום יבוא אל היכלו האדון אשר אתם מבקשים ומאמר בלשון עבר ומלאך הברית אשר אתם חפצים לכן נראה לי לפרש כוה שאנשי בית שני בראותם עצמם משועבדים למלכי פרס וברואתם שאף גם כן שבנו את הבית לא ירדה בו שכינ' חשבו שנכחלק' מהם השגחת השם מרוע הסרור הנראת בהצלחות הרשעים וע"ז השיבם הש"י הנני שולח מלאכי כאומר הנה לרוע הסרור אשר הקשיתם ואמרתם איה אלקי המשפט הנני שולח מלאכי הנביא הזה אשר נקרא שמו כן מלאכי או שהוא מלאך השם שבאו הש"י שלחו להודיע להם מה שיהיה בעונש הרשעים וצדקת הצדיקים באחרית הימים הוא הנביא הזה להודיע איה אלקי המשפט ומתי ישפוט משפט מוחלט ונודל אותו המשפט לכל נוצר והוא יפנה דרך ר"ל שיתיר לכם התלונה הזאת ולכן אמר בלשון הווה הנני שולח והנה לא זכר כאן מיד הענין ההוא לפי שראה לזוכרו בסוף נבואותיו להיותו אחרית הדברים פלם כדי לחתום בו חזון ופתאום יבא אל היכלו האדון אשר אתם מבקשים ירמוז לשם הנכבר שיבא או אל ההכלו אשר בבית מקדשו וישכון שם כבודו ושכינתו ואותו היו מבקשים בתלונותם ונתן להם ראיה. קיום זה הייעוד מענין מלך פרס שהיה מלאך השם שלוחו ומשלחו להחריב את בבל ולהשיב גדחי יהודה לירושלם כמו שנבא עליו ישעיהו והוא אשר כרת להם ברית שלום על זה אמר ומלאך הברית אשר אתם חפצים ר"ל בכבודו ואהבתו הלא ראיתם שהנה בא כמו שיערתם בן יבא האדון אשר אתם מבקשים פתאום ובהסח הדעת בזמן הגאולה וקבוץ תגליות יבא אבל מי יכלכל ויכבול את יום בואו שהוא יום ה' הגדול והנור' אשר הבא בחרבנ'. *Interpretantur iſta expoſitores de tempore futuro, ſcribitque Aben Eſra hunc angelum eſſe Meſſiam Ben Ioſeph; Dominum illum, eſſe Dominum Gloriæ, eundemque eſſe angelum fœderis. At R. D. Kimchi exponit, Dominum illum, eſſe Meſſiam Ben David & angelum fœderis eſſe Eliam, qui in fine dierum venturus eſt, ſicut poſtea dicetur, ideoq; dici in Midraſch Aggada, Eliam zelo affectum eſſe propter fœdus circumciſionis, cum ab Ephraimitis neglectum eſſet, quando dixit; omninò zelo affectus*

ſum

sum pro Domino Deo exercituum, eò quod dereliquerunt fœdus tuum Israelitæ, 1. Reg. 19. 13. *Ac Deum ipsi respondisse: quiæ tu zelo affectus es contra apostatas propter idololatriam, & jam zelo afficeris propter fœdus circumcisionis per vitam tuam juro, si Israelitæ fœdus circumcisionis observaturi sunt, donec ipse oculis tuis illud videris. Atque hinc, tempore quo fœdus renovabitur, solium honoris decernunt Eliæ, cum isto nomine appelletur Angelus fœderis, cum dicitur: Et angelus fœderis quo vos delectamini. Hæc ratio expositionis est in hunc locum, secundum illos. Sed difficultas me premit, nimirum quomodo retributio sufficiens esse possit improbitatis gravitati? præsertim cum justum sit apud Deum ut improbi omni ætate eam sufficienter recipiant. Volo dicere, ut quando rex Messias venturus est, puniat improbos, atqui hoc futurum non erat nisi post annorum millia, quando improbi isti, ex hac vita excesserint, ipsi & posteri eorum per multas generationes, quænam ergo retributio ipsorum improbitatem fuerit secuta? Certè R. Salomo exponit istam scripturam de pœnis impiorum post mortem in inferno, estque ac si textus diceret: Si quæritis judicium impiorum, pro certo veniet, & non retardabitur, neque gratum illud vobis erit, nam ecce ego missurus sum angelum meum, qui est angelus mortis, ut expediat improborum viam ante me, cuique retribuendo juxta opera sua, Et repentè veniet ex inopinato & vobis invitis Dominus ille quem vos quæritis, qui est Deus judicii, de quo loquuti estis. Vult dicere, mortem derepenté superventuram omni viventi, ac postmodum agnituros esse, Deum esse Deum judicii, & angelum illum fœderis, eundem illum esse de quo antea in voce: Angelus meus: qui fœderis contemptum graviter vindicabit, angelum mortis intelligens. Et ideo fortè addit: Ecce venit: quippe jugiter ipse venit & veniet, sed quis diem adventus ejus sustinebit? cum pœnæ Gehennæ intolerabiles sint. Sed simplex scripturæ sensus in eo non subsistit, cum enim dicit: quis sustinebit diem ad-*

ventus ejus? docet, se de peculiari die mentionem facere. Præterea, verba illa illa: purgabit filios Levi &c. De animabus post mortem intelligi non possunt. Observabis itaque in hoc versu sermonem esse tum de præsenti, tum de futuro & præterito. De præsenti: Ecce ego mitto vobis angelum meum: De futuro, repentè veniet Dominus in templum suum: De præterito, & angelus fœderis, in quo vos delectamini. Videturque mihi illud de præsenti, intelligendum esse de viris templi secundi, qui cum viderent, se regum Persiæ imperio subjectos esse, & licet templum restaurassent, Divinam tamen majestatem ibi non regnare uti quondam, existimabant providentiam divinam ab ipsis recessisse, idque propter ordinis inversionem quæ in improborum fælicitate conspiciebatur, Ad hæc respondit ipsis Deus! Ecce ego mitto angelum meum! ac si diceret; Ecce propter ordinis inversionem quam prætenditis, dicendo: Vbi est Deus judicii? ego mitto vobis angelum meum, qui est hic propheta Malachias, qui ita dictus est, vel quia nuncius & propheta Dei fuit, quem ipse misit, ut notum faceret, quid de pœna improborum & justitia justorum in fine dierum futurum esset. Hic propheta ille est qui dicturus erat, ubi esset Deus judicii? & quando judicaturus esset judicium absolutum? Et quam grave illud futurum esset omni homini Christiano; Et hic parabit viam coram me. v. d. solvet ille querelam hanc vestram. Et ideo loquitur in tempore præsenti; Ecce mitto vobis. Neque statim hic illud proponit, nam ad finem suæ prophetiæ illud sibi reservavit (ejus initium faciens v. 13.cap.3.) *ut esset finis omnium verborum, eoque visionem suam obsignaret. Venietque derepente in templū suum Deus, quem vos quæritis, quo ostendit Deum gloriosum qui tum veniet in templum suum, domum sc. sanctitatis suæ, ibique habitabit gloria ipsius, & hic est quem quæritis vestris querimoniis. Addit autem hujus promissionis confirmationem, ab exemplo regis Persarum, qui nuncius & unctus Dei*

fuit

fuit ad reducendum expulsos judæ Hierosolymã, sicut de eo vaticinatus erat Esaias. Hic erat, dicit, qui fœdus pacis vobiscum pepigit, hic ille angelus fœderis, in quo vos delectamini, eum amando & honorando, vidistis ipsũ venisse juxta promissionẽ vobis factam, sic etiam veniet dominus quem quæritis, derepente & ex inopinato veniet tẽpore redẽptionis & collectionis captivitatum. Sed quis sustinebit ipsius adventum? Erit enim dies Domini magnus & tremendus, quia cum vastatione adveniet. Quàm variantes sententiæ, quot capita tot sensus. Quæritur quis sit *Angelus mittendus?* quis *Dominus?* quis *angelus fœderis? Aben Esra* per angelum mittendũ intelligit *Messiam Ben Ioseph*, per Dominum, *ipsum Deum*, per Angelum fœderis *etiam Deum. D. Kimchi* per Angelum mittendum intelligit *Angelum bonum de cælo*, per dominũ, *Messiam Ben David*, per Angelum fœderis, *Eliam. R. Salomo* per Angelum mittendum intelligit *Angelum mortis*, per Dominum, *ipsum Deum*, per angelum fœderis, eundem *Angelum Mortis. Abarbenel* per angelum mittendum intelligit *Malachiam prophetã*, per Dominum, *ipsum Deum*, per Angelum fœderis, *Cyrum regem Persarum. Aben Esræ expositio est*: Ecce ego mittam vobis Messiam Ben Ioseph, qui viam parabit Domino Deo Gloriæ, angelo fœderis, quando per adventum Messiæ Ben David ingredietur in tẽplum suum Hierosolymæ restaurandũ. *D. Kimchii expositio est*: Ecce ego mittam vobis angelum bonum de cælo, qui viam parabit mihi per tribuum ex captivitate collectionem, & tum Dominus ille Messias Ben David, quẽ vos quæritis, ingredietur in templum suum, venietq; cum ipso angelus fœderis Elias. *R. Salomonis expositio est*: Quia vos murmuratis contra me, dicendo in cordibus vestris; vel improbi placent Deo, quia videmus illos prosperè agere, & justis malè esse, vel nullum est judicium, ubi enim est Deus judicii? (cap. præced. vers. ult.) ecce ego mittam vo-

bis angelum meum, angelum mortis, qui omnes improbos perdendo, viam coram me parabit, ut ego Dominus quem quæritis notus fiam vobis, & cognoscatis me esse Deum judicii & exercere judicium, quando sc. angelus ille fœderis, idem ille angelus mortis, vindictam sumet. *Abarbenelis expositio est* : Quia conquerimini de afflicto justorum statu, & prosperitate improborum, cogitatisque majestatem divinam & judicium à vobis recessisse, ecce ego mitto vobis angelum meum, Malachiam sc. prophetam meum, qui viam parat coram me, & dubium vestrum solvet, notum vobis faciendo quid in fine dierum in adventu Messiæ de pœna improborum & pietate justorum futurum sit, (quod à vers. 13. cap. 3. Usque ad finem prophetiæ exponitur.) Et tunc Dominus gloriæ, quem vos quæritis, ingredietur templum suum, & divinæ majestatis suæ præsentiam, uti consueverat stante templo primo, vobis ostendet. Quod tam certò eventurum est, quàm angelum fœderis, Cyrum Persarum regem, in quo delectamini, fœdus pacis vobiscum pangere, & ex captivitate Babylonica vos dimittere vidistis. Omnes ex æquo ineptiunt. Postremus Abarbenel sociorum suorum sententias confutat, ut suam stabiliat. Kimchium accusat, quod scopum prophetæ non attendens, nil nisi fausta & felicia hoc versu contineri & promitti putaverit, cum hic etiam judicii impiorum quod immediatè in præcedentibus expetitur, habenda sit ratio, nam respondetur hic ad querelam de defectu judicii, ibi propositam. Et si judicium in adventu Messiæ demum exercendum promittitur, difficultate premitur, quomodo istud judicium spectare possit impios illos qui tum temporis vivebant, & contra quos querela ab Israelitis templi secundi erat instituta? Frivola enim imo ridicula esset tum promissio tum comminatio, quæ piis solatium, im-

piis

piis interitum, utrumque corporale, post annorum millia demum, quando & ipsi & eorum posteri in pulverem abierint, eventurum decerneret. Scrupulum tamen hunc ipsi eximere videtur R. Salomo, pœnam hanc impiorum non de corporali sed animarum in Gehenna per angelum mortis infligendâ intelligens. Vapulat nihilominus dictus R. Salomo, quod in adversa peccans parte in hâc suâ expositione substiterit, nec, uti Kimchi, ad Messiæ tempora ullo modo respexerit, quasi verba textus nil nisi satisfactionem ad præcedentem querelam quæ judicium contra impios exquirit, contineat. Ubi videmus, (ut & hoc velut parentheseos loco addam) quàm appositè noster rabbi, cum angelum destructorem Messiæ viam paraturum tradit, nitatur authoritate R. Salomonis, cujus expositio, teste Abarbenele, non in Mesiæ, sed istius temporis judicio, tantopere tum desiderato subsistit. Melius itaque veritati & bono judaico consulere judicavit Abarbenel, si mediæ insistens viæ, & partim cum Kimchio ad tempus Mesiç, partim cum R. Salomone ad tempus præsens respiciēs, partim etiam suæ indulgens speculationi & peculiari genio, integrum loci sensum, eo quo vidimus modo, à se investigatum, nobis commendaret.

Perspectâ Rabbinorum mente, sequitur ut orthodoxam Christianorum expositionem ei subjiciamus, quâ παρερμηνείας hujus species diversæ convellātur. Toto capitis primi & secundi contextu graviter exprobrat propheta judęis tēpli secundi horrenda, quæ de novo committebant, peccata post exitū ex captivitate, inter quę hęc tria genera eminebant, *sacrificiorum profanatio, legitimarum uxorū repudia, ad contrahendū matrimonia cum alienigenis, & impudētia murmera contra Deum*, quod cum ipsis paterna Dei & immerita erga ipsos cura, simulq; peccata ista ob oculos ponerentur, loco pœnitentiæ quam testari debuissent, econ-

econtrà cùm Deo impudenter expoſtulando, divinam ejus majeſtatem contumeliis fœdâ ingratitudine proſcinderent, & procaci buccâ, ſtomachoſé regererent: *Quâ in re diligis tu nos? Qua in re polluimus te? Qua in re contemnimus nomen tuum? Quid obloquuti ſumus contra te? Qua in re fatigamus te? Qui malum facit, bonus videtur in oculis Dei & iſtis ipſe delectatur, ubi eſt Deus judicii?* Quaſi dicerent, quare nobis exprobrat Deus peccata noſtra, cum alii ſint qui gravius peccant, contra quos tamen nullum exercet judicium, imò iſto nomine ipſi videntur accepti, cum bonorum affluentia & perpetua fœlicitas ipſorum improbitatem ſecundet. Contra intolerandam hanc malitiam, terribilis judicii & juſtiſſimæ vindictæ diem indicit propheta, cap. 3. & 4. addito tamen uſitato divinę manſuetudinis temperamento, quod diem illum, qui impiis exitio erit, piis écontra & Dei timentibus, ſalutis fontem exſiturum promittit. Quæritur jam, *quibus? quando?* & *quomodo?* judicium hoc decernat Malachias. *Subjectum* ultionis illi ſunt de quorum peccatis & Numinis contemptu gravem illam querelam inſtituit capp. præc. qui iſtius ætatis judæi ſunt, viventes ſub templo ſecundo, ubi placidè ridiculi ſunt Abarbenel & ſocii ipſius, quod frequenter (uti imprimis hoc loco, ubi judæorum peccata diſſimulant, & murmura in juſtam querelam cõvertunt) quoties prophetę impiis ſui temporis judæis Dei iram & vaſtationem horrendis peccatis promeritam denunciant, illam à gente ſua in miſeros ethnicos devoluant, & rabidam, non Dei ſed ſuam cerebri æſtuantis bilem, in inſontes Chriſtianos poſt multa ſecula in fine mundi ſucceſſuros evomant, quæcunque verò prædicuntur ſplendida, proſpera, laudabilia, ſibi ſolis velut *albæ gallinæ filiis* ſtultè adſcribant, quod omninò præter ſcopum hujus vaticinii eſt, non gentium ſed judæorum peccata

cata memorantis. *Adventus dies*, quo Deus iſtam judæorum impietatem viſitaturus erat, tot ſeculorum intervallo, quod vel noſtra ætas non exhaurit, poſtponendus non eſt. Liquet hoc ex ſcrupulo, quo cruciatur Abarbenel, ex verbis Malachiæ non obſcurè colligens, ultionis decretum nec noſtram nec noſtrâ poſteriorem ſpectare ætatem, ſed illam duntaxat, quo peccata ibi notata committebantur. Vel itaque iſta ætas hanc pœnam eſt experta vel non eſt, ſi experta eſt, (uti omninò eſt) jam vaticinium Malachiæ eſt impletum, adeoque nihil hic pro ſuo Meſſiâ reperiunt judæi, imo coguntur diem adventus Domini in templum ſuum, quærere in tempore præterito, non in futuro: ſi non eſt experta, periclitatur fides quæ debetur Malachiæ, ſiquidem tempus impletionis jam non amplius eſt integrum, quod duabus evidentiſſimis rationibus fit manifeſtum. 1. Ab iſto peccatorum genere, quæ iram Numinis vindicem tum provocabant, nunc ſe profitentur immunes judæi. Sacrificiorum pollutio ipſis exprobrari nequit, cum nulla habeant, nec matrimonia cum alienigenis, à quibus maxima eorum pars ſtudioſé cavet, nec murmura contra Deum, quia admodum religioſi videri volunt, uſque adeo ut ne quidem quæſtionem de tempore adventus Meſſiæ agitari permittant, ne Deo quicquam præſcribere velle videantur. Et hoc in cauſa eſt, quod rabbini, reprehenſionem illam in ſe non quadrare exiſtimantes, pœnam in gentes transferre geſtiant, quod menti prophetæ contrarium eſſe diximus. 2. Poſito hodiernos judæos eorundem criminum eſſe reos, priſca tamen ætas, cui pœna ſpecificè decernitur, ſi Malachiæ vaticinium valet, illam experiri debebat, at fatalis ſeries, quæ mortis interventu oblivioni omnia involvit, totam iſtam ætatem, divino judicio ad extremam uſque mundi periodum nimium dilato, ſubduxiſſe

xisse videtur. Hoc est quod angit Abarbenelem, nec R. Salomonis, qui judicium hoc ad solam animarum pœnam in inferno, quæ immediatè post mortem initium sumit, referre dicitur, expositiò ipsum liberat, præterquam enim quod gratis hoc præsupponitur, etiam rationes adsunt quæ contrarium evincunt. 1. Infernalis animarum pœna peculiari vaticinio non indigebat, res enim per se nota est, malè viventes æterno animarum exitio esse obnoxios. 2. Diem adventus Domini, quoad animæ pœnam quisque peccator privatum habet & peculiarem, quoties peccator aliquis moritur toties Deus venit ad judicium, privatum sc. Hujus verò adventus dies, publicus est & universalis, quod ipse Abarbenel agnoscit. 3. Prophetæ sub templo primo peccatorum pœnam judæis prædicentes, semper externum & visibile non animarum sed corporum, quod in urbis & templi vastatione conspicuum esse debebat, judicium statuunt, quare ergò aliter se haberent vaticinia prophetarum templi secundi? præsertim cum eventus fuerit idem. Præterea quando anima impii pœna inferni afficitur, quo sensus Deus tum in templum suum venire dicatur, non videmus, cum ista locutio à scripturæ phrasi sit aliena. 4. Adde, cum dies istius adventus, idem ille sit, quo etiam venturus est Elias, cap. 4. 5. uti volunt plerique rabbini, sequeretur inde, toties veniisse Eliam, quoties anima alicujus impii ad inferni cruciatus damnata fuit, quod vehementer absurdum. Alias etiam addit rationes Abarbenel, quibus inductus de peculiari & celebri non animarum duntaxat sed & corporum judicio, diem istius adventus intelligere mavult, & in hâc sententiâ in expositione suâ persistit. Sed quia diem istum in postremam mundi ætatem, nimirum in adventum judaici Messiæ rejicit, iterum in eandem hæsitationis (quâ priscam ætatem, contra quam

Mala-

Malachias vaticinabatur, hoc modo impurè peccasse videt) foveam se præcipitem dat, nec jam aliter se inde liberare studet, quàm peccata judæorum templi secundi (ut ante dictum) extenuando, eorum petulantia murmera contra Deum in justam querelam convertendo, pœnam omnem à judæis in gentes devolvendo, eamque ab ista ætate ad hanc nostram & Messiæ sui tempora transferendo, atque ita Malachiæ scopum & mentem funditus evertendo & corrumpendo. Quis tàm inepto & malitioso interpreti fidem adhibeat? Dies itaque adventus Domini, juxta mentem Malachiæ, notat judicium non contra gentes sed judæos, non contra hanc sed illam ætatem exercendum, idque non quidem immediatè post factam prædictionem, sed exacto paucorum seculorum intervallo, sicut nec deportatio Israelis & excidium urbis & templi primi immediaté postquam priores prophetæ illud prędixissĕt, evenit, (siquidem inter vaticinium *Ahiæ*, transportationem decem tribuum. 1. Reg. 14. 15. prædicentis, & vaticinii executionem, anni 240. Inter vaticinium *Esaiæ*, excidium Hierosolymitanum sæpius prædicentis & vaticinii executionem, anni ad minimum 200. interceserunt) mira enim Dei longanimitas est quâ non minus judæos sub templo secundo viventes, quā antecessores eorum sub templo primo, convictos & planè inexcusabiles reddere voluit, cujus etiam vestigia extant in hoc Malachiæ vaticinio, suaviter istam ætatem licet corruptissimam ad resipiscentiam Mal. 3. 7. invitantis, & ut in Mosaicę legis observatione, donec dies illa magna impiis gravis, piis econtra salutaris advenerit, religiosé persisterent, cap. 4. 4. adhortantis. Quod sané indicium satis evidens est, judicii diem tum adhuc differri. Cùm itaque hactenus invictè demonstraverimus, vaticinium Malachiæ contra judæos templi secundi directum esse, pro-

indeque illis temporibus neceſſariò eſſe impletum, quæritur jam ultimo loco de *veritate* & *modo* hujus impletionis quem ipſe propheta tradit verſu, de quo controverſia hæc mota eſt, *Ecce ego miſſurus ſum* &c. *Angelus mittendus* non eſt Meſsias *Ben Ioſeph*, juxta *Aben Eſram*, non entis enim non ſunt accidentia. Nec *Malachias propheta* juxta *Abarbenelem*, dicitur enim Dominus ad judicium contra impios venturus, quamprimum angelus ille venerit, quod tempore Malachiæ non eſt impletum; ubi planè inepta eſt & à mente prophetæ alieniſſima inuſitata illa, περιήψις, quam ei affingit dictus Abarbenel, collocando totum contextum à verſu 13. cap. 3. uſque ad finem libri, inter verba hæc, *miſſurus ſum angelum meum*, *qui expediat viam ante me*, & illa quæ ſequuntur; *& repentè veniet in templum* &c. Uti in expoſitione ejus videtur. Nec eſt *Angelus mortis* juxta *R. Salomonem*, quia non agitur hic ſpeciatim de animarum judicio, uti jam oſtenſum. Nec *angelus de cælo* ad colligendum captivitates, juxta *Kimchium*, agitur enim de tempore præterito non futuro. Sed eſt *Elias*, de quo cap. 4. 5. i. e. *Iohannes Baptiſta*, qui mittendus erat in virtute Eliæ. Vide ſupra pag. 83. Hic *paraturus erat viam Domini*, quippe judæos ad veram reſipiſcentiam invitaturus, & diem judicii, de quo hic propheta, jam ante fores eſſe, prædicturus. Matth. 3. *Dominus* ille non eſt *Deus* ſimpliciter, juxta *Ab. Ezr. R. Sal.* & *Abarb.* Dei enim nomen ubi abſolutè ponitur, eſſe conſuevit non אדון ſed אדני, אלהים, יהוה &c. Sed eſt *Meſſias Ben David* juxta *Kimchium*, quem *quærebant* Iudæi, & exſpectabant, nō ille quem fruſtra adhuc exſpectant, ſed qui jam dudum venit, nimirum *Ieſus Chriſtus Davidis filius*, qui *in templum ſuum ingreſſus eſt*, Hieroſolymæ ſcil. idque immediatè poſtquam angelus ille i. e. præcurſor Joannes Baptiſta adventum ipſius annunciaſſet. *Angelus fœderis*

non.

non est *angelus mortis* juxta *R. Salom.* istud enim epitheton angelo destructori nullatenus convenit. Nec *Elias* juxta *Kimchium*, qui angelus fœderis dici non potest. Ratio quę ex Aggada petitur, figmentum rabbinicum est. Multò minus *Cyrus rex Persarum* juxta speculationem *Abarbenelis*, nulla ibi similitudinis, quam urget, nota est, sed simpliciter dicitur, Dominum & angelum fœderis in templum suum venturum esse, quod Cyro tribui nequit, licet, quoad cœtera, titulus *angeli fœderis*, quatenus angeli fœderis typus fuit, ipsi aliqua ratione concedi possit. Non autem loquitur hic Malachias de typo, sed omnium typorum complemento. Sed est idem ille *Dominus*, de quo antea, *Messias sc. Ben David, angelus* novi *fœderis*, gratiæ scil. in quo pii omnes in æternum *delectantur*. Sumiturque præfixum ו in ומלאך non *copulativè* quasi duas res diversas conjungeret & differentiam constitueret inter Dominum & angelum fœderis, quæ non nisi ejusdem Messiæ epitheta sunt; sed *explicativè*, pro אשר מלאך ברית *qui angelus fœderis est*, uti *Gen.* 43. 23. אלהיכם ואלהי אביכם *Deus vester & Deus patris vestri.* i. e. qui etiam est Deus patris vestri, erat enim unus idemque Deus & non duo. Nec in malam partem interpretari hoc debent Rabbini, cum R. Salomo & Aben Esra, præfixum ו eodem modo hic sumant, siquidem prior angelum fœderis eundem esse vult cum angelo mittendo, & posterior expressis verbis dicit, האדון הוא מלאך הברית כי הטעם כפול *Dominus ille est angelus fœderis, est enim sensus duplicatus*, i. e. diversa nomina eandem personam denotantia.

Hactenus expositio Christiana & orthodoxa, quæ cum scopo & mente prophetæ, rerumque eventu quàm optimè convenit, & nobilissimi hujus vaticinii complementum evidentissimè demonstrat, quippe Iesu Christi adventus, ejusque in templum suum ingressus, dies ille ter-

ribilis judicii erat, quem paucorum annorum intervallo judæi ſalutaribus ſervatoris & præcurſoris ejus monitis fidem adhibere nolentes, in templi ſecundi exciſione & univerſali judaicæ gentis clade ſunt experti. Lętitiam verò & ſolatium quod propheta piis & fidelibus promittit, idem ſervator in die adventus ſui omnibus vera fide ipſum amplectentibus abundè præſtitit, indieſque præſtat.

Argumenta ἀναστευαστικὰ, quibus hanc expoſitionem labefactare ſtudent rabbini, nulla ſunt alicujus momenti, niſi fortè metuamus Thraſonicum illum triumphatorem *R. Lipmannum*, victoriam ſuam oſtentantem in *libro victoriæ*, ubi in hæc verba: *Repentè veniet in templum ſuum Dominus quem vos quæritis.* הנה גם זאת פירשו הנוצרים על הנוצרי כפי מנהגם אשר אינם רואים במה מרכר הענין והלא בהריא מכיים וישב מצרף ומטהר ככסף וטיהר כל בני לוי וזיקק אותם בכסף והיו להם כגישי מנחה וערבה לה' מנחת יודא וירושלם כימי עולם וכשנים קדמוניות נמצא מבואר שהכל ענל גאולת יורא וישראל נאמר ומלאך הנביא ידיע מיעותם ו"ענ הוא אוכר אני ה' לא שניתי ואיככה יאמר שמתחלה לא היה בו גוף ונשמות ועוד שחתם דבריו ואמר זכרו תורת משה וגו' לאפוקי מהם שיהיה תורה חדשה *Etiam hoc interpretantur Chriſtiani de Nazareno juxta conſuetudinem ſuam, neſcientes de quo ſubjecto loquatur propheta, quod apertè deſignat, quando dicit:* Ut ſedet conflans & purgans argentum, ita purgabit filios Levi, defæcans illos velut argentum, ut ſint Deo, qui offerant munus, Et ſuave ſit Domino munus judæ & Hieroſolymæ, ut diebus priſcis & annis antiquis. *Vnde liquet totum hoc dici de redemptione judæ & Iſraelis, noverat enim propheta Malachias ipſorum errorē. Ideoq; dicit,* ego Dominus nō mutor, *quomodo ergo dici poteſt, ipſum antea carnē & corpus non habuiſſe? Præterea verba prophetiæ ſuæ concludens propheta, dicit.* Recordamini legis Moſis, *ad oſtendendum, legem illam non fore novam.* Ex tribus argutationibus conficit victoriam ſuam iſte homo, interim de ſcopo prophetæ, ſupra prolixius expenſo qui nodus imprimis ſolvendus erat, toroque vaticinii com-

ple-

plemento, cui eventus teſtimonium perhibuit, non ſolicitus. Prima, *Purgabit filios Levi.* &c. *cap.* 3. 3. Secunda, *Ego Dominus non mutor.* v 6. Tertia, *Recordamini legis Moſis.* cap. 4. 4. Ergo reſpublica Iudæorum, & lex ceremoniarum neceſſariò reſtaurabuntur. *Reſp.* ad I^mam. Peccari *falſâ hypotheſi*, ſæpius à nobis obſervatâ, quâ Iudæi ſpe regni carnalis faſcinati, ad literam ſumunt, quæ typicè prædicta fuerunt. Spirituale hic ſacerdotium & ſpiritualia ſacrificia intelligit, ſacerdotii Levitici typo figurata, quod ſi credere nolunt Iudæi, ſit eventus ſtultorum magiſter, tempore enim quo vaticinii hujus complementum & prædictum judicii diem ſunt experti, agnoverunt, filios Levi non *inſtar auri & argenti repurgatos* fuiſſe, ſic enim aliquid remanere ſolet, ſed *viliſſimarum inſtar ſordium* fuiſſe *expurgatos*, uſque adeò ut nihil remanſerit, undè colligere debuiſſet intempeſtivus ille triumphator, ſenſum hunc eſſe ſpiritualem, utpote ſpiritualiter impletum in Eccleſia N. T. quæ *ſacerdotium ſanctum eſt, ad offerendum ſpirituales hoſtias, acceptas Deo per Ieſum Chriſtum.* 1. *Pet.* 2. 5. Ad II^dam. *Reſp.* peccari *fallaciâ ignorationis elenchi.* Non quæritur, an Deus *mutetur*, ſed an *mutet* ſeu mutaverit, ſc. ſtatum judæorum, uſque adeo ut nunquam reſtaurandus ſit? Nec Deus nec ejus decreta mutantur, nec ſequitur (quod tacitè infert argutator) ſi Chriſtus Deus, carnem & ſanguinem, quem antea non habebat, aſſumpſit, Deus eſt mutabilis. Illa omnia nunc ἐξαγώνια ſunt. Sed à decreti divini immutabilitate velle argumentari ad ſtatus judaici reſtitutionem, æquè ineptum eſt ac argumentari à genere ad ſpeciem. Non enim ſequitur; decrevit, ergo hoc decrevit, & prius ventilanda quæſtio, an iſta reſtitutio (quoad noſtrum loquendi modum) ſit pars decreti, nec ne? Prout enim Deus decrevit, res humanas viciſſitudini eſſe obnoxias, ſic æquè

non

non reſtitutio quam reſtitutio (quoad nos) decreti pars eſſe poteſt, imò, non tantum eſſe poſſe, ſed & eſſe, ipſa experientia & Divina œconomia in verbo Dei patefacta, comprobatum reddidit. Neque allegat hìc propheta Dei immutabilitatem, ad inferendum *decretum reſtitutionis judaicæ*, ſed ad probandum *decretum longanimitatis*, in peſſimis impiorum moribus (quales judæorum iſta ætate erant) longo tempore patienter ferendis. Et hoc in cauſa eſſe dicit, quod prorſus conſumti non fuerint. Vel ſi præcedentia reſpicias, declarat immutabile *decretum juſtitiæ & judicii*, q.d. Licet veſtram nequitiam hactenus patienrer tulerim & fortaſſis adhuc per tempus laturus ſim, ne tamen ideo putetis me immutatum eſſe, vel juſtitiæ & judicii oblitum, ejus enim gravitatem ſuo tempore experturi eſtis, quia ego Dominus non mutor, ſemper mihi ſum ſimilis, ab æterno omnis improbitatis hoſtis fui & adhuc ſum, & ſicut illud patribus veſtris, documentis quamplurimis omni ævo demonſtravi, ſic & vobis demonſtraturus ſum.. Hæc eſt immutabilitas illa de qua propheta. Quomodo autem inde pro judæorum jam per tot ſecula funditus collapſo ſtatu aliquod reſtaurationis decretum procudi poſſit, non video. Ad III^tiam. *Reſp.* Peccari *fallacia diviſionis & compoſitionis*. Tempora confundit, & obſervationem legis Moſaicæ, quam uſque ad adventum Eliæ duntaxat præcipit propheta, in infinitum extendit. Sed quia etiam *D. Kimchii* iſta argumenta ſunt, vide de illis prolixius ſupra, pag. 102. & 103. Hactenus de loco Malachiæ.

(10) Locus ex *Ezech.* 20.7.8. citatus, ad rem quam tractat; per ſe nihil facit, quid autem inde inferre velit, ex ſequenti plenius intelligemus.

(11) Novum rabbinicum λήμμα nobis propinat ad illud *Exod.* 13.18. *Quintati aſcenderunt filii Iſraëlis.* Senſus horum

rum verborum petendus à notatione vocis חמושים *quintati* (à חמש *Quinq*;) circa quam interpretum sententiç variant. *Prima est* 70. *interpretũ*, qui reddunt per πέμπτη γενεὰ. Et sic sensus est: *Ascenderunt quintati*, i. e. in *quinta generatione*, quod sc. jam ad quintam generationem pervenissent, quarum primam (juxta *Augustinum*) constituat *Iacob*, secundam *Levi*, tertiam *Coath*, quartam *Amram*, quintam *Moses*, cujus tempore ascenderunt ex Ægypto. Sed hæc expositio cum Hebræa voce non convenit, quæ non *quintam* sed *quintatos* notat. Præterea si de generationibus hoc intelligendum, de omnibus tribubus dici non posset, cum certum sit, tum nondum omnes ad quintam generationem perveniisse. *Secunda*, *interpretum Hebræorum*, qui ad *habitum* corporis vocabulum referentes, reddunt *armati*, חומש enim nomen substantivum, licet in genere *quintam partem* significet, ut *Gen.* 47. 26. usus tamen in scriptura obtinet, ut in specie etiam notet *quintam costam*, sic & alibi, quia scil. sub quinta costâ latent membra vitalia, Græcis ὑποχόνδρια dicta, quæ percussa inferunt mortem. Hinc חמושים quintati, sunt *ad quintam costam armati*, quod arma quç gestantur ad quintam usque costam descendant, illamque corporis partem tegant, sicut miles Græcus arma gerens in pectore, vocatur ab ista corporis parte θωρηκτὴς *lorica armatus*, in pectore sc. Eodem modo videtur vox חמושים usurpari *Ios.* 1. 14. 4. 12. *jud.* 7. 11. Hæc est expositio *R. Salomonis*, *Baal Turim*, *Bereschith Rabba*, quos sequitur *versio vulgata* (*armati*,) inter recentiores, *Gallica* (*monterent en armes*,) *Anglica* (*harnessed.*) &c. Dubitatur tamen an Israelitis arma concesserint Ægyptii, quod vix verisimile, disquirirturque unde exeuntibus illa suppeditata fuerint, *Tertia*, *quorundam aliorum*, qui non *habitum* sed *ordinem* spectantes, propiorem vocis significationem retinent, &

per *quintatos* intelligunt *quinos*, i. e. qui quini incedunt in ordine, qui militaris aliquando eſt. Sic *Theodotion* πεμπταίζοντες, *ſic Montanus, ſic & Belgæ &c. Iunius* autem & *Tremellius* utramque expoſitionem conjungere ſtudent, reddendo: *militari ordine aſcendebant*, ſed ſic longius à notatione vocis recedunt. Hæc tamen expoſitio priori non videtur præferenda, idque ob frequentiorem uſum, imprimis ſi reſpiciamus locum *jud.* 7. 11. ubi qui in caſtris excubias agunt, vocantur חמושים quos *quinos* nuncupare nolim, ſiquidem veriſimile non eſt, ordinem militarem ſemper & præciſè tum in caſtris tum in itinere numero quinario fuiſſe adſtrictum. *Quarta, Aben Eſræ, Pagnini & aliorum*, qui habitum etiam corporis & non ordinem ſpectantes, nullâ tamen factâ armorum mentione, ſynonymum hoc vocabulum faciunt חלוצים שֶׁ *parati, expediti, accincti* (*quaſi extractos* dicas à חלץ *extrahere*) ceu ad geſtanda arma, & ineundum certamen, ceu ad iter, aliudve promptè agendum. Videturq; ratio ſignificationis eadem, ſicut enim חלוצים cognationē habet cum חלצים *lumbi*, quod qui circa lumbos accincti ſunt, ad quidvis agendum videātur expediti, ſic חמושים cognationē habens cum חומש *quinta coſta*, eundē notat habitum, proindeq; utrumq; vocabulum eundem uſum præbere poteſt, & *Aben Eſræ* חמושים id eſt חגורי חומש *accincti circa quintā coſtā*, & חגורי חלצים *accincti circa lumbos*, ſunt phraſes ſynonymæ. Hæc ſanè expoſitionis ratio, (quę & *Luthero* placuit in verſione *Germanica* qui utitur voce *geruſt*) prout generalior eſt, ita & tutior, pulchrèq; convenit cū *Onkeloſi* chaldaicâ paraphraſi, qui habet מזדרזין *accincti, expediti, prompti*, ſive in armis, ſive in quavis aliâ actione illud ſit, perinde, vox enim generalis eſt. Nec minus cum 70. interpretibus ad locū *Ioſ.* 1. 14. ubi חמושים optimè reddunt per ἐυζώνους *bene cinctos*. *Quinta*, omnium ineptiſſima, eſt *Aggadiſtarum*, qui ſimpli-

ci ſen-

ci sensu non contenti, allegorias sectantur, &, ne non nugari videantur, quidlibet pro quolibet obtrudunt. Hi per חמושים *quintatos* intelligunt *quintam partem Israelitarum*, quæ sola ex Ægypto ascendit. Quid ergo cum quatuor reliquis partibus actum fuit? Mortui sunt in Ægypto. Quando? tribus illis diebus caliginis. *Ex.* 10.22. Quare? *Quia rebellarunt contra Deum & noluerunt auscultare Ezech.* 20.8. Mendacissima hæc traditio est (de quâ etiam R. Salomo in Exod.) quam noster Rabbi hic amplectitur, quæ non tantum ψευδὴς est sed & ἀνάγωγος, expressis enim verbis testatur Ezechiel eod. vers. Deum, licet excandescentiam suam super illos in Ægypto se effusurum comminatus fuisset, abstinuisse tamen propter nominis sui gloriam, ne illud profanaretur ante oculos illarum gentium, inter quas erant. Nimirum, tantoperè in delirio suo sibi placent isti nugatores, ut sacræ scripturæ contradicere malint, quam præconcepto somnio, quod rabbinici acuminis argumentum esse possit, non indulgere.

(12) Sequitur locus *Ier.* 31. 22. satis difficilis. *Quousque subduces te, o filia aversa! nam patrat Deus rem novam in terra, fœmina ambit virum.* Judæorum mentem ex verbis *R. Lipmanni*, qui contra Christianos disputationem hic instituit, cognoscere operę pretium erit הנוצרים מפרשים החידוש שבתולה יולדת בלא איש ותקשה להם איך ידלג עיקר החידוש דכתיב נקבה שבכלל הביעולה ולא כתיב בתולה תסובב גבר ועוד אדרבה נקבה מורה על לשון ביעולה כי נקבה מגזרת נקובה על משקל אביד אנורה ועוד אבאר טעותם כי כל ענין הפרש מדברת על חזרת ישראל לארצם ואין יכין לפרשו על הנוצרי שג' הלא כזרה ישראל יקבצינו וגו' ער ולא יוסיפו לראבה עוד וגו' עד ויש תקוה לאחריתך נאם ה' ושבו בני' לגבולם וגו' יעד הבן יקיר לי אפרי' וגו' עד שובי בתולת ישראל אל ערין אלה מתי התחמקין הבת השובבה תתחמקין מל' כיבוב כמו חמק ועבר על מקראות אלו מסיים כי ברא ה' חדש' וגו' ונחוא נתינת טעם על מקראות ראשוני' ואיככה יטיעו לתפוס אות אחת ולדלג פרש' שלימה אלא הכי פי' דרך ארץ איש מחזר אחר אשה ואין אשה מחזרת אחר איש והמשילו ר"ל על זה כי שעבדה לו אבידה מחזר אחריה ואין האבידה מחזרת אחר בעלה ור"ל ה.ישה

האישה היא האבידה שנבראת מהצלע שאבד' אדם הראשון וכנגד זה אמ' כי נדא ה' חרש' וגו' כי ישראל נקרא' כאן בבינוי נקבה שנ' בתול' ישראל וכתיב הכת השובבה וה"ש נקרא נבנו איש שנא' בהושע ביום ההוא נאום ה' תקראי לי אישי ולא תקראי לי יעוד ביעלי וגו' ועתה אמר ה"ש לישראל שובי בתולת ישראל ר"ל אליו כי איש לאישה שתחזור על האיש כי כבר בארתי אותו החידוש בגולה כמו שנ' בישע' והחזיקו שבע נשים באיש אחד ביום ההוא לאמור לחמינו נאכל ושמלתנו נלבש רק שכך יקרא על־נו אסוף חרפתינו וזה היה מחמת שנעשו רבית בשעת החרבן ולא היו השבאים פרוצים בנשואות כמו בפניוה וחנה הכל נשקל כלו' חזור בת שובה ולא תתביש במה שתשנה מן דרך ארץ במאכל במשכב ובמלבוש.

Chriſtiani rem hanc novam exponunt de partu virginis abſque viro, ſed objicies ipſis, fundamentum iſtius novitatis ſubtractum eſſe, quippe de fœmina ſcriptum hoc eſt, per quam intelligitur uxorata, & non dicitur: virgo ambit virum. Imò per fœminam (נקבה) *intelligendam eſſe uxoratam, inde liquet, quia nomen habet à perforando, ſicut perditum dicitur à perdendo. Præterea, ut errorem eorum clarius oſtendam, obſervandum eſt, totum contextum non loqui niſi de reditu Iſraëlis in terram ſuam. Quomodo enim de Ieſu Nazareno intelligi poſſunt illa?* Qui ſparſerat Iſraelem, congregat illum &c. *Ier.* 31. 10. *Item illa*, neque pergent mœrere amplius &c. *verſ.* 12. *Item.* Eſt exſpectatio tandem tibi, dictum Domini, fore ut revertantur filii ad terminum ſuum &c. *verſ.* 17. *Item* An filius charus mihi eſt Ephraim? &c. *verſ.* 20. *Item.* Revertere filia Iſraelis uſque ad civitates tuas, *verſ.* 21. *Vſque ad illa.* Quouſque perges ſubducere te, O filia averſa? *verſ.* 22. *Subducere, deflectendi verbum eſt, juxta illud.* Subduxit ſe & præteriit. *Cant.* 5. 6. *Ex hiſce ſcripturis declarat, Deum rem novam creaturum, cujus ſenſus jam ex præcedentibus illis eſt manifeſtus. Ingens itaque error eſt, uni vocabulo velle adhærere totumque contextum tranſilire. Vera autem loci expoſitio ſic ſe habet. Moris eſſe ſolet, ut vir redeat ad uxorem, non verò uxor ad virum. Illudque Rabbini b.m. hac ſimilitudine illuſtrant, quod, ſi quis rem aliquam perdidit, res illa perdi-*

ta non

ta non revertitur ad dominum ſuum, ſed dominus ad illam. Subindicantes, mulierem hic eſſe rem perditam, quæ creata eſt ex coſtâ, quam perdidit primus homo. Et huc reſpiciens propheta dicit, Deum rem novam creaturum &c. *Vbi Iſrael denotatur per cognomen mulieris, appellatur enim virgo Iſraelis, filia averſa. Deus autem per cognomen viri, juxta illud Hoſ.* 2.16. Eritque die illo, dictum Domini, ut voces me, vir mi, ac non voces me ampliùs, mi bahal. &c. *Et in hunc ſenſum dicit hic*: Revertere virgo Iſraelis *v.d. ad ſe maritum, nam uxor revertetur ad virum, & hæc eſt res illa nova, quam modo de captivitate expoſui, ſicut in Eſai. dicitur*: Prehendent ſeptem mulieres virum eundem tempore illo, dicendo, cibum noſtrum comedemus, & veſtimentum noſtrum induemus, tantummodò vocemur de nomine tuo, aufer probrum noſtrum. *Eſai.* 4. 1. *Nimirum, quia tempore vaſtationis multiplicantur, nec tam facilè in uxoratas quàm viduas laſciviunt homines protervi. Sunt autem mera ſimilia. Etque ac ſi diceretur: Revertere, reſipiſcentiam agendo, neque pudore ſuffundaris, quod in cibo, cubili, & veſtitu contra vulgatam conſuetudinem agere teneris.* Duo præſtare nititur, 1. Argumentis deſtructuris Chriſtianorum quorundam expoſitionem convellere. 2. Adſtructivis ſuam ſtabilire. Utriuſque inſtituti ratio examinanda eſt. Sed ut ordine progrediamur, primò loci ſenſus inquirendus eſt, & expoſitio, quæ convenientior videbitur, confirmanda, ac poſtmodum, quid judæi contra illam in medium afferant, diſcutiendum.

Præcipua loci difficultas eſt in ſenſu verborum, *fœmina ambit virum*, ſiquidem res illa nova, quam Deus creaturus dicitur, in iſta actione videtur conſiſtere. Interpretum ſentẽtias ad duas claſſes revocamus. *Prima* eorũ eſt, qui nomen *fœminæ* ſumunt *propriè*, *altera* eorum qui *metaphoricè*. Qui *propriè* ſumunt, per fœminam definitè in-

telligunt *alii*, *Rachelem*, quæ vers. 15. filios suos deflere & consolationem non admittere dicitur, quasi hic dicat: Deus creavit rem novam (sumpto verbo in tempore præterito) quæ fuit, quod *fœmina Rachel* plorans futuram filiorum suorum Josephi & Benjaminis (i. e. istarum tribuum) in deportatione Assyriaca miseram conditionem, id plorando & precando effecit, ut *ambiverit* i. e. ad misericordiam induxerit, & quasi vicerit (quæ res nova) *virum* i.e. *Deum potentem* (converso גבר in גבור) qui tandem ex captivitate filios suos reduceret. Hæc expositio non displicet Abarbeneli.. *Alii* autem intelligunt *Mariam* virginem, q.d. fœmina. i.e. *Beata virgo*, *ambit*. i.e. concipiet & ventris ambitu cinget, *virum* i. e. *infantem marem* Iesum Christum juxta illud *Esai.* 7.14. quæ sanè res insigniter nova. Et hæc expositio quibusdam placet Christianis, præcipuè Patribus. Qui *Metaphoricè* vocabulum fœminæ sumunt, etiam diversimodè reddunt, & quidem per fœminam omnes intelligunt Israelem, sed variant expositione. *Alii* Israelem assimilant *fœminæ prostibulo*, quæ proprii viri amplexibus non satiata, aliorum virorum amores ambit & emendicatum discurrit, quod vitium Israel horrendâ suâ Idololatria commisit *Esai.* 57. 8. &c. Sic *Deodati*. *Alii*, *fœminæ adulteræ*, quæ aliorum amoribus implicita, per tempus in adulterio vivit, tandem autem pœnitentiâ ducta ad proprium maritum revertitur, ejus gratiam ambit, & cum ipso reconciliari desiderat. Sic & Israel cum Deo. *Alii*, *fœminæ desolatæ*, quæ viro destituta, tempore angustiæ virum ambit, & cum ipso matrimonium contrahere vehementer desiderat, juxta illud. *Esai.* 4.1. Quæ res nova, cum econtra viri sit expetere mulierem, sicut res perdita non quærit Dominum suum, sed Dominus illam. Sic Israel respectu Dei. Hæc expositio Hebræorũ est, *R. Salomonis*, *D. Kimchii*, *Lipmanni* &c.

ni &c. *Alii*, *fœminæ debili*, quæ ambit virum i.e. evadit robusta, adeò ut etiam viro fortior sit. Sic Israel, licet debilis aliquando instar mulieris, tantum tamen acquiret robur, ut etiam potentissimos hostes debellaturus sit. In hanc sententiam inclinat *Abarbenel*, & Christiani quidam (sed hi in sensu spirituali) quam subministrasse videtur *R. Iehuda*, *allegorista*. vid. *R. Salom.* *Alii*, *fœminam spiritualem* esse dicunt *Israelem spiritualem*, Ecclesiam nimirum, quæ veluti sponsa maritum suum, Jesum Christum sponsum & servatorem suum amplectitur. Sic soli Christiani.

Ecce messem opinionum, quarum aliæ aliis probabiliores. Optima tamen eligenda, quod mihi non usque adeo videtur factu difficile, siquidem licet non satis apertè se explicet propheta, verborum tamen circumstantia subindicat quid velit. Interpretatio de *Rachele* jejuna est & nimis longè petita. De *fœmina prostibulo*, Deum facit creatorem rei non novæ sed abominandæ, quæ licet justo Dei judicio adscribatur, non probanda tamen talis expositio non necessaria, imò quæ ne quidem cum mente prophetæ convenit, qui verbis immediatè præcedentibus filiam Israëlis non ad gentium idola velut prostibulum ablegat, sed ad resipiscentiam invitat. Reliquæ tolerabiliores sunt. Omnes tamen (unâ exceptâ) hoc laborant defectu, quod rem quam Deus in terrâ creaturus erat, satis *novam* (i. e. inusitatam, mirabilem, inauditam, quæ vocis denotatio est) exprimere nesciant. Non enim res nova est nec inaudita in terra, quod mulier adultera post commissum facinus pœnitentiâ ducatur & ad maritum suum redeat. Nec res nova in terra, quod fœmina ambiat virum, hoc enim non usque adeò extraordinarium est, licet mos obtineat, ut vir potius ambiat mulierem; neque quadrat hic quod de 7. mulieribus unum virum prehensuris *Esai.* 4, 1. dicitur, siquidem ibi prædicitur

pœna-

pœna & opprobrium, hic verò favor & gratia, nec opprobrii loco habendum, si mulier, vel uti res amissa (ut exponunt rabbini) vel per adulterium à viro suo alienata, ad ipsum redeat, ejusque gratiam requirat, proindeque ista allegatio, quæ alterius momenti est, ad hunc locum illustrandum non conducit. Nec res nova, quod mulier aliquando fortior evadat viro, quæ insuper expositio cum proprietate vocis תסובב non satis convenire videtur. Nec res nova (si sensus omnino spiritualis sit) quod sponsa Ecclesia sponsum suum Christum amplectatur, cum hoc sit ex proprietate fidei & divini amoris per spiritum sanctum, non ab isto tempore veluti res nova, sed à creatione mundi omnibus fidelium mentibus ingeniti. Præterea non agitur hic de re nova, quæ in paucorum duntaxat hominum mentibus nova videri possit, sed quæ nova est *in terra*, i. e. ab hominibus terræ filiis pro nova, inusitata & supernaturali agnoscatur. Talis autem reverâ illa res est, quâ mulier peperit marem, si de partu beatæ virginis intelligatur, ac propterea hanc expositionem omnibus aliis meritò præferimus. Cui accedit, quod prophera, si de reconciliatione uxoris cum marito *loqui* instituisset, vel mentem suam ista similitudine exprimere, terminis potius correlatis איש & אישה fuisset usus, siquidem נבר & נקבה nullam inferunt relationem inter maritum & uxorem. Quod non obscurè facit præ expositione illa, quæ per נקבה intelligit *matrem*, per נבר *filium*. Nec ei præjudicat verbum אסובב, quod quia in *Pihel* pro *cingere* vel *circumdare* in genere sumi consuevit, æque de uteri muliebris fœtum gestantis, quam de quovis alio ambitu prædicari potest.

Duplici tamen telo illam confodere conatur *R. Lipman*. Primum petit à notatione vocis Hebrææ נקבה quam dicit esse nomen mulieris uxoratæ, & quidem ita

uxora-

uxoratæ ut ex viro conceperit, quod de Maria (quam volūt eſſe בתולה *virginem*) nō admittunt Chriſtiani. *Secundum* à ſcopo totiùs contextus, quem non niſi reditum ex captivitate promittere contendit. Sed ſiculnea hæc argumenta ſunt. Ad I^mum. *Reſp.* Peccari *fallacia figuræ dictionis.* Vocem נקבה fœmina, non *conditionis* ſed *ſexus* nomen eſſe, ſicut ejus oppoſitum זכר *mas*, & ab ejus etymologia, quam urget *Lipman*, non *habitum* ſed *naturalem* duntaxat *diſpoſitionem* (qua virgo imò recèns nata etiam נקבה dicitur) ad habitum inferri poſſe, tam apertè liquet ex *Levit.* 12. ut res ulteriori diſputatione non indigeat. Ad II^dum. *Reſp.* Eſſe *paralogiſmum à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter.* Corporalem Iſraelis ex captivitate reductionem à prophetâ unicè attendi, negatur, id quod ſupra pag. 146. (ubi de ſcopo capp. 30. & 31. Ierem. cum cap. 3. collat.) ſatis ſuperque demonſtravimus, & quæ judæi in contrarium afferunt, diluimus. Quibus inſpectis, conſtabit, *rem* illam *novam*, de qua verſ. 22. & *fœdus novum*, de quo verſ. 31. optimè veluti ſubordinata inter ſe convenire, nec mirandæ conceptionis Jeſu Chriſti myſterium à contextu prophetico eſſe alienum, imò tanquam fundamentum ſpiritualis reditus, qui filiæ averſæ injungitur, ſubſterni. Et ſi vel maximè *Lipmanni* expoſitio obtineat, nihil tamen, quod judæorum exſpectationem fulciat, hic contineri, ac proinde noſtrum Rabbinum fruſtra ex hoc loco concludere, ſicut uxor ſponta-neo motu revertitur ad maritum, ſic judæos abſque prophetarum ope ad reſipiſcentiam, atque iſto medio ad carnale regnum eſſe reverſuros.

(13) Ad tempus præſens referunt verba Hoſ. 5. 15. & quæ ſequuntur cap. 6. Ubi illa, *vitæ reſtituet nos poſt biduum, die tertio excitabit nos, & vivemus coram ipſo*, R. Salomo, & poſt ipſum Abarbenel ita exponunt: הם שתי פורענויות שעברו

שיעברו עלינו משני מקרשים שהחריבו וביום הג' שהוא בית העתיד יקימנו ונחיה לפניו כי לא נשוב עוד לגלות *Duplex pœna eſt, quæ nobis obvenit per utriuſque ſanctuarii deſtructionem, ſed dies tertius eſt templum futurum, tum excitabit nos, & vivemus coram ipſo, nec unquam in captivitatem revertemur.* Kimchi per biduum intelligit captivitatem Ægyptiacam & Babylonicam, per diem tertium, hodiernam, quâ finitâ perpetuam felicitatem ſibi imaginatur. Hæc interpretatio, ſi tam ſolida eſſet, quam eſt ſubtilis, haberent ſanè, unde ſibi congratulentur judæi. Sed ſcopo prophetæ inſpecto, non obſcurè colligimus, ſicut nulla ibi fit mentio anguſtiarum deportationis ſecundæ poſt ſecundi templi deſtructionem, ſed primæ duntaxat, quæ Aſſyriaca eſt & Babylonica (ſiquidem non tantum contra 10. tribus ſed & contra tribum judæ in ſpecie vaticinatur Hoſeas) ſic nec de reſipiſcentia, quâ hodie, ſed illâ, quâ tum temporis, quamprimum caſtigationis gravitatem ſenſerint, Divinam opem imploraturi erant, ſermonem inſtitui. Aliàs enim perinde hoc eſſet, ac ſi pater aliquis, qui filium ſuum bis, ſed diverſis temporibus caſtigare ſibi propoſuit, de ſola prima caſtigatione (non autem de ſecundâ, quam ipſum adhuc ad tempus latere vult) & caſtigationis fructu, quæ reſipiſcentia eſt, cum ipſo loquens, per reſipiſcentiam intelligere dicatur, non illam quæ primam caſtigationem de quâ loquebatur, ſed illam quæ ſecundam, de quâ non loquebatur, conſecutura erat. Cui quæſo hoc non videretur vehementer abſurdum? Eod. planè modo ſe res hic habet. Quod autem de *biduo* & *tertio die* dicitur, nihil hoc habet pręter nudum Hebraiſmum, quo caſtigationis brevitas exprimitur, quem Aben Eſra obſervavit יומים זמן קרוב שלישי הנך כל נשבר כי אז יכאב *Biduum tempus eſt tertio diei proximum. Et hoc naturæ curſui contrarium, cui enim vulnus inflictum eſt, tum demum doloris acer-*

acerbitatem ſentire incipit, tertio nimirum die quo Iſraël ſanitati jammodò erit reſtitutus. Quicquid itaque de triplici templo vel triplici captivitate hic ſomniant, inani verborum luſu operam ludunt rabbini, & mentem aere paſcunt. Nec probare poſſum ſententiam iſtorum Chriſtianorum, qui hinc nimis directé & quaſi argumento apodictico, Jeſu Chriſti per biduum in ſepulchro moram, & tertiam reſurrectionis diem eliciunt. Sed ſi ſenſum ſpiritualem, quem ſecundariò intendit propheta, reſpiciamus, non incommodè acceleratum ſanationis noſtræ terminum, veluti mortis & reſurrectionis Ieſu Chriſti, ſive exiguæ ejus in morte moræ fructum, ex hoc loco colligimus.

(14) Anguſtias à Ieremiâ cap. 30. 6. Prædictas, (quas Rabbini viris in futuro bello Gog & Magog militaturis tribuunt) Babylonicam non minus ſpectare captivitatem, quam corporalem ex illa liberationem, ex ſupradictis p. 146. fit manifeſtū. Nec ullā affert rationē Abarbenel (qui valdè prolixus hic eſt, prout multis verbis paratragœdiare conſuevit, quoties in locū ſuum communem de Gog & Magog excurrit) quare jugum quod verſ. 8. à collo Iſraelitarum excutiendum dicitur, aliud ſit ab illo de quo cap. 27. 8. i.e. Chriſtianorum potius ſit quam Nebucadnezaris, regis Babyloniæ, de quo ibi verbis expreſſis. Quod expendens R. Salomo, in Babylonici imperii vaſtatione ſubſiſtit, nec extra iſtam periodum in expoſitione ſua vagatur. Verùm, præcipuum totius contextus ſenſum, ſpiritualem eſſe, & regnum Meſſiæ filii Davidis, ſc. Ieſu Chriſti ſpectare, ſupra fuit oſtenſum. Vide & aliam hujus loci expoſitionem ad notam ſequentem.

(15) Præpoſteræ ſcripturarum applicationi addit nugamentum talmudicum, quod loco ſuperiori aliam planè faciem & formam induit. Nota autem, me in tranſlatione da-

ne,doctorum talmudicorum mente(quam nec Rabbi noſter integram citabat) non rectè percepta, poſtmodum ipſo codice & additâ gloſsâ inſpectis,ſenſum aliter ſe habere deprehendiſſe. Ecce itaque tibi locum *Ier.* 30. 6. *Interrogate jam , & videte an pariat mas , cur video unumquemque virum ſtare manibus ſuis appoſitis ad lumbos ſuos , velut pucrperam & converſos omnes vultus in ſpeciem morbi regii*, in codice *Sanhedrim* cap. *Cheleck, fol.* 98. hoc modo expoſitum : מאי ראיתי כל גבר אמר רבא בר יצחק אמ' רב מי שכל גבורה שלו ומאי נהפכו כל פנים לירקון אמר רבי יוחנן פמליא של מעלה ופמליא של מטה באותה שעה אומר ה"בה הללו מעשה ידי והללו מעשה ידי היאך אאבד אלו מפני אלו היינו דאמרי אינשי רהיט ונפל תורא ואויל ושדי ליה כוסיא באורה *Quid eſt hoc* vidi omnem virum. *Dicit Rabba Bar Iitzchac , Rab dixiſſe , eſſe illum cui omnis eſt potentia. Et quid illud eſt,* cōverſæ ſunt omnium facies in ſpeciē morbi regii ? *Reſp. R. Iochanan,eſſe familiam ſupremā & familiam infimam. Illa hora dicet Dominus; Hi ſunt opus manuum mearum,& illi ſunt opus manuum mearum , quare ergo perderem hos propter illos ? Illud eſt quod dicunt homines : Currit & cadit bos,abit autem ille, & Deus omnipotens in ipſius locum collocat equum ad præſepe.* Iſta ſic illuſtrat Gloſſa מי שכל גבורה שלו הקדוש ברוך הוא כי מצטער ביצמו ביולדה ואומר בשעה שמעביד האומות מפני ישראל היאך אאביד אלו מפני אלו .פמליא של מעלה ושל מטה מלאכים וישראל אפילו הגרי' לא גרסי' רהיט ונפל תורא ושדי כוסיא באוריה בשרץ השור ונפל מעמידין סום במקומו באבוסו מה שלא היה רוצה לעשות קודם מפלתו של שור שהיה חביב שורו ביותר וכשמתרפא שודו הוא למחר ממפלתו קשה לו להוציא כוסיא מפני השור לאחר שהעמידו שם כך הקדו' ברוך הוא כיון שבאה מפלתן של ישראל נותן גדולתן לאומות העולם וכשחוזרין ישראל בתשובה ונגאלין קשה לו לאבד אומות העולם מפני ישראל. *Ille cui omnis eſt potentia , ipſe Deus eſt qui dolore afficitur apud ſe ipſum inſtar puerperæ,dicetque hora illa,quâ perdet gentes propter Iſraelem : Quare perdam hos propter illos? Familia ſuperior & familia inferior ſunt angeli & Iſrael, licet enim deportati ſint , non tamen ideo ſunt confracti. Currens & cadens bos , & Dominus collocans equum*

ad

ad præsepe, est, quando bos currit & cadit. in ipsius locum substituitur equus ad præsepe, quod factum non fuisset si bos qui charior erat, non cecidisset. Ipso autem sanitati postmodum restituto, jam grave admodum est Domino, tollere equum ibi collocatum, in gratiam bovis. Sic Deus benedictus quo tempore cecidit Israel, omnem eorum magnificentiam tradidit gentibus hujus seculi, ipsis autem jam per resipiscentiam restitutis & redemptis, admodum molestum ipsi est perdere gentes propter Israelem. Hæc loci Ieremiæ expositio talmudica est, rabbinicæ contraria, ubi jam videmus, *omnem virum, manibus ad lumbos appositis instar puerperæ stantem*, non esse *Babylonios*, tempore destructionis Babylonis, juxta R. Salomonem, nec Christianos in bello Gog & Magog tempore Messiæ versantes in extremis angustiis, juxta Kimchium & Abarbenelem, sed esse Deum instar puerperæ excruciatum, quod tot centena Christianorum & nobilissimarum gentium millia in solam judæorum gratiam mactandi legem sibi videat impositam, quasi à misericordiæ suæ affectu id vix impetrare valens, cum æquè se gentium quam judæorum creatorem agnoscat. Præterea, *omnes vultus in speciem morbi regii conversos*, non esse vultus eorumdem miserè pereuntium Babyloniorum aut Christianorum, sed familiæ superioris (i. e. angelorum, quos Dei *consiliarios* faciunt, abutentes loco *Dan.* 4. 17. Ubi per *decretum vigilum* i.e. angelorum, non intelligendus ipse decernendi actus *antecedenter*, qui solius Dei est ut *vers.* 24. sed decreti executio *consequenter*. Vid. Lexic. Talm. in פגל) & familiæ inferioris i. e. Iudæorum, qui Deo συμπαθοῦντες & afflictissimam Christianorum sortem (quod sc. benevolo istorum hominum erga nos affectui debemus) toto corde commiserantes, eundem interitum quasi obstupefacti contemplantur. Habes hìc, lector, bovinum illud mysterium, quod noster rabbi extremis tan-

tum labiis delibat, religione fortè ductus, ne sacer thesaurus nimia contrectatione profanetur.

(16) De Michaelis archangeli ministerio *Dan.* 12. 1. supra pag. 72. egimus. R. Salomonis inepta expositio ex eadem traditione est, quam notâ præcedenti explicavimus.

(17) Repetit locum, de quo Num. 14. & 15. Cui nihil hic addere necesse, cum Jeremię scopus, uti dictum, alibi sit expositus.

ביאת המשיח.

ו"עי התשובה תבא הגאולה דכתב ובא לציון גואל ולשבי פשע ואותו גואל יהיה משיח בן דוד שיקבץ את ישראל המשולים לככבים שנ' הבט נא השמימה וספרה הככבים וג'ו וכתיב כתריה ויאמר לו כה יהיה זרעך ויקרא לכולם בשם רבת' מונה מספר לכוכבים לכלם ב בשם יקרא כי בביאתו יחיו כולם כמו שנגא ישעיה ואמר המוציא במספר צבאם לכלם ב בשם יקרא ברב אונים ואמין כח איש לא נעדר והדבה מ מהנאוני' אמרו שבביאתו לא יחיו כי אם הצדיקים ואמת הוא שכן כתוב ברגיאל ורב'ם מישני אדמת עפר יקיצו וגו' אבל את"כ יחיו כולם וארבע ע עולמות הם עולם הזה וביאת המשיח ותחית המתים של כולם

Introitus Messiæ.

Per pœnitentiam verò adveniet redemptio, sicut scribitur (1) Esai. 59 20. *Et venit Tzioni redemptor, & conversis à defectione.* Et hic redemptor erit Messias filius Davidis, qui congregabit Israelem, qui cum stellis comparantur, uti dicitur, (2) Gen. 15. 5. *Intuere cœlum versus, & numera stellas* &c. additurque, *& dixit ipsi, sic erit semen tuum.* Et vocat eos omnes nomine, sicut scribitur (3) *Psal.* 147. 4. *Supputans numerum stellarum, nominibus eas omnes vocat.* Siquidem in ipsius adventu omnes vivent, sicut vaticinatus est Esaias, dicens (4) *Esai*: 40. 26. *Producens numero suo exercitum ipsorum, omnia ea de nomine vocat præ multitudine virium, nam fortis est robore, nec quicquam deest.* Multi autē (5) doctores dicunt, in advētu ipsius nō victuros nisi justos. Verum quidē est sic scriptum esse in Daniele (6) *Dan.* 12. 2. *Et multi dormientium in pulverulentâ terra expergiscē-tur.* Verùm postea vivent omnes: Nā (7) quatuor sunt mundi, mundus scilicet præsens, adventus Messiæ, resurrectio mortuorum omnium, & mundus prolongatus. Sic statuunt Rabbini b. m. in (8)

Iotzer

ועולם ארוך וכן יכדו ר"ול ביוצר
של שבת אין כיערכך ה' א
אלהינו ביעולם הזה ואין זולתך
מלכנו לחיי עולם הבא אפס
בלתך גואלינו לימות המשיח ואין
דומה לך מושיענו לתחית המתים
ובר ש פסיקתא ומי אמרינן כשברא
תב"ה עולמו פשט ידו תחת
בסא הכבוד והוציא נשמת ה
המשיח וכת שלו אמר לו רוצה
אתה להבראות ולגאול את בני
אחר ששת אלפים אמר לו ה
הין אמר לו א"כ תסבול יסורין
למרק עונם ההוא דכתיב אכן
חליינו נשא אמר לו אכבול א
אותם בשמחה אמר לו צדיקים
יהיו בביאתך אמר לו יהי זצון
שיהיו כלם ואפילו נפלים ונראה
תקט ששת אלפים גלות והו
לפ' שכאלף ששי יש בגלות ש
שאין לומר כל ששת מכש ד
רא"כ ימות המשיח מתי יהיו
דאמרו רז"ל בפ' חלק כשם ש
שהשביעית משמטת שנה ה' ל
לשבע שנים כך העולם כשמט
אלף אחד לשבעת אלפים שנא'
ונשגב ה' ביום ההוא ואומר מ
מזמור שיר ליום שכולו שבת
ואומר כי אלף שנים בעיניך וכ'
וכן הא דאמרינן במדר' שוקיו
עמודי שש אלי ששת אלפים
של גלות לאו ששת אלפים מ
מכש אלא מפני שיש מאלף ה

Iotzer Schabbat : Nemo tecum comparari poteſt ô Deus, Deus noſter, in hoc mundo, & nemo præter te, rex noſter eſt in vita mundi futuri, nemo præter te redemptor noſter eſt in diebus Meſſiæ, & nemo tui ſimilis, o ſervator noſter in mortuorum reſurrectione. Et in principio *Peſikta* etiam dicunt, quando Deus creavit mundum ſuum, extendit manum ſuam ſub ſolio gloriæ, & produxit (9) animam Meſſiæ, ejuſque catervam, dixitque ipſi, viſne tu ſanare & redimere filios meos (10) poſt ſex millia annorum? Reſpondit ipſi, volo. Dixit ipſi, an etiam ſuſtinebis caſtigationes ad abſtergendum iniquitates eorum, juxta illud quod ſcriptum eſt : *Certè morbos noſtros ipſe tulit* (11) *Eſai.* 53.4. Reſpondit, ſuſtinebo illas cum gaudio. Dixit ipſi, & vivent juſti in adventu tuo. Reſpondit, ſit beneplacitum tuum ut omnes reviviſcant, imo etiam abortivi. Videtur autem ad ſex mille annos extendere exilium, ſed de ſexto millenario hoc tenendum eſt, in quem cadit exilium, non quod omnes ſex abſolutè comprehendat. Quod ſi ſic ſe habet, dies Meſſiæ quando erunt? Dicunt hoc Rabbini b.m. *cap. Cheleck*. Sicut ex ſeptem annis, ſeptimus erat annus intermittens Domino, ſic mundus ex ſeptem millenariis, uno erit intermittens, juxta quod dicitur (12) *Eſai.* 2. 11. *Edituſque erit Deus die illo.* Item. (13) *Pſ.* 92. 1. *Pſal. canticum in diem* qui totus *Sabbathi.* Item *Pſ.* 90 4. (14) *Nam mille anni in oculis tuis* &c. Dicunt etiam in שש כדר' שוקיו עמודי (*lib. ſic dicto ex Cant.* 5. 15.) Illi ſex millenarii exilii,

השני בגלות קרא אותו שש אלפים. exilii, non ſunt ſex mille abſolutè, ſed quia exilium incidit in ſextum millenarium, ideo vocat illud ſex millium.

DIALEPSIS.

(1) Sicut anguſtia ducet ad pœnitentiam, ſic pœnitentia ad Meſſiam, quod primò probat ex *Eſai.* 59.20. Quem locum ſupra pag.252. examinavimus.

(2) Locus ex *Gen.* 15. 5. ubi Iſrael comparatur cum ſtellis, citatus huc non facit, niſi ſtatuatur univerſalis omnium Iſraelitarum reſurrectio in adventu Meſſię, de quo controverſia inter doctores.

(3) Ex Pſal. 147. 4. nil niſi particularis Dei providentia probatur, ſumpto argumento à ſtellarum cognitione & numero, ubi *nominibus eas vocare* non concludit, peculiare cuique ſtellæ eſſe nomen, ſicut nomina hominibus indita ſunt, quibus à ſe invicem diſcernuntur, ſed hebraiſmus eſt, quo exactiſſima Dei notitia, quam de minutiſſimis etiam rebus habet, licet innumeræ ſint, & propemodum infinitæ, ſicut ſtellæ ſunt, denotatur. Quod itaq; de cujuſvis judaici individui nomine proprio, quo unumquemque ad ſe vocabit Meſſias, hinc colligit Rabbi, ad claſſem nugarum eſt remittendum.

(4) Nihil vaticinatus eſt Eſaias de judæorum reſurrectione in adventu Meſſiæ, nec citato loco *Eſai.* 40. 26. ullum verbum eâ de re extat. Niſi fortè ex iſtis, *producens numero ſuo exercitum ipſorum*, quod de aſtrorum productione dicitur, probare conetur id quod præſupponit. Hoc autem quàm frivolum ſit, nemo eſt qui non videat.

(5) *Doctores*, Hebr. גאונים, quaſi doctrinâ & virtute excellentes dicas, à גאה *Excelſum eſſe.* Hic autem titulus, quibus ſpeciatim conveniat, docet *Majemonides* præfatione in יד חזקה his verbis. כל החכמים שעמדו אחר חיבור הגמרא ובנו

בו ויצא

בו ויצא להם שם בחכמתם הם הנקראים גאונים וכל אלו הגאונים שיצמרו בארץ ישראל ובארץ שניר ובספרד ובצרפת למדו דרך הגמרה והוציאו לאור תעלומותיו וביארו ינינו לפי שדרך עמוקה דרכו עד למאד *Omnes sapientes qui steterunt post compositionem Gemaræ, eique superstruxerunt, & sapientia suâ nominis celebritatem acquisiverunt, vocantur* Geonim. *Qui Geonim omnes illi fuerunt, qui steterunt in terrâ Israelis, & in Babylonia, in Hispania item & Gallia, & docuerunt viam Gemaræ, ejusque abstrusa in lucem produxerunt, & quicquid intellectu difficile ibi est, luculenter exposuerunt.* Alii doctorum tituli sunt רב *Rabh*, רב *Robh*, רבא *Robbo*, רבי *Rabbi*, רבי *Ribbi*, רבן *Rabban*, רבנא *Rabbana*, רבות *Rabboth*, רבנין *Rabbanim*, רבנן *Rabbanan*. Qui tituli, licet ab eodem themate רבב originem habeant & omnes *Magistrum* notent, variant tamen *dialecto* & *dignitate*. 1. *Dialecto*. Pro רב *Rabh* Hebr. per patach, dialecto Babylonicâ dicebatur רב *Robh* (pro quo Chaldaicè מר *Mor*) & cum א Epenthetico רבא *Rovo*, postmodum etiam, habita ratione dages fortis, רבא *Rabba*. רבי *Rabbi* & ריבי *Ribbi* tituli noti in Palæstina,& quidem *Ribbi* ex dialecto Hierosolymitana. Vulgatissimi sunt רבי *Rabbi* & רב *Raf*, plur. רבות (quod tamen non nisi cum affixo usurpatur רבותינו &c.) qui hodie imprimis obtinent. Peculiaris titulus est רבן *Rabban*, notus in palæstina tantum. Ab hoc quoad formam, oritur רבנא *Rabbana*, cum א epenthetico, plur. רבנין *Rabbanim* & in formâ fœmin. (quæ talmudicis usitata) רבנן *Rabbanan*. Ex eadem radice alia adhuc derivantur appellativa nomina, quæ cum his confundenda non sunt, licet aliquam cum illis affinitatem habeant, cum non doctorum tituli sint, sed nomina tantùm, domininm aut possessionem denotantia, vid. Lexic. Talm. in רבב. Ex iisdem etiam titulis nomina quædam propria orta sunt ut *Rabbena* &c. 2. *Dignitate* etiam alii aliis præstant. Omnium

excellentiſſimus imo & antiquiſſimus, (nam ante hunc nullus titulorum erat uſus) eſt R*abban*, qui ſolis ſeptem Iſraelis ſummis doctoribus & principibus qui circa tempora Chriſti, ante & poſt templi ſecundi deſtructionem ſucceſſivè principatum geſſerunt,competit. Hi fuerunt, R*abban Hillel*, R*abban Schimeon* ejus filius. Hunc ulnis ſuſcepiſſe Chriſtum conjicit Buxtorf. *Abbr.* ר. R*abban Gamaliel* Senex, Schimeonis filius qui fertur præceptor fuiſſe Pauli apoſtoli, cum adhuc judæus eſſet. R*abban Schimeon ſecundus*, filius Gamalielis ſenis, qui periit in vaſtatione urbis. R*abban Iochanan*, qui non fuit ex iſta familia. R*abban Gemaliel ſecundus*, Schimeonis ſecundi filius. R*abban Schimeon tertius*, Gamalielis ſecundi filius. Hic fuit pater R. Jehudæ Hakkadoſch, qui *Miſnam* i. e. textum talmudis compoſuit, & cui titulum R*abban* non tribuunt,cum excellentiori, à *ſanctitate* petito ſit condecoratus. Ultimus R*abban Gamaliel*, in quo titulus iſte exſpiravit. Obſervandum autem, titulum hunc in *ſolo* ſingulari numero & quidem in forma ſimplici excellere, nam mutata forma & numero à dignitate ſua remittit. Sic *Rabbana* & plur. R*abbanin* & R*abbanan*, digniores non ſunt quam *Rabbi* & *Rabboth*, imo quia R*abboth* ſine affixo non legitur,pro eo in forma ſimplici plur. uſurpatur רבנין R*abbanin*. Omnes alii tituli in utraque dialecto,omnibus talmudicis doctoribus,Miſnicis & Gemaricis promiſcuè competunt, niſi quod titulus R*abbi* dignior exiſtimetur quam *Raf*, excipe ubi *Raf* alicui κατ' ἐξοχὴν tribuitur, uti olim R. Iehudę Sancto,& hodie Majemonidi. Cœterùm, doctoribus Poſt-talmudicis qui in illuſtranda Gemara utilem operam navarunt,in ſpecie competit titulus גאון *Gaon*,uti jam dictum. Vid. *Majem. præf. jad Chaſaka*, *Haliçhoth olam*, *juchaſin*, *Tzemach David*, *Buxtorf. Abbrev. & Lex.* &c.

(c) Lo-

(6) Locum Dan. 12. 2. Vide sup. p. 169. expositum.

(7) Per quatuor mundos, quatuor temporum intervalla intelligit, quæ ex precatiuncula quam in *Iotzer Schabbat* dicunt, petit. Et hoc modo conciliare studet diversas doctorū sententias, quorū alii solos justos, alii omnes simul Israelitas in adventu Messiæ suscitandos esse contendunt. Sed distinguendo tempora, & diem Messiæ, quo soli justi suscitabūtur, à die resurrectionis universalis discernēdo, cōtroversiā decidit, quæ quidem veterū rabbinorum traditio est, cui & ille adhæret, verùm recentiorum opinioni contraria. vid. supra pag. 139. & 171.

(8) Prout varii judæorum in sacris sunt ritus, sic etiam variis nominibus illos insigniunt. Hinc varii illi precationum & formularum, quæ festis aliisque diebus recitari solent, tituli, prout in publicarum precum libris exstant, quorum alii à naturâ rei, alii à circumstantiâ temporis, alii denique à scopo & instituto sunt desumpti. Sic בקשות *Petitiones* vel laudationes sunt, quas privatus matutino imprimis tempore, cubitu surgens vel in lecto, antequam Synagogam ingrediatur, recitat. זמירות *Cantiones*, quas dicit quamprimum Synagogam fuerit ingressus, & variæ sunt pro ratione temporis & cujusque festi quod celebratur. תפלת שחרית *Precatio matutina*, omnis generis preces continet quę matutino tēpore quovis die dicuntur in synagoga. תפלת מנחה *Precatio vespertina*, omnis generis preces vēspertinæ sunt, sumptâ voce מנחה *munus* per synecdochē pro tempore quo munus (vespertinum sc.) offerri solet. Vid. *Buxt. lex. Heb.* in מנח. תפלת ערבית *Precatio nocturna*: Preces sunt post solis occasū. קריאת שמע של לילה *Invocatio nocturna*, ejus qui super lecto ad somnum se componit. הטבת חלום *Benefactio somnii*, formulæ precandi, quibus somniator fausstum somnii sui eventum exoptat. קבלת שבת *Acceptio Sabbathi*, Laudes Dei in memoriam & honorem sabbathi

ab ipso instituti. ערבית של שבת *Preces nocturnæ ante Sabbathum*, quæ etiam dicuntur ליל שבת *Nox Sabbathi*. קדוש של שבת *Consecratio Sabbathi*, ritus & formulæ quibus sabbathum esculentis & poculentis consecratur. ברכת המזון *Benedictio cibi*, formulæ cibum benedicendi. זמירות השבת *Cantiones Sabbathi*, quæ Sabbatho decantari solent. יוצר של שבת *Formator sabbathi*, primarios notat ritus & preces qui sabbathi tempore matutino quo sabbathum orta luce formari incipit, peraguntur. Videtur locutio desumpta à dicto *Esai.*45,7. יוצר אור ובורא חשך *Formans lucem & creans tenebras*: ubi lux,quæ diem efficit, per יצר dicitur *formari*, tenebræ verò quę noctem faciunt, per ברא dicuntur *creari*. מוסף לשבת *Additamentum sabbathi*, ritus & preces sunt,quas matutino isti exercitio superaddunt, & sacris ad meridiem usque, quę supererogationis opera sunt,immorantur, ideò vocantur מוספין *Epimetra*, quod ad ea, ritibus יוצר של *matutinis*, uti decet,peractis,nō obligentur. Unde mirum quod homines isti conquerantur, se sabbathum non ritè observare, & hoc in causâ esse, quod Messias adventum suum tamdiu differat, cum tamen plus, quam tenentur, præstare videri velint. Cœterum, non sabbathum tantum sed & omnia alia festa sua habent מוספין, veluti מוסף לראש חדש *additamentum Novilunii*, מוסף לראש השנה *Additamentum Novi anni* מוסף לכפור *Additamentum festi expiationis* &c. מנחה לשבת *Oblatio sabbathi vespertina* (sumpta voce מנחה ut antea) notat preces sabbathi vespertinas, quę dicuntur post horam tertiam pomeridianam. מוצאי שבת *Exitus sabbathi*, preces & ritus sunt quibus sabbathum concluditur. Sic תקון ראש חדש *Apparatus novilunii*, תקון ראש השנה *Apparatus novi anni*, תקון פורים *Apparatus festi Purim* i.e. sortium in lib. Esth. תקון חנוכה *Apparatus festi Encæniorum*, de quo 1. *Macch.*4. תקון הטל *Apparatus roris*. תקון הגשם *Apparatus pluviæ*. Totidem, festa illa celebrandi, vel pro

terræ

terræ fertilitate & fructuum ubertate precandi, modi & formulę ſunt. ליל פסח *Nox Paſchatis*; ליל כיפור *Nox feſti expiationis.* Item קדוש ליל פסח *Conſecratio noctis ante feſtum Paſchatis.* Loci ſunt, qui varios ad iſta feſta ſe præparandi modos oſtendunt. Sic הלכות יום טוב *conſtitutiones diei boni*, i.e. feriati, quo in genere quodvis feſtum denotatur extra ſabbathum, & tria illa magna feſta quæ vocantur שלוש רגלים unde עמידה לשלוש רגלים *conſtitutio trium pedum.* i. e. trium feſtorum, quæ ſunt פסח *Paſchatis*, סוכות *Tabernaculorum*, שבועות *ſeptimanarum* ſc. 50. poſt paſcha, Pentecoſtes, dicta רגלים quod omnes maſculi pedibus ſuis ad illa aſcendere teneantur. הגדה *Narratio* i.e. Paſchatis hiſtoria, quæ in nocte paſchatis prælegitur. תפלת נעילה *Precatio obſerationis*, preces veſpertinæ ſunt in die jejunii, quæ dicuntur quãdo portæ ſolis obſerantur, i.e. quando Sol occidit. הושענא *Serva nos*, ſic alio modo vocatur feſtũ סוכות *tabernaculorũ* quod durat per integram ſeptimanam, Levit. 23. quiſque dies peculiare ſuam הושענא Hoſanna habet, i. e. ſuas precum formulas, ſeptimus autem dies, הושענא רבא *Hoſanna magnum* quia in ſabbathum incidit. Vocantur autem ſic, quia omnes hæ preces pro ſalute & proſperitate publica, item pro peccatorum remiſſione funduntur, & ſemper ſalutis & ſalvandi vocabula continent. Unde ipſæ preces dicuntur הושענות & ratio ſeu modus precandi תקון הושענות. Vide *Lex. Talm. in* שמחת תורה ישן. *Lætitia legis*, feſtum eſt quod judæi obſervant præter Dei inſtitutum, quo gratias agũt pro legis anni præter. ſtudio & cognitione. v. *Synag. jud. Buxt.* cap. 22. חמשה תעניות *Quinque jejunia*, publica ſc. quæ ſingulis annis celebrant. *Primum* עשרה בטבת *Decimo die Tebhet.* i.e. Decembris. *Secundum*, שבעה עשר בתמוז *Decimo ſeptimo Tammus.* i. e. Junii. *Tertium*, תשעה באב *Nono Abh.* i. e. Iulii. *Quartum* צום גדליה *Iejunium Gedaliæ*, 3. Septembris, in honorem iſtius herois, de quo *Ierem.* 40.

& 41. *Quintum* צום אסתר *jejunium Eſther*, In honorem Reginæ Eſther. Eſth. 4. 3. Quatuor priora fundantur in verbis *Zach.* 8. 9. Vid. *Buxt. Syn. cap.* 25. Eſt & תענית יחיד *jejunium privatum*, cui quiſque privatus peculiari inſtituto & tempore ſe poteſt adſtringere. תפלת הדרך *Precatio viæ*, quæ peregrè abeuntibus propria, & quidem itinere terreſtri, nam iter per mare inſtituenti convenit תפלת הים *Precatio marina* ſive nautica. וידוי שכיב מרע *Confeſſio decumbentis ex morbo*, Chald. Gen. 48. 1. Hactenus de titulis formularum precandi apud judæos, ex occaſione דרשה *Iotzer Schel Schabbat.*

(9) Hiſtoriola de anima Meſſiæ, ex libro *Peſikta* petita, communi apud judæos fundamento, de animarum omnium creatione eodem creationis univerſi tempore peractâ, nititur, de quo Deo dante in lib. 2. acturi ſumus. Sed amplius quid iſta narratione quàm hodiè percipiunt vel credunt judæi, pertendi conjicio. Quamvis enim recentiora talmudicorum figmenta, pro veritate obtruſa, hodie in magno apud judæos ſint pretio, nondum tamen priſca Patrum religio putidis fabulis conſpurcata & obſcurata uſque adeo in fumum abire potuit, quin ejus in antiquis præſertim ſcriptis (inter quæ & liber *Peſikta* de quo *Buxt.* in *Bibl. Rabb.* recenſetur) veluti rudera quædam ex mediis fabularum tenebris prominentia adhuc ſuperſint. Quod in Eſaiæ cap. 53. loco, quem de perpeſſionibus Meſſiæ pro peccatis populi iſte liber exponit, (quam expoſitionem hodie à judæis explodi poſtea videbimus) eſt conſpicuum. Iſtâque evidentia adductus, fabuloſam iſtam allocutionem æterno Dei decreto de mittendo filio, & æternitati Meſſiæ, quoad naturam ejus divinam, eſſe ſuperſtructam, mihi perſuadeo. Quicquid tamen ſit, certè de Patrum fide iſtud fuiſſe, ex ſcriptis propheticis contra judæos conſtanter aſſerimus. Vid. ſup. p. 88.

(10) Tra-

(1°) Traditio de sex millenariis & septimo intermissionis, ad materiam libri secundi spectat. Obiter tantum addo, si narratiuncula ex *Pesikta* adducta locum habet, (prout illam veluti testimonium magnæ authoritatis & momenti hic allegari videmus) res plana est, nullam judæis redemptionem exspectandam esse nisi sex illis millenariis in solidum exactis, traditur enim Messias Dei filios redempturus אחר ששת אלפים *post sex annorum millia*, quibus juxta calculum judæorum (qui jam à mundo condito numerant 5412.) adhuc sexcenti fermè anni desunt, quo toto tempore, nec literas vel nova ulla de Messia suo habituri sunt, nec erit quod Christiani de bellis Gog & Magog sibi metuant. Unde miror quod jam à tot seculis adventum Messiæ modò exspectaverint, cum ne jam quidem ulla adhuc spes affulgeat, donec sextus ille millenarius fuerit exactus. Hunc tamen scrupulum eximere conatur rabbi, dum non ita hæc intelligenda esse ait, quasi sextus integer in captivitate absumendus sit, sed ideo tantum hoc dici, quia in sextum incidit captivitas. Verùm ista responsio frivola est, sequeretur enim inde, etiam in sextum incidere debere liberationem, quod menti *Pesikta* contrarium, quę dicit *post sex millia* &c. Aliter sanè sentiunt *Abarbenel*, *Manasse Ben Israel*, aliique, qui tam ineptæ solutionis fundamentum nimis esse lubricum existimantes, quam ut spem suam & fiduciam in eo collocent, tot seculorum moram patienter adhuc ferre decreverunt, dum desideratam liberationem in finem mundi, i. e. sexti millenarii (mundus enim sex millenariis juxta traditionem absolvitur) rejiciunt, vid. sup. p. 139. & 175. Et hæc erat mens *Pesiktæ*. Sic tandem aliquando miseri homines in secundum Messiæ adventum incident, quem illi primum fore nunc existimant, sed in secundo pœnas daturi, qui primum, quod carnale regnum

gnum non reſtitueret, ludibrio habuerunt.

(11) Aggrediamur nunc carnificinam rabbinorum, nobiliſſimum dico vaticinium, Eſai. 53. ubi de Meſſiæ pro peccatis populi ſui perpeſſionibus, de quo aliqui Iudæi mihi confeſſi ſunt, rabbinos ſuos ex propheticis ſcripturis facilé ſe extricare potuiſſe, modò Eſajas tacuiſſet. Eſt hic locus aliquâ διατειβῇ dignissimus, cujus occaſionem nobis ex libro *Peſikta* offert noſter rabbi. Ut autem eò felicius in celeberrima hac controverſia, quam ex fundamento ex rabbinis quos videre mihi licuit, hic tractare viſum fuit, verſemur, de commodâ & perſpicuâ imprimis methodo, quæ in tantâ ſententiarum varietate multum luminis afferet, fui ſolicitus. Integrum vaticinium, juxta Abarbenelis partitionem, à verſ. 13. cap. 52. *Ecce proſperabitur ſervus meus*, usque ad finem cap. 53. comprehenditur. Super quo *quatuor Paraphraſium Claſſes* lectori ob oculos ponam, quibus ſubjungemus *examen* ἀναστευαστικὸν, quo rationum & argumentorum, quibus ab utraque parte pugnatur, pondus expendetur. *Prima* exhibet expoſitionem *veterum rabbinorum* i. e. eorum qui vel circa vel non multis poſt tempora Chriſti ſeculis vixerunt, *Ionathanis Paraphr.* ſcil. *Talmudicorum* & authorum veterum librorum, *Tanchuma* & *Siphre*, quorum fragmenta collegit R. *Simeon*, author libri *Ialkut*, quæ inde excerpſit CL. vir *Conſl. L'Empereur*, in libello quem de eadem materia ſcripſit, à quo illa, cum hactenus dictum librum jalkut nanciſci non potuerim, mutuavi. His addere poſſumus libr. *Peſikta*, qui etiam ex antiquioribus eſt, & quem noſter R. hic citat. Ex recentioribus autem illis accedit *R. Moſche Alſchech*, & alii fortè quos ego non vidi. Qui omnes de *Meſſiâ* imprimis vaticinium hoc exponunt. *Secunda*, *Rabbinorum neotericorum*, i. e. eorum qui poſt milleſimum à Chriſto nato annum ſcripſerunt,

in-

inter quos legi *R. Salomonem*, *Aben Esram*, *Kimchium*, *Lipmannum*, & *Abarbenelem*, magna nomina apud judæos, qui totum vaticinium detorquent ad *populum Israeliticum*, & à veterum expositione, quod illam causæ suæ minus favere videant, recedentes, nihil non moliuntur, & in omnes mundi plagas se vertunt, ut Christianis istum bolum eripiant. Instar omnium esse vult *Abarbenel*, qui in suam interpretationem sic præfatur הדעת האמתי שראוי להחזיק בו הוא באחד משני דרכים הדרך האחר הוא מכלל הפרשים שהנבואה הזאת נאמרה על ישראל שהוא נקרא ברבורי השם עבדי כמו שאמר עבדי יעקב ישראל עבדי וכבר יורה על זה שלמעלה מזה נאמר כי הולך לפניכם ה' וזה על ישראל אמרו בהכרח ואחר הפרשה הזו נאמר רני עקרה לא ילדה שגם כן נאמר על ישראל ואם כן הפרשה הזאת שנאמרה בנתים אין ראוי שתפורש כי אם על ישראל כמו הקודמת והמאחרת ממנה. הפרשה הזאת תחלק לשלשה חלקים החלק הראשון יספר הנביא בהצלחת האומה הישראלית ושתהיה הצלחתה ביחס שפלותה והכנעתה בגלות והחלק הזה תחלתו מן הנה ישכיל עבדי עד ואשר לא שמעו ה התבוננו והחלק השני יניח בו ההודאה והחברה אשר יתורו ויכירו וידעו כל האומות בזמן הגאולה בפשיעה וחטאתם על מה שהרעו לישראל במיני עגויים רבים תחלתו מי האמין לשמועתנו וכו' עד על לא חמס עשה ולא מרמה בפיו והחלק השלישי הוא מאשר הנביא מפרש ענין יסורי האומה על מה היו ומנטיחה בשכר שיגיעה באחרונה תהלתו וה' חפץ דכאו החלי וכו' עד כוף הפרשה והדרך השנית הוא שנראה לי שנאמרה הנבואה הזאת כולה על יאשיהו מלך יהודה והנני מפרש ה הפרשה כאשר ישם לבבי כפי כל אחד מן הדרכים האלה על פי הכתובים הנה ה התבארה הכוונה הכוללת בנבואה הזאת וחלקיה. *Verissima expositio, cui adhærere visum est, in alterutro ex duobus consistit modis.* Primus *convenit cum sententia aliorum interpretum, qui hanc prophetiam de Israele intelligunt, qui ab ipso Deo vocatur*: Servus meus. *Sicut alibi dicitur*, servus meus Iacob, Israel servus meus. *Nam respicit ad illud quod supra dixerat*: Præiturus est vobis Deus cap. 52. 12. *Quod necessariò de Israele intelligendum. Et post hoc vaticinium leguntur ista*: Canta sterilis quæ non parit, *quæ etiam ad Israelem spectant. Si hæc ita se habent, totum hoc vaticinium, quod inter ista duo continetur, aliter exponi non convenit quam de Israe-*

le, habito nimirum respectu ad illa quæ præcedunt & sequuntur. Atque ista expositio commodè dividitur in tres partes, Prima parte loquitur propheta de felicitate populi Israeliticí, quæ tamen felicitas conjunctam habet depressionem & humiliationem in captivitate. Et hæc pars initium sumit à verbis, Ecce prosperabitur servus meus, *usque ad illa,* quod non audiverunt animadvertent. *Parte secunda ponit confessionem & sermonem gentium terræ, quo peccata sua agnoscent & confitebuntur, quod Israelem tot malis & calamitatibus affecerint, hæc incipit à verbis.* Quis credit prædicationi nostræ ? Cap. 53. 1. *Usque ad illa.* Non fecit violentiam, nec dolus in ore ipsius, vers. 9. *Parte tertia habemus sermonem prophetæ, exponentis, quo fundamento nitatur fiducia istius populi quem firmiter confidere facit, se mercedem tandem consecuturum. Cujus initium est:* At Deus delectatur conterere ipsum &c. *Usque ad finem contextus.* Secundus *exponendi* modus *hic est; quod videatur mihi tota hæc prophetia quadrare in Iosiam regem Iuda. Exponam itaque nunc totum contextum, prout mente mea illum concepi, secundum utrumque modum hic propositum, idque pro ratione verborum hujus scripturæ, cognito generali integræ prophetiæ ejusque partium scopo.* Boni sagittarii legem observat iste homo, qui duplici telo, ad iterandum ictum, altero fortè aberrante, pharetram habet instructam, sed si vetus proverbium locum habet, ἁμαρτεῖν δὶς ἔνεστι ἐν πολέμῳ *in bello bis errare non licet*, explodendus nobis meritò esset, si stricto jure cum ipso agere vellemus, non enim duplicem literalem sensum admittit scriptura. Aut hoc voluit prophera. aut illud, si hoc voluit, non illud, si illud, non hoc, siquidem utrumque voluisse non potuit. Largiamur tamen jaculatori ut & secundum telum vibret, nos cum Diogene ad scopum tuti considentes, ὁ δ' ἵστατο βάλλοντα excipiemus. *Tertia* itaque expositio erit *Iolius Abarbene-*

lis,

lis, qui præter opinionem quam cum aliis communem habet, etiam de *Rege Iosia* totum contextum intelligi posse statuit. Quarta, *Christianorum* qui unicè eunt ad *Iesum Christum verum Messiam.*

Expositio Prima

DE MESSIA

TEXTUS ESAIÆ.	PARAPHRASIS VETERUM ET ALSCHECHI.
Cap. 52. 13. הנה ישכיל עבדי ירום ונשא וגבה מאד *Ecce prosperabitur servus meus, extolletur & elevabitur, & altus erit valde.*	IONATHAN CHALD. הא יצלח עבדי משיחא ירום ויסגי ויתקוף לחדא *Ecce prosperabitur servus meus* MESSIAS, *extolletur, crescet, & invalescet valdè.* TANCHUMA. הנה ישכיל עבדי זה מלך המשיח ירום ונשא וגבה מאד ירום מן אברהם שכתוב בו הרימותי ידי אל ה' וישא כמשה שכתוב בו כי תאמ' אלי שאהו בחיקך וגבה ממלאכי השרת שנ' גביהם וגונה להם וכן הוא אומר מי אתה הר הגדול שהוא גדול מן האבות *Ecce prosperabitur servus meus. Hic Rex* MESSIAS *est, qui extolletur, & elevabitur & altus erit. Extolletur supra Abrahamum, de quo scriptum est. Gen.* 14. 22. Extuli manum meam. *Elevabitur supra Mosem, de quo scriptum est, Num.* 11. 12. Quòd dices mihi, eleva ipsum in sinum tuum. *Altus erit supra angelos ministerii, quia dicitur. Ezech.* 1. 18. Et apsidibus earum altitudo erat. *Et sic dicitur Zach.* 4. 7. Quis es, O mons magne! *quia ipse major est patribus.*

R. ALSCHECH. ז"ל פה אחד קיימו וקבלו כי על מלך המשיח ידבר ואחריהם ז"ל נמשוך כי להיות כי הוא דור הוא משיח כנורע ומקרא מלא תנביא דבר בשם ה' ועבדי דוד יהיה עליהם למלך על כן יצדק בו אמרו ישכיל עבדי עליו כי ילמר כתים מן המפורש Et Paulò post הנה ישכיל ויצליח עבדי הוא מלך המשיח עליו כי כי ישכיל הוא ד"א ויהי דוד לכל דרכיו משכיל שהוא ענין הצלחה והנה הכלל ארבעה עולמות שהוא העולם השפל ועולם המלאכים ועולם הגלגלים ועולם ה העליון והנה הצלחתו תהיה בכולם כי ירום בעולם חזה ונשא בעולם הגלגלים כאשר היה ליהושע באמרו שמש בגבעון דום וכיוצא בו וגבה בעולם המלאכים שגם הם יהיו כרים אל משמעתו מאד יהיה כי גם תהיה לו הצלחה גם בעולם העליון לפניו ית' שהוא מאמרם ז"ל על פסוק שאל ממני שיהיה כבן יקיר מתחטא לפני קונו ואומר שאל ממני

ממני כו' הרי היות לו הצלחה בארבע עולמות והוא הנה ישכיל כו' כי בד' חיבות אלו ירום ונשא וגבה מאד נכללו ארבעתן כמרובר *Rabbini b. m. uno ore juxta receptam traditionem statuunt, hic de Rege* MESSIA *sermonem esse. Hoc cum ita sit, colligimus inde hunc esse Davidem, Messiam nimirum, uti manifestum est, ipsa enim scriptura sic supplet, ubi propheta* (Ezech. 37. 24.) *Dei nomine dicit*: Et servus meus David Rex erit super ipsos. *Propterea que eidem convenit hæc locutio*: servus meus prosperabitur, *discitur enim obscurius ex eo quod explicatius est propositum.* Et Paulò post: *Prosperabitur.* i. e. *secundabitur servus meus. Hic Rex Messias est, nam ille prosperabitur, sicut dicitur*: David in omnibus viis suis secundabitur. 1. Sam. 18. 14. *Vbi prosperè agendi vocabulum est, quod quatuor mundos complectitur, qui sunt, mundus inferior, mundus angelorum, mundus sphærarum, & mundus supremus, eritque ejus prosperitas in omnibus illis.* Extolletur *enim supra mundum præsentem, &* elevabitur *supra mundum sphærarum, prout extat de Iosuâ, cum diceret*: Sol in Gibeone subsiste, Ios. 10. 12. &c. Et altus erit *supra mundum angelorum, nam & illi in obedientia ipsius incedent,* (ex 1. Sam. 22. 14.) *Erit altus* valdè, *nam prosperabitur etiam in mundo supremo coram Deo, juxta illud quod Rabbini b. m. dicunt super versu,* Pete à me &c. *Psal.* 2. 8. *Quia erit instar filii, unicè dilecti, oblectantis se coram conditore suo, qui ipsi dicit,* pete à me &c. *Hæc est prosperitas ipsius in quatuor mundis, super quâ hic dicitur. Ecce prosperabitur, quæ ideo quatuor etiam vocibus exprimitur,* sc. Extolletur, elevabitur, altus erit, valdè, *quibus quatuor illi, uti dictum, comprehenduntur.*

Vers. 14. כאשר שממו עליך רבים כן מ משחת מאיש מראהו ו ותארו מבני אדם *Quemadmodum obstupuerint de te multi, sic corruptus præ quolibet aspectus ejus, & forma ejus præ filijs hominum.*

IONATHAN CHALD. תמא דכנרו ליה בית ישראל יומין סגיאין דהוה חשך ביני עממיא חוויהון וויהון מבני אנשא *Dum per multos dies ipsum exspectarunt domus Israel, contabuit inter gentes aspectus eorum, ex filiis hominum* sc. sublatus est.

R. ALSCHECH. באשר שממו עליך ישראל רבים בשתי החרבנות שכל עובר ישום וישרוק על כל הרברים הרעים שבשני המוסרים הכתובים בתורה אשר אפי' הנכרי אשר יבא מארץ רחוקה וראו את מכות כו' ישום וישרק ויאמר מה חרי האף הגדול הזה הנה כש'עור אשר שממו עליך רבים כן משחת מאיש מראהו ותארו וכו'

וכ' מחמת ריבוי הייסורין ועל פי דרכו כיון לומ' כי מה שנשחת מראהו הוא מאיש המביט בו אשר יראה צלם אלהים אשר בפניו כי אם בשר ועור וכן משחת תארו מ מבני אדם אך לא ממנו ית' הרואה אל הרוחניות או שעור התיכות משחת מה שהוא מאיש אך לא מח שהוא מ"קנה שהוא צלם אלהים וכן תארו ממש שהוא מבני אדם לא מה שהוא מלמעלה Quemadmodum multi super te obstupescunt, *O Israel! propter duplicem vastationem, ad quam omnis transiens stupet & sibilat* (ex Ierem. 19. 8.) sc. *super omnibus malis duplicis illius castigationis, in lege descriptæ, usque adeò ut quivis peregrinus & advena, qui è terra longinqua advenit, videns istas plagas &c. obstupescat & sibilet, dicatque quis iste tantæ iræ fervor est? Quemadmodum, inquam, super te obstupescunt multi, O Israel! Sic super* aspectu ejus corrupto, & formâ ejus *&c. Idque propter multitudinem afflictionum, ac si diceret: Quod aspectus ejus est corruptus, est hoc* מאיש à viro seu homine, *qui ipsum intuetur, qui imaginem Dei, quâ in facie ejus nil nisi caro & cutis apparet, aspicit, & hac forma corrupta videtur, ex parte scil. filiorum hominum, non verò ex parte Dei, qui spiritualia intuetur. Vel sensus verborum hic est: Corruptum est id quod est* מאיש à viro, vel humana natura, *non verò id quod est à Deo, quæ imago Dei est, atque ita per formam ejus, intelligitur id tantum quod est ab hominibus, non verò id quod est è cœlo.*

Vers. 15. כן יזה גוים רבים עליו יקפצו מלכים פיהם כי אשר לא ספר להם ראו ואשר לא שמעו התבוננו *Ita persperget stupore gentes multas, propter eum obdent reges os suum, quando quod non narratum fuerit illis, videbunt, & quod non audiverunt, animadvertent.*

IONATHAN CHALD. כן יבדר עממין כג'אין עלוהי ישתקון מלכין ישוון ידיהון על פומהון ארי דלא אשתיניאו להון חזו ודלא שמיעו אסתכלו *Sic disperget populos multos, super ipso obmutescent reges, apponent manus suas ori suo, quia, quod non enarrarunt ipsis, videbunt, & quod non audiverunt, animadvertent.*

R. ALSCHECH. וכאשר אדבר מעלותיו היו לו מחמת ייסוריו כן ע"י ייסורין יזה גוים רבים שכזכות זה יזה נצחם הוא רמם שיהיו לפניו כפרץ מים וכ"כ גדלו מעשיו לעיני הגוים כי יעליו יקפצו מלכים פיהם שיאמרו מה נדבר מגדולתו שנספיק לגמוד יעל כן יקפצו פיהם מלדבר עליו דברי גדולתו והוא בראותם כי אשר לא סופר להם ראו בו' שהוא כי כמה נבואות שנוגעים אליהם הנאמרות ע"י הנביאים מאשר הבא עליהם

עליהם ולא סופר להם כי הנביאים כתנבאים וכותבים ובלתי מספרים אל האומת עצמה כי אם ששמיעו הדבר בהמשך הזמן עתה ראו בפירוש ניעשח על ידו וכן אשר לא שמעו כלל מה דברים הנתידים ליעשות על ידו התבוננו שהוא כי דברים נוראים שניעשו יעל ידו אשר לא שמעו המלכים ההם בראותם אותם נעשים על ידו היו מתבוננים בדבר אם הוא כאשר נראה לעיניהם אם אין כי לרוב הכיתם היו כבלתי מאמינים ומתבוננים כמתפקים אם כמראה עיניהם כן הוא. *Quemadmodum per castigationes quadruplex ipsi dignitas obtinget, hic per easdem* dilperget *multos populos quos in ista dignitate disperget*, & alpergetur eorum robur, Elai. 63. 3. i. e. *sanguis eorum*. Erunt enim coram ipso veluti perruptio aquarum 2. Sam. 5. 20. *Et sic magnifica erunt ipsius opera in oculis gentium. Super ipso enim* occludent reges os suum, *cum dicent, quid de magnificentia ipsius dicemus ut sufficienter illam enarrare possimus? Propterea occludent os nec amplius de ipsius magnitudine loquentur, præsertim cum* videdunt id quod ipsis nunquam fuerat nunciatum, *multa sc. vaticinia ipsos concernentia à Prophetis de rebus, ipsis eventuris proposita. Non narratum fuit ipsis, prophetas ita vaticinatos fuisse & scripsisse, nulli fuerunt qui gentibus ista referrent, sed quando cum progressu temporis illa audient, tum videbunt, in expositione scil. quæ manu ipsius conficietur. Atque ita, quæ de rebus futuris per ipsum efficiendis prorsus* non audiverant, animadvertent, *i. e. tremenda quæ efficiet, regibus istis inaudita, quando viderint, rem intelligent, sive ita eveniat prout in oculis ipsorum videbatur sive non, nam præ stuporis magnitudine erunt quasi non credentes, & licet animadvertant, tamen quasi addubitantes, an species quæ oculis ipsorum offeretur, ita se habeat.*

Cap. 53. Vers. 1.

מי האמין לשמועתנו וזרוע יהוה על מי נגלתה

Quis credit Prædicationi nostræ & brachium Dei cui revelatur?

Ionathan Chald. מן הימין לבסורתנא דא ותקוף דרע גבורתא דיי כדון על מן אתגליאת *Quis credit huic annunciationi nostræ? & robur brachii potentiæ Domini, cui nunc revelatur?*

R. Alschech. הנה אין לתמוה על התבוננם על ראותם פלאות גדולות כבלתי מ מאמינים מה שראים כי הלא מי האמין לשמועתנו שהשמיענו מן השמים לכם אשר הם הדברים ש שלא שמיעו הם כי הם דברים נוראים מאד שביניכל שוכע יפלא וגם זרוע ה' על מי נגלתה כאשר נגלתה יעליו כי גם שזרוע ה' שרתה על משה בים כוף לא נגלתה רק אל

רק אל שר הים לברו אך עתה על מי נגלתה לבל כאשר על מלך המשיח כלל הדברים כל זה חשיגה ידו על יד זכות סובלו ייסורין על ישראל שהם יסורין של אהבה. *Nec mirum, quod animadvertentes & videntes mirabilia illa, erunt veluti non credentes id quod vident,* quis *enim* credat prædicationi noſtræ *quam de cœlo nos audire fecit pro vobis, de rebus quas ipſi non audiverunt, quæ terribiles ſunt valdè, eruntque mirabiles in oculis omnium qui eas audient.* Etiam brachium Domini, cui revelatum eſt? *q. d. ſuper ipſo revelatum eſt, licet enim etiam ſuper Moſe brachium Dei quieverit ad mare rubrum, non tamen fuit revelatum niſi principi maris, nunc cui revelatum eſt? omnibus, quemadmodum ſuper rege* MESSIA. *Senſus verborum eſt, quod manus ipſius omnia illa apprehendet, idque propter meritum caſtigationum quas pro Iſraele ſuſtinuit, quæ ſunt caſtigationes amoris.*

Verſ. 2. ויעל כיונק וכשרש מארץ ציה לא הדר לו ונראהו ולא מראה ונחמדהו *Aſſurgit ut tenera planta coram illo, & tanquam radix è terra ſolitaria, non eſt forma ei neque decor, & quando intuemur eum, non ineſt ſpecies ut deſideremus illum.*

IONATHAN CHALD. ויתרבא צדיקא קדמוהי הא כלבלבין דפרחן וכאילן דמשלח ש שורשוהי על נגדין דמיין כן יסגון תולדא ק קושא באריעא דחזת צריכת ליה לא חזו חולא חזויה ולא אימתה אימת הדיוט ויהי זו קושא זויה דכל דיחזנה יסתכל ביה *Et creſcet juſtus coram ipſo ecce inſtar ſurculorum qui germinant, & inſtar arboris qui emittit radices ſuas juxta rivos aquarum, ſic creſcent generationes ſanctitatis in terra quæ indigebat illo, aſpectus ipſius non eſt aſpectus communis, nec terror ipſius, terror vulgaris. Eritque ſplendor ejus, ſplendor ſanctitatis, quem, quicunque ipſum videbit, contemplabitur.*

R. ALSCHECH. הנה הפסוק זה והלאה הכתובים מורים באצבע כי דברי הנביא המה כמוכיח ובלמד דעת את העם או דברי העם ולא דברי ית' והוא מאמרו ונראהו ולא מראה ונחמדהו כי אינם צורקים ליאמר מפיו ית' על עצמו וכן אומרו נבזה ולא חשבנוהו שבפסוק שאחר זה וכן אומרו אכן חלינו הוא נשא כו' מר"ל שרשו הפסוקים הקודמים על מלך המשיח יראה כי פסוקים אלו ירבו על צדיק סובל יסורין של אהבה בעולם הזה על כן אמרתי כי עד פה תבוא אמרת ה' מרכרת גדולת המלך חכשיח בשכר ייסורי אהבה אשר סבל למען הודיעם את יד סובל יסורין כפה גדולה מעלתו חיא מאד ועתה הנביא ידבר בלשון כאלו בל ישראל

ישראל מדברים ומאמתים דבריו יתב' ומקבלים עליהם אמונה שלימה זאת ואומרים הנה אמרת ה' צרופה אשר השמיענו מבלך משיח פ' תחה אזנינו להסיר סמיות עיננו אשר היינו רואים איש צדק תמים מרוכה בייסורין נבזה מאד ויהי בעינינו בזוי ושפוי ביניי אלהים וארם באמת באמור אלהים יעזבו אין זה כי אם שגם בעיניו ית' נבזה הוא ועל כן כחי ומאום שמהו אך יעזה הוא ית' העיר לנו אזן כי גדלו ייסורין של אהבה יע אין קץ לכן מיעזה יגדל נא כח אשר נראהו צדיק ושפל רוח נגוע מוכה כי או נסבים ונאמ'אין זה כי אם שחליינו הוא נשא וייסוריו הן להנן יעל הדור והן אלה דברי הנביא כאלו כל ישראל יחד מדברים ואומרים ויעל כיונק כו' לומר הנה ראינו כי שהוא כיונק שיש לו מים כ' יונק שגדל ועולה אך אין זה רק לפניו של השם הנו' כאומרו וגוע ה' שהוא הצדיק הגמור סובל ייסורין כי לפניו ית'היה מצמיח גדל ויעולה ביעולם העליון אך בארץ לפנינו היה כשורש היוצא מארץ ציה כ' אינו יונק כי אין לו מים כי יינק והוא כי עני הוא ויעל כן ביעולם הזה לא תואר לו ולא הדר ונראהו לפי מראה עינינו כי חשך משחור הי סורין תוארו וכחשו בפניו יענה ולא היה לו מראה שנחזהו על צדקו כי אדרב' נמאס בעינינו *Versus hic & qui sequuntur, digito monstrant, verba hæc esse propheta, quasi erudientis & scientiam docentis populum. Vel sunt verba populi, non autem verba Dei, quod patet ex illis*: Et vidimus ipsum, sed nō erat aspectus ut desideremus ipsum, *quæ Deo tribui non possunt, quasi ex ore ipsius provenerint.* Item ubi dicit: Contemptus, ut non æstimemus illum, *quæ sunt in versu sequenti. Item cum dicit*: verè morbos nostros ipse tulit &c. *Etiam Rabbini b.m. qui præcedentes versus de rege Messiâ interpretantur, videntur hos sequentes exponere de* Iusto, *qui afflictiones amoris sustinet in hoc mundo. Ideo dixi, hucusque Deum esse locutum de excellentia regis Messiæ tanquam mercede pro castigationibus amoris quas sustinuit, ad ostendendum ipsis, quantam dignitatem afflictionum perpessio ipsi conciliaverit. Nunc verò loquitur propheta, ac si totus Israel loqueretur, Dei sermonem approbaret, & fidem hanc perfectam reciperet, dicens: Ecce sermo Dei defæcatus i. e. rectus est, quem de rege Messiâ nos audire fecit. Aperuit sic aures nostras, ut tollamus cæcitatem oculorum nostrorum, quod aspiceremus virum aliquem justum & integrum sed afflictionibus percussum, & valde contemptum, esseque in oculis nostris, velut contemptus & direptus in oculis Dei, & homo verè miser, dicendo, Deus ipsum dereliquit. Non autem sic, licet enim videatur contemptus in oculis Dei,* posueritq; ipsum velut purgamentum & rejectamentum, Thr. 3. 4. *At nunc aurem nobis excitavit, magna enim sunt castigationes amoris adeo ut finem non habeant, quapropter augeatur quæso abhinc virtus, quâ justum & humilem spiritu, afflictum, percussum consideremus, ut tum as-*

sen-

ſenſum noſtrum præbeamus, dicamuſque ejus rei aliam non eſſe cauſam quàm quod ipſe morbos noſtros ferat, ejuſque caſtigationes ſint in commodum generationis. Sunt itaque verba hæc prophetæ, ac ſi totus Iſrael ſimul loqueretur, dicentes: Vt tenera planta &c. *q. d. vidimus quis ille ſit, qui inſtar plantæ eſt, cui eſt aqua inſtar plantæ quæ creſcit & exſurgit, idque non niſi in conſpectu Dei, juxta illud:* Et brachium Dei, verſ. 1. *Iuſtus perfectus ſcil. ſuſtinens caſtigationes, hic enim coram Deo proſperatur, creſcit & exſurgit in mundo ſupremo, licet in terrâ in oculis noſtris ſit inſtar radicis, quæ provenit ex terra ſiccâ, quaſi planta ſit quæ aquam quâ nutriatur, non habeat, idque ideo quia afflictus eſt, & propterea in hoc ſeculo, nulla ipſi forma eſt nec honor, videturque nobis juxta aſpectum oculorum noſtrorum, quod caſtigationum* nigredine forma *ipſius* obſcurata ſit. Lam. 4. 8. *cum macies in facie ipſius appareat, & nullus in ipſo ſit aſpectus, ut deſideremus ipſum propter juſtitiam ſuam, nam econtra contemptus eſt in oculis noſtris.*

Verſ. 3. נבזה וחדל אישים איש מכאובות וידוע חלי וכמסתר פנים ממנו נבזה ולא חשבנוהו *Contemptus & abjectiſſimus virorum, doloribus affectus & familiaris morbo, & ut abſcondens faciem à nobis, contemptus ita ut non æſtimemus illum.*

Ionathan Chald. נבזה יהי לבוסרן ויפסק יקר כל מלכותא יהון חלשין ודין הוא כאנש כיבין ומוחן למרעין וכמא דהות מסלקא אפי שכנתא מננא בסירין ולא חשבין *Idcirco erit in contemptum, & abolebit gloriam omnium regnorum, erunt infirmi & mœrentes. Erit ſicut vir dolorum, & præparatus ad morbos* (infligendos) *& ſicut auſferens faciem majeſtatis à nobis, contemptis & non æſtimatis.*

R. Alschech ולא בלבד בעינינו היה נבזה כ"א גם בעיני עצמו מרוב חסידותו והוא נבזה וחדל אשים כו' לומר כי צדיק זה לרוב חסידותו היה נבזה בעיניו ולא בלבד בחיותו בין אישים שרואה עצמו בין אנשי מעלה ומחזיק עצמו לנבזה בעיניו בערכם רק נבזה גם בהיותו חדל ומשולל אישים שהוא בינו לעצמו ועם כל חסידותו הוא איש מכאובות וידוע חולי והוא כי יש שני מיני חולאים יש בעל מכאובות והולך על רגליו ויש בעל חולי כשחפת או קדחת שהוא מדוכא על מטתו על ערש דוי אך לא יכאב לו וזה יקרא ידוע חולי שנכנע מחמת החולי ואמ' כי שני מצאיות החולאי' נוסדו יחד על האיש הזה אין ההסתר פנים מצד עצמו רק על עון הדור אך הוא מקבל כאלו המסתר פנים הוא ממנו מצד עצמו בעונו וזהו אומרו וכמסתר פנים ממנו הוא ממנו על עונותיו וזה לרוב

לדוב צדקתו וענותנותו חושב שהוא רשע בעינו לוקה ויעודנו נבזה בעיני עצמו ולא חשבניהו גם אנחנו *Et non tantum in oculis noſtris contemptus eſt, ſed etiam in propriis ſuis oculis ob ſummam ſuam pietatem. Eſtque ipſe* contemptus & abjectiſſimus virorum &c. q. d. *juſtus ille præ ſumma pietate in oculis ſuis contemptus eſt. Idque non tantum, quali inter ſplendidioris conditionis viros conſiſtens, cum ipſis comparatus, ſe ipſum pro abjecto habeat, ſed quod revera ſe abjectum & præ omnibus inopem ſentiat. Et licet ſummè pius*, vir tamen dolorum & familiaris morbo. *Duo autem ſunt morborum genera, eſt enim vir dolorum qui tamen pedibus ſuis incedit, eſt & vir dolorum qui phthiſi aut febri laborat & hæret in lecto*, in ſponda languoris Pſal. 41. 4. *Dolorem tamen non ſentit, hic dicitur* familiaris morbo, *quod morbo depreſſum ſe videat. Dicit, utrumque morborum genus huic viro obvenire. Nec abſconſio faciei eſt ipſius reſpectu, ſed reſpectu iniquitatis generationis. Ipſe autem ita ſumit, ac ſi faciem abſconderet* ממנו à le ipſo *ob propriam iniquitatem, idque præ ſumma ejus juſtitia & humilitate, ſe ipſum reputans improbum, quaſi ob propriam iniquitatem percuſſus, & hinc in ſuis oculis eſt contemptus nec nos ipſum æſtimamus.*

Verſ. 4. אכן חלינו הוא נשא ומכאבינו סבלם ואנחנו חשבנוהו נגוע מכה אלהים ומעונה *Verumtamen morbos noſtros ipſe pertulit, & dolores ipſos noſtros bajulavit, quāvis nos æſtimemus ipſum plagâ affectum, percuſſum à Deo & afflictum.*

IONATHAN CHALD. נכן על חובנא הוא בעי ועויתנא בדיליה נשתבקון ואנחנא חשבין כתישין מחן מן קדם י׳ ומענן *Idcircò pro delictis noſtris ipſe deprecabitur, & iniquitates noſtræ propter ipſum condonabuntur, licet nos reputati ſimus contuſi, plagis affecti à Deo, & afflicti.*

PESIKTA. הוציא ה״ב נשמת המשיח ואמר לו רוצה אתה להבראות ולגאול את בני א אחד ששת אלפים אמר לו הין אמר לו א״כ ת הסבול ייסורין למרק עונם והוא דכתיב אכן ח חלינו הוא נשא אמר לו אסבול אותם בשמחה *Produxit Deus B. animam* MESSIÆ, *dixitque ipſi, vis ne tu ſanare & redimere filios meos poſt ſex millia annorum? Reſpondit ipſi, volo. Dixit ipſi, an etiam ſuſtinebis caſtigationes ad abſtergendum iniquitates eorum, ſicut ſcriptum*: Certe morbos noſtros ipſe tulit. *Reſpondit, ſuſtinebo illas cum gaudio.*

R. AL-

R. ALSCHECH. ולפי האמת ההסתר פנים לא היה מבנו רק מהעם כי אכן מאשר למדנו ממאמרו ית' בפסוקים הקודמים השכלנו כי אכן חליינו הוא נשא כו' ואמ' הוא כלומר כי הוא מעצמו חפץ לנושאם ואנחנו חושבנוהו שלא היה נוטלם מעצמו רק נגוע מוכה אלהי' הוא מרת הדין כדין על עונותיו ולא מאהבה *Et quia abſconſio faciei non eſt propter ſeipſum ſed propter populum, uti ex contextu verſs. præced. didicimus, hic intelligimus, quod verè* morbos noſtros ipſe fert &c. *q. d. ipſe ſua ſponte illis ferendis delectatur, licet nos æſtimemus, ipſum non ſua ſponte illos ferre, ſed eſſe plagis affectum, & percuſſum à Deo, idque ex proprietate judicii, propter peccata ipſius & non ex amore.*

Verſ. 5. והוא מחולל מפשעינו מדוכה מ מעונותינו מוסר שלומינו עליו ובחבורתו נרפא לנו *Nam ipſe dolore afficitur à defectionibus noſtris, atteritur ab iniquitatibus noſtris, caſtigatio pacis noſtræ imponitur ei, & tumice ejus ſit curatio nobis.*

IONATHAN CHALD. והוא יבני בית מקדשא דאתחל בחובנא אתמסר בעויתנא ובאולפניה שלמא יכני עלנא וכדנצית לפתגמוהי חובנא ישתבקון לנא. *Et ipſe ædificabit domum ſanctuarii quod profanatum eſt propter delicta noſtra, & traditum eſt propter iniquitatem noſtram, & per doctrinam ipſius creſcet pax ſuper nos, & ſi verbis ipſius auſcultabimus, delicta noſtra nobis condonabuntur.*

AGGADA SAMUEL. הוא מחולל ומפשעינו מדוכא מעונותינו מוסר שלומינו עליו ובחבורתו נרפא לנו רב הונה בשם ר' אחא לשלשה חלקים נתחלקו היסורין אחד לדוד ולאבית ואחד לדורו של הגזרה ואחד למלך המשיח ואומר ואני נככתי מ מלכי השיחות כמא דאתמר ויסע הארג עם המסכת מככתיו כמא דאיתאמר וכין לא סכתי משכתיו מן הי סורים אמרין למלך המשיח היכן את כבקש לדור אכר א אוף הא צריכה שאיל על ציון הר קדשי כשם שחייבין על מהיצתו והוא נגוי כך הם הי בים על מחיצתו והוא חרב *Ipſe dolore afficitur à defectionibus noſtris, atteritur ab iniquitatibus noſtris, caſtigatio pacis noſtræ imponitur ei, & tumice ejus ſit curatio nobis. Raf Huna, nomine R. Acha dixit: in tres partes diſtribuuntur caſtigationes, una fuit Davidis & Patrum, ſecunda, ſeculi exciſionis,* (Iſraelitarum in exilio) *tertia Regis* MESSIÆ *de quo dicitur:* Ego unxi regem meum Pſal. 2. 6. i. e. *contexui ipſum, juxta id quod dicitur,* exire fecit texturam cum jugo. Iud. 16. 14. Item, *unxi ipſum, juxta illud,* nec unguento unxeram me. Dan. 10. 3.

Extraxi ipsum (ludit & confundit משך cum נכך) *ex castigationibus si quis roget regem* MESSIAM, *ubinam domicilium quærat? Dicit, hic super mõte sanctitatis meæ expetitus est, quandoquidē ipsi contritionis ipsius fuerant rei, ut & illi vicissim, ipso in hoc loco constituto, ejus imperio sint subjecti.*

R. ALSCHECH. ולא כן הוה דק מה שהוא ידוע חולי הוא כי הוא מחולל מפשעינו על כן היה ידוע חולי ומח שגם ל'ו מכאובות הוא שהוא מדוכא מעונותינו שהוא נגוע על הפשעים שלנו ועל כן הוא עקר היותו נבזה הוא כי ביסר שלומנו הוא עליו כי אחר שהוא כבר מחולל מפשעינו ומדוכה מעונותינו הנה עד ין כל זה הוא למנוע ממנו יסידיו אך לשיהיה שלום וטובה קניינית צריך יסורין אחרים שהוא הותו גם כן מיעונה ברלות יעל כן עתה מוסר שלומינו עליו שהוא מוסר נוסף כדי שיהיה לנו שלום וטובה כי לסלק רעה מבשרנו שלא תבא עלינו הנה כבר בחבורתו של חולי ומכה נרפא לנו לשיהיה לנו שלום *Neque hoc solum est, quod sit morbo familiaris, sed imprimis quod* propter peccata nostra *ipse* vulneratur, *ideo morbo dicitur familiaris. Quod etiam dicitur affectus doloribus, est, quia propter iniquitates nostras percussus est,* & plaga affectus propter defectiones nostras. *Hæc ratio est, quod adeo sit contemptus, nam* castigatio pacis nostræ super ipso est, *non enim alio fine ipse dolore est affectus propter peccata nostra & percussus propter iniquitates nostras, quam ut ipsius castigationes à nobis prohibeantur.* Vt autem pax nostra *& felicitas stabilis sit, etiam aliæ castigationes requirruntur, quæ etiam super ipso, cum dicitur depressus,* scil. *ad tenuissimam conditionem. Atque ita castigatio pacis nostræ super ipso, quæ castigatio ipsi superaddita est, ut omnimoda nobis pax sit & felicitas. Etenim ut tollatur malum à carne nostra, ne nobis supervenias, ecce* tumice *doloris & plagæ* ipsius fit curatio nobis.

Vers. 6. כלנו כצאן תעינו איש לדרכו פנינו ויהוה הפגיע בו את עון כלנו *Omnes nos, ut ovis, erravimus, quisque in viam suam nos convertimus, & Deus facit ut incurrat in eum pœna omnium nostrûm.*

IONATHAN CHALD. כולנא כיענא אתברנא גבר לקבל אורחיה גלינא ומן קדם יי הות רעוה למשבק חובי כולנא בדיליה *Omnes nos, ut oves dispersi sumus, quisque in viam suam deportati sumus. In Deo autem fuit voluntas condonandi peccata omnium nostrûm propter ipsum.*

R. ALSCHECH. דרך הצאן שהלי הולכים אחר המשבוכית אם המשבוכית תועה כולם תועים מחמת האחרו' ומי יתן והיה כך שהיה א' התועה ואחרו' השאר ממשיכם אחריו כי אחרות אפי' לרעה הוא טוב כ"ש חבור עצבים כו' אך אנו בשני הרברים היה השינוי לרעה כי בצאן התועה

הזה

היה אחר ואנחנו היו התועים רבים והוא כלנו כצאן תיענו ושם היה הטעות הכולל נמשך מאחרות ואנחנו היה ע"י פירוד כי איש לדרכו פנינו שהטעות ה ה כולל ולא נמשך מאחדות כי אם מפירוד שאם היה באחדות לא נרלה אשמתינו כי הכור עצבים אפרי הנח לו וראונא חסרו ת'כי אחר שתיענו בפירוד היה ללקות בדרך נפרד שהוא לכל אחד ואחד כי כל א' בעונו הנפרד בורא קטיגור אחר הפוגע בו לייכרו זה' לא הביט בזה כי אם כלל אותנו כאחר וחשב עון כולנו יחד והפגיע את העון ההוא בצדיק זה וזהו הפגיע בו את עון כולנו. *Consuetudo ovium est ut omnes sequantur ducem, si ergo dux erraverit, omnes errant propter societatem.* v. d. *Utinam res etiam ita se haberet, ut unus duntaxat errans totam societatem post se traheret, nam tota societas licet etiam in malum eat, hoc tamen boni haberet, quia dicitur:* Conjunctus est terriculis &c. Hos. 4. 17. *At nos diversa ratione in malum imus, idque duplici consideratione* 1. *Quod in grege unus tantum erret, nos autem errantes multi simus, & hoc est quod dicit:* Omnes instar ovium erravimus. 2. *At ibi unus tantum universalis error est, qui ex ista conjunctione sequitur, nos autem, quia separati sumus,* nam quisque in propriam suam viam se convertit, *errorem committimus universalem, sed qui non sequitur ex conjunctione, verùm ex separatione, si enim conjunctim erraremus, reatus noster non usque adeò magnus esset, juxta dictum illud Hos.* Conjunctus est terriculis Ephraim, sine illum. *Aspicite autem hic benignitatem Dei, nam quia omnes separatim erramus, plagas etiam separatim, infligere posset, unicuique suas, prout iniquitas cujusque separata est, & quoties peccat, toties etiam novum accusatorem sibi acquirit, in se ad castigandum, incurrentem: Deus tamen ejus rei rationem sic non habet, quippe omnes nos velut unum virum & omnium nostrûm iniquitates velut unam simul complectitur, eamque incurrere facit in justum illum. Et hoc est quod dicitur:* Facit ut incurrat &c.

Vers. 7. נגש והוא נענה ולא יפתח פיו כשה לטבח יובל וכרחל לפני גוזיה נלמה ולא יפתח פיו *Exigitur pœna, & ipse affligitur, & os suum non aperit; ut parva pecus ad mactationem ducitur, & ve-*

IONATHAN CHALD. ביע והוא מתחב ויעד לא פתח פומיה מתקבל תקיפי עממיא וכמרה לנכסתא ימסר וכרחלא דקדם גזזהא שתקא ולית לקבליה דפתח פומיה ממלל מלא *Orans, ipse exauditur, adeò ut os suum non amplius aperiat,* (sc. ad orandum) *cum fuerit acceptatus. Fortissimos populorum instar agni ad mactationem tradet, & instar ovis quæ coram tonsore suo silet, & nemo erit coram ipso, qui os suum verbum loquuturus*

lut ovis coram tonsoribus juis obmutescens, neque aperit os suum.

turus aperiat.

R. ALSCHECH. אמ' הנה הצדיק הלז כל כך היתה תפלתו נשמעת שבהיותו נגש להתפלה מיד והוא ניענה מה"בה ולא יפתח פיו שמבלי פתוח פיו הוא ניענה כענין טרם יקראו אני אענה ועם כל זה בהיותו בצרת גופו כצאן לטבח יובל ונם בצרת הנכסי' כרחל לפני גוזזיה נאלמה כך הוא סובל ולא יפתח פיו לבקש על אחר מיכוריו להסירם מיעליו או לומר לא הם ולא שכרם וזהו ולא יפתח פיו כי הוא שמח בייסוריו V. D. *Ecce justus ille, licet oratio ipsius exaudiatur & quamprimum ad orandum appropinquat, responsum ferat à Domino* (confundit נגש *per sin*, tributum exegit, cum נגש *per schin* appropinquavit,) *adeoque, ut* os suum *ad orandum* aperiat, *necesse non habeat, juxta illud:* Antequam clament, ego exaudiam. Esai. 65. 24. *Nihilominus tamen in summa sua angustia veluti* parva pecus *ad mactationem abducitur & in facultatum inopia est instar ovis quæ obmutescit* coram tonsoribus suis, *sic ille perfert, & os suum non aperit, ut vel unicam ex castigationibus suis à se aufferat. vel dicat, nec illas volo, nec earum præmium. Et hoc est quod dicitur,* neque os suum aperit, *quia ipse lætatur in castigationibus suis.*

Vers. 8. מעצר ו וממשפט לקח ואת דורו מי ישוחח כי נגזר מ מארץ חיים מפשע עמי נגע למו *A coarctatione & judicio tollitur, at generationem ejus quis enarraturus est, nam exscinditur è terra viventium, ex defectione populi mei plaga est ipsi.*

IONATHAN CHALD. מיסורין ו ומפורענו יקריב גלותנא ופרישן דיתיבדן לנא ב ביומוהי מן יכול לאשהועאה ארי יעדי שולטן עכמיא בארעה דישראל חובין דחבו עמי עד לותהון י ימטו *A castigationibus & à pœnâ adducet captivitatem nostram, & miracula quæ fiens nobis in diebus ipsius, quis poterit enarrare? Nam aufferet dominationem gentium è terrâ Israelis, delicta quæ commisit populus meus, ipsis* (sc. gentibus) *supervenient.*

R. ALSCHECH. אמ' הנה עודנו חי הה מגין עתה שמת מיעוצר כו' כי מחכמת יעצור גשמים היעתיד לבא ומפ"ת משפט היעתיד לוקח להגין והנה בהגינו מפני הריעה והדור בלתי שב מיזונו שהיה גורם העוצר ומשפט יקרם יאמר ואת דורו מי יתן יבא מי ישוחח וירבר להם כי נגזר הדור מארץ ח חיים על העון שהגין הצדיק על כי הם לא שבו ממנו והטעם הוא כי עד כה מפשע היעם היה צדיק זה נגוע כו' אך מעוה מפשע עמי יהיה נגע למו בעצמם כי אין מי שיוכה על פשעיהם. V. D. *Ecce. cum adhuc viveret,* (justus ille) *ipse*

ipse protegebat (à malo sc. portans castigationem pro populo) *nunc autem mortuus propter cohibitionem pluviæ &c.* (confundit עצר *angustia*, cum בצורת *cohibitio pluviæ*, & exponit præf. מ non per *ab* sed *propter*, statuitque justum tolli, ne terram Deus feriat siccitate propter iniquitatem populi, cui percussionem justi non in vita tantum sed etiam in morte vult prodesse) *Nam propter pluviarum cohibitionem quæ futura est, & propter judicium quod futurum est, assumitur, ut sc. ab illo protegat. Sed tamen licet ipse protegat à malo, generatio tamen ab iniquitate sua se non convertit, sed magis ac magis pluviæ cohibitionem & judicium peccatis suis accersit, idcirco addit*: Et generationi (sumit את pro nota dativi) ejus quis enarrabit? q.d. *Vtinam daretur aliquis qui enarraret isti generationi*, è terrâ viventium *illam exscindendam esse, idque propter iniquitatem suam, cujus pœnam justus pro ipsis sustinuerat, à quâ pœnitentiam illa non egit. Sensus hic est: Hactenus propter populi defectionem hic justus percutiebatur, in posterum autem* propter defectionem populi mei *erit* plaga *sibi ipsi* (ipse populus proprii sui peccati pœnam sustinebit) *nullus enim amplius futurus est, qui propter defectiones eorum pro ipsis percutiendus sit.*

Vers. 9. ויתן את רשעים קברו ואם עשיר במותיו על לא חמס עשה ולא מרמה בפיו.

Posuit sepulcrum ipsius cum impiis, & cum divite in morte ipsius, quia violentiam non fecit, & non est dolus in ipsius ore.

IONATHAN CHALD. וימכור ית רשיעיא לגהנם ויתי עתידי נכסיא דאנסו במותא דאבדנא בדיל דלא יתקימון עבדי חטאה ולא ימללון נכלין בפומהון. *Tradet improbos inferno, & divites facultatum, quas diripuerunt, in mortem perditionis, ne stabiliantur operarii iniquitatis & ne loquantur dolos in ore suo.*

R. ALSCHECH. אחר אמרו כי לא בלבד הצדיק מטיב לרוחו בחיים חייתו שחליים הוא נושא כי אם גם במותו כי מעצר וממשפט לוקח מן העולם לכפר על הדור אמר עתה הנה על זאת יתחמין לבב אנוש לומר הלא בייסדין שיסבול הצדיק בחייו הלא לא יבצר שהוא נהנה ממקום אחר לפחות בתורה ומצות שהוא מקיים אך במותו שיכות בעד הדור וימנע ממנו טוב העולם הזה וגם טוב העולם הבא שימנע מתורה ומצות לז"א ויתן את רשעים קברו כו' לומר הנה אביא לך דיעה מרבן של כל הנביאים ומבחר שבכל הנבראים שכבל בשביל חדוד ציוך גם אחרי מותו שהוא יותר מהנלקח ב בעון הדור כי הוא נתן את רשעים קברו הוא מר"ש כח"ל שנקבר ב"חל עם סמ

מדבר

מדבר שהיו רשעים בלתי זוכים לבא לעולם הבא לולא נצטער משה ליקבר אצלם בחוצה לארץ להביאם עמו ולא נאשם על מה שנפר' אמרו רשעים על דור המדבר המתים על עון מרגלים כי זה הוא על דרך שפירשו ז"ל ואת פושעים נמנה ש שנמנה עם מתי מדבר ולא את אלו בלבד כי אם גם נקבר במדבר אשר שם ה היה קרח שהיה עשיר אשר שם הוא עם כל המתים בשבילו האומרים אתם ה המיתם עם ה' שנתן משה קברו אתם כלו' במדבר ההוא להביאם גם הם עמו ל לעולם הבא כנודע כי גם קרח ומותיו הם המתים בשבילו כולם יעלו עמו כמ"ש ז"ל. ש"ע תפלת חנה שאמרה מורד שאול ויגל ננזר ששוב קרח ויעלה משאול ז"כש מותיו המתים אתו עם כל דור חמדבר וזהו ויתן כו' ואת עשיר במותיו כלומר דאו נא אשר נורע שנתן את רשעים קברו הוא מר"ה שנקבר בחוצה לארץ ל להביאם עמו ולא בלבד עם דור המדבר להביאם כי אם גם את עשיר עם מותיו להביאם על לא חמס עשה כדור המדבר לישאר עמהם ולא מרמה בפיו באומ' ואם בריאה יברא ה' כו' לומר חלילה אולי חטא כדור המדבר או במה שהוציא מפיו על דבר קרח כי אם שקבל ציער הקבר ב"חל להטיב להם וזהו על לא חמס עשה כו'.

Quandoquidem dixerat justum non tantum benefacere generationi, dum vitam vivit animalem, morbos ferendo, sed etiam in morte quia propter cohibitionem pluviæ & judicium tollitur è mundo, ad expiandum peccata generationis: Regerere aliquis potuisset, cor hominis sic tristitia affici, dicendo; quod justus sustinet castigationes, non impedit quominus aliunde ipsi bene sit, saltem quoad studium legis & præceptorum, quæ observat, sed in morte ipsius quâ moritur pro generatione, prohibetur ab ipso bonum tum hujus tum futuri seculi quia à lege prohibetur. Ad hoc dicit: Et posuit cum improbis sepulcrum ipsius &c. *q. d. Ecce proferam tibi demonstrationem à principe omnium prophetarum, & præstantissimo omnium qui creati sunt, qui post mortem suam sustinuit afflictionem soluto majorem, propter iniquitatem generationis, quia ipse posuit cum impiis sepulcrum suum, Mosem dico, Magistrum nostrum cui pax, secundum sapientes b. m. qui sepultus est extra terram Israelis cum mortuis in deserto, qui impii erant & indigni ut fruantur futuro seculo, nisi dolore affectus fuisset Moses ut apud ipsos sepeliretur extra terram Israelis, eosque secum reduceret. Nec in eo delinquimus, quod per* improbos *intelligimus generationem deserti*, qui *mortui sunt propter peccatum exploratorum, sic enim Rabbini b.m. etiam expōsuerunt*: cum defectoribus numeratus est, v. 12. *quia numeratus est cum mortuis deserti, & non cum istis tantum, sed in deserto sepultus est, ubi est Corach, qui dives erat, qui ibi est cum omnibus qui mortui sunt, propter ipsum dicentes*: Vos morte affecistis populum Dei. Num. 16. 41. *Posuitque Moses cum omnibus illis sepul-*

sepulcrum suum in deserto illo ad reducendum etiam illos secum ad futurum mundum. Notum enim est quod etiam Corach, & mortui ipsius (sic exponit vocem מותי, confundens מותי *mortes ipsius*, cum מתים *mortui*, quasi עשר במותיו hic significet, dives, sc. Corach, cum mortuis suis) *i. e. qui mortui sunt propter ipsum, omnes ascendent cum ipso, prout tradunt Rabbini b. m. dicentes, quod virtute precationis Hannæ, dicentis:* demittit in sepulcrum & educit. 1. Sam. 2. 6. *concluſum sit apud Deum, ut Corach revertatur & è sepulcro ascendat, quanto magis, mortui ipsius, qui cum ipso mortui sunt, itemque tota generatio deserti. Hoc itaque est illud quod dicit:* Posuit &c. Et cum divite cum suis mortuis (pro, in morte ipsius) q. d. *videte quæso rem manifestam, quæ est quod posuit cum improbis sepulcrum suum, Moses scil. magister noster cui pax, qui sepultus est extra terram Israelis, ad reducendum illos secum & non tantum cum generatione deserti, sed etiam cum divite* (Corach) *& mortuis ipsius ad reducendum illos, quamvis ipse* (Moses) violentiam non fecerit, *sicut generatio deserti, ut necesse habuerit relinqui cum ipsis, nec* dolus in ore ipsius *fuerit, cum diceret:* Et si creationem creaverit Dominus &c. Num. 16. 30. *Ne dicat quis, quod peccavit forsitan sicut generatio deserti, vel eo quod ex ore suo aliquid contra Corachum produxit. Sed sepulturæ extra terram Israelis afflictionem eâ solummodo de causâ sustinuit, ut ipsis benefaceret. Hic verborum illorum,* licet violentiam non fecerit. &c. *sensus est.*

Vers. 10. ויהוה חפץ דכאו החלי אם תשים אשם נפשו יראה זרע יאריך ימים וחפץ יהוה בידו יצלח *Et Dominus delectatus est conterere ipsum, morbo affecit, si posuerit animã suam pro reatu, videbit semen, prolongabit dies, & voluntas Domini per eum prosperabitur.*

Cod. Jonathan Chald. ומן קדם יי הות רעוה למצרף ולרכאה ית שארה דעמיה ב בדיל לנקאה מחובין נפשהון יחזון במלכות משיחהון יסגון בנין ובנן יורכון יומין ועבדי אוריתא דיי ב ברעותיה יצלחון *Fuit autem beneplacitum à Deo, conflare & mundare residuum populi sui, ad purificandum à peccatis animam eorum, videbunt regnum* Messiæ *sui, multiplicabuntur filii & filiæ, prolongabunt dies, & operarii legis Dei in beneplacito ipsius prosperabuntur.*

Cod. Berachoth. אמר רבה בר הונא מי שה"קבה חפץ בו מרכאו ביסורין שנ' ויי חפץ דכאו החלי יכול אפילו לא קבלו מאהבה ת"ל אם תשים

אם תשים אשם נפשו מה אשם מרעת אף ייסורין מרעת ואם קבלו עליו מאהבה מה שכרו יראה זרע יאריך ימים ולא עוד אלא שתלמודו מתקיים בידו שנ' וחפץ ה' בידו יצלח *Dicit Rabba Bar Huna: In quo delectatur Deus, illum conterit castigationibus, uti dicitur,* delectatur Deus conterere ipsum, morbo afficit, *Sed fortè non lubens suscipit illas. Doctrina dicit: Si ponat* seipsam reatum anima ejus, *reatum sc. scienter, & castigationes scienter & ex amore suscipiat, quæ merces ejus?* Videbit semen, prolongabit dies. *Neque hoc tantum, sed & doctrina ejus stabilietur in manu ipsius, quia dicitur,* & voluntas Domini per eum prosperabitur.

R. Alschech. והלא האמ' למה זה שתים יעשה הוא ית' עם צדיק ה"ה שירבאנו ויחליאנו בחיי בעין הדור ואחרהו ילקח מהעולם בעונותם כו' ואין ה"כה חש בן יקיר ויאשם ל"וא תרץ כי הנה אשר ה' חפץ דכאו החלי בעין הדור וא"חכ אם תשים בשביל אשם הדור נפשו למות בעין הדור שנפשו תשים עצמה לאשם הדור לא יחוש כי מצד אשר ישמח כי על כן יט' לו הוא ית' ב נרצה' אחרים כי יראה זרע יאריך ימים יעקוק בהורה ומצות ויצליח שהוא כי ייסורין של אהבה שהם הבאים להנין על הדור אין בהם ביטול תורה וזהו וחפץ ה' בידו יצלח נמצא נהנה בעולם הזה ולעולם הבא *Dices, quare duplici isto modo cum justo procedit Deus, ipsum nimirum conterendo & morbo afficiendo in hâc vita propter iniquitatem generationis, & postmodum ex hoc mundo tollendo propter eorundem iniquitates: annon solicitum hoc habet Deum, quod tædio affici & peccare possit?* (præ nimia sc. in vita & morte iteratâ caltigatione) *Ad hoc nunc respondet: Scias, quod Deus delectatur conterere ipsum, & morbo afficere propter peccata generationis, postmodum autem, si anima ipsius seipsam tradiderit in reatum i.e. in mortem pro eorundem peccatis, non curabit, nam aliunde latabitur, & alio modo ipse Deus benefaciet,* videbit *enim* semen, prolongabit dies, *operam dabit legi & præceptis & prosperabitur, nam castigationes amoris, quæ ad protegendam generationem incumbunt, doctrina propagationem non abrogant: Et verba illa* Voluntas Domini in manu ipsius prosperabitur, *utilitatem continens hujus & futuri seculi.*

Vers. 11. מעמל נפשו יראה ישבע בדעתו יצדיק צדיק עבדי לרבים ועונותם הוא יסבול *Exemptum molestia se ipsum videns,*

Ionathan Chald. משעבוד עממיא ישיזב נפשהון יחזון בפורעניות כנויהון יסבון מכנת מלכיהון בהוכמתיה יזכי זכאי כדיל לשעבדא כוראין לאורית ויגל חוביהון הוא יבעי *A servitute populorum liberabit animam eorum, videbunt pœnam olerum suorum,*

satu-

saturabitur. Cognitione sui justificabit justus servus meus multos & iniquitates ipsorum ipse portabit.

saturabuntur præda regum ipsorum. In sapientiâ sua justificabit justos, ut multos servire faciat legi. Ipseque pro peccatis eorum deprecabitur.

R. ALSCHECH. אל יקוץ בעל נפש זאת על מוהו ביון הדור באמור כי היה חפץ לחיות יותר להשביע עצמה מזכיות כי חלא מיגמל נפשו אשר עד כותו עמלה יראה בסילוקו ממה ששבע על כן ברעתו ורצונו אני מייעץ שיצדיק מי שהוא צדיק ש שהוא עבדי לרבים ושעונותם הוא יסבול או שעור הכתוב כי בחייו ע"י מה ש שרואה לעומת ייסוריו יראה זרע כו' על כן ברעתו כלומר ברצונו יצדיק צדיק זה שהוא עבדי את הרבים וכל עונותם הוא יסבול ולא יקפיד *Ne talis homo averset mortem pro peccato generationis, ne desideret vivere diutius, ut se ipsum saturet meritis, nam* finito labore animæ suæ, *quæ ad mortem usque laborat, videbit in fine unde* saturari *possit. Ego itaque* in scientia ipsius *& voluntate hoc consilium do, ut ille* justus meus servus justificet multos,& iniquitates eorum ferat. *Vel sensus scripturæ est, quandoquidem in vita sua agnoscit se pro castigationibus visurum semen* &c. in scientia sua. i. e. *voluntate & desiderio multos justificabit justus ille servus meus, & omnes eorum iniquitates sustinebit, & non irascetur.*

Vers. 12. לכן אחלק לו ברבים ואת עצומים יחלק שלל תחת אשר הערה למות נפשו ואת פשעים נמנה והוא ה חטא רבים נשא ו ולפשעים יפגיע *Idcirco partem dabo ipsi pro multis, ut cum robustis partiatur prædam, pro eo quod profundit in mortem seipsum, & cum defectoribus annumeratus est, nam ipse peccatum multorum*

IONATHAN CHALD. בכן אפלג ל ליה בזת עממין סגיאין וית נכסי כרכין תקיפין יפלג עראה חלף דמסר למיתא נפשיה וית מרודיא שיעביד לאוריתא והוא על חובין סגיאין יבעי ו ולמרודיא ישתבק בדילי *Idcirco dividam ipsi prædam populorum multorum, & facultates civitatum fortissimarum, dividet spolium, ideò quia tradidit animam suam in mortem, & contumaces subjectos reddidit legi. Ipse pro peccatis multorum intercessit, & contumacibus condonatum est propter ipsum.*

COD. SOTAH. Fol. 14. דרש רבי שמלאי מפני מה נתאוה משה ליכנס לא"י וכי לאכול מפריה היה צריך או לשבוע מטובה אלא כך אמר משה הרבה מצות נצטוו ישראל ואין מ מתקיימות אלא בארץ אכנס אני כדי שיתקיימו

perferens, pro defectoribus interceſſit.

כלם יעל ידי אמר לו ה"בה כלום אתה מבקש אלא לקבל שכר מעלה אני עליך כאלו עשיתם שנאמר אחלק לו ברבים וגו' שמא תאמר כאחרונים ולא כראשונים תלכוד לומר ואת עצומים בתורה ובמצות תחת אשר הערה למות נפשו ש שמבר עצמו למיתה שנ' ואם אין מחני נא וגו' ואת פושעים נמנה שנמנה מכת מדבר הוא חטא רבים נשא שכפר על מעשה העגל ולפושעים יפגיע שבקש רחמים על פושעי ישר' שיחזרו בתשובה ואין פגיעה אלא תפלה שנ' ואתה אל תתפלל ב בעד העם הזה ואל תפגע בי. *Exponit R. Semlai. Quare deſideravit Moſes ingredi in terram Iſraelis? Eratne ipſi neceſſarium ut comederet fructum ejus, vel ut bonitate ejus ſe ſaturaret? Non, ſed hic cogitabat Moſes Magiſter noſter, multa præcepta data ſunt Iſraeli, quæ obſervari non poterunt niſi in terra Iſraelis, ingrediar itaq; ego ut tum obſerventur omnia per meam manuductionem. Reſpondit ipſi Deus; petis quidem aliquid, ſed ut præmium nanciſcaris, ego ſuper te venire faciam prout egiſtis, juxta illud*: Partem dabo ipſi pro multis &c. i. e. *Ego partiar ipſi præmium perfectum. Forte dices, cum poſterioribus & non cum prioribus* (i. e. ut cum poſterioribus terram ingrediaris) *Ecce doctrina dicit*: Cum robuſtis partietur ſpolium, *nimirum cum Abrahamo, Iſaaco, Iacobo*, (prioribus illis) *qui robuſti fuerunt in lege & præceptis. Et quare cum illis partietur?* Quia ſeipſum effudit in mortem, *i.e. ſeipſum tradidit mortis ſupplicio, dicendo.* Nunc an condonaturus es peccatum eorum? ſinon, dele me nunc de libro tuo quem ſcripſiſti. Exod. 32. 32. Et cum defectoribus numeratus eſt, *quia numeratus eſt inter mortuos deſerti.* Et ipſe peccata multorum pertulit, *nam peccatum conflati vituli expiavit.* Et pro defectoribus interceſſit, *quia miſericordiam petiit pro defectoribus Iſraelis ut ad reſipiſcentiam converterentur, interceſſio enim nihil aliud eſt quam precatio, juxta illud*: Tu ergo ne orato pro populo iſto, neque efferto pro iſtis clamorem & orationem &c. *Ier.* 11. 14.

SIPHRE. לכן אחלק לו ברבים שיעיד משה ליכנס נראש כל חבורה וחבורה בראש חבורה של בילי מקרא בראש חבורה של בעלי משנה בראש חבורה של בעלי תלמוד וליטול עם כל אחד ואחד שכר וכ"א ויתא ראשי עם. Idcircò partem dabo ipſi in multis, *quia Moſes conſtituendus erat caput omnis ſodalitii, caput ſodalitii virorũ Scripturæ, caput ſodalitii virorũ Miſchnæ, caput ſodalitii virorũ Talmudis, & ex unoquoq; præmium reportare debebat.* Sic enim ipſe dicit: Et venit cum primoribus populi. Deut. 33. 21.

R. ALSCHECH. בי לכן אחלק לו ברבים שיטול חלק ב"עה ברבים שוכו

על ידו על זכות היסורין ועל ש"אחב מת על עונות הדור על כן ואת עצומי' האבות ודומיהם יחלק שלל תחת אשר היערה למות נפשו בעד ישראל וגם זה תחת אשר את פושעים נמנה שבסובלו היסורים היו אומרים העם שהיה מוכה אלהים על פשעיו ומונים אותו בכלל פושעים וידע וסבל וחטא זה של רבים נשא ולא חשש לבעוס על ה' ואדרבה לפושעים שהוא כי בשביל הפושעים האומרים זה בפשיעה ולא בשגגה בזולתם ה"ה זה מפגיע ומתפלל בעדם את הק"בה. Idcircò partem dabo ipsi cum multis, *ut in mundo futuro reportet partem cum multis, qui digni facti sunt per ipsum, nimirum per meritum castigationum, & demceps per mortem pro peccatis generationis. Ideò etiam* cum fortissimis *ex patribus, ipsisque similibus* partietur spolium, *pro eo quod* seipsum in mortē profudit *pro Israele, & quod* cum defectoribus numeratus est, *dicebant enim, cum castigationes portaret, ipsum à Deo percussum esse propter peccata sua propria, atque ita cum defectoribus ipsum numerabant, quod ille scivit, & tamen patienter tulit, illudque multorum peccatum portavit, nec inde agritudine affectus est, ut ipsis irasceretur. Econtrâ pro peccatoribus illis, ea etiam de causa quod istud non ex errore sed merâ malitia dicerent, & ideo peccarent,* ipse intercessit, *& Deum pro ipsis precatus est.*

Expositio Secunda

DE POPULO ISRAELITICO

TEXTUS ESAIÆ.	PARAPHRASIS RECENTIORVM.
Cap. 52. 13. הנה ישכיל עבדי ירום ונשא וגבה מאד *Ecce prosperabitur servus meus, extolletur & elevabitur, & altus erit valde.*	R. SALOMO. הנה באחרית הימים יצל ח עבדי יעקוב צדיקים שבו *Ecce in fine dierum* prosperabitur servus meus IACOB, *justi revertentur.* R. D. KIMCHI. הפרשה הזאת נאמרה על גלות ישראל וקרא אותו ערבי כמו שאמר ואתה ישראל עבדי יעקב אשר בחרתיך. אמר ה הנה יבא עת שיצליח עבדי וירום ונשא וגבה מאד ישכיל יצליח כמו ויהי דוד בכל דרכיו משכיל וכן תרגם יונתן ויצלח ואמר ירום ונשא וגבה אמר לשון הגיעלה בכל לשון לפי שמעלתו תהיה מעלה יתרה ועתה אפרש הפרשה כמו שפרשה אדני אבי ז"ל *Sectio hæc dicta est de captivitate* ISRAELIS. *Vocatque illum*, servus meus, *sicut dicitur.*

Tu Israel serve mi, tu Iacob quem elegi. Esai. 41. 8. *Dicit: Ecce veniet tempus, quo prosperabitur servus meus, extolletur, elevabitur, & altus erit valdè.* ישכיל intelligenter aget *est sicut* יצלח prosperabitur, *juxta illud.* Eratque David in omnibus viis suis intelligenter agens. i.e. *felix*, 1. Sam. 18. 14. *Et sic exponit Ionathan*, ויצלח Et prosperè aget: *Dicitque* Extolletur &c. *Vtitur exaltandi verbo triplici expressione, prout dignitatis ejus gradus admodum erit excellens. Nunc itaque exponam sectionem hanc, sicut illam exposuit pater meus b. m.*

ABEN ESRA ואת הפרשה קשה מאד אמרו בעלי פלונתינו שהוא רמז לאלהיהם ויפרשו עבדי הגוף וזה לא יתכן כי הגוף לא ישכיל ואפי' כשאדם חי עוד מה טעם יראה זרע יאריך ימים והוא לא חיה לו כן ועוד יאריך ימים ולא היה כן ועוד ואת עצומים יחלק שלל והראיה גמורה כי למעלה כי הולך לפניהם ה' והם ישראל ואחר כך רני עקרה והוא כנסת ישראל והנה טעם עבדי כל מי שהוא בגלות מישראל והוא עבד השם ורבי' פירשוהו על משיח בעבור שאמרו קדמונינו ז"ל כי ביום שחרב בית המקדש נולד משיח והוא אסור בזיקי' והנה אין טעם לפסוקים רבים נבזה וחדל אישי' מיצר וממשפט לקח ויתן את רשעים קברו ומה טעם יראה זרע יאריך ימים והגאון רב סעדיה ז"ל פירש כל הפרשה על ירמיה ויפה פירש וטעם יזה גוים רבים בפיו בדרך נבואתו גם כתב בתחלת ספרו כונק לפניו כי קטן היה כאשר נתנבא ויי' הפגיע בו והוא הטעה רבים נשא כי כן כתב וכר עמרי לפניך לבקש עליהם טובה כשה לטבח יובל וכן כתב ואני ככבש אלוף יובל לטבח ופרש ואת עצומים יחלק שלל יעל ארוחה ומשאת שנתן לו רב טבחי. והנכון בעיני כי כל הפרשה דבקה כי מה טעם להזכיר ירמיהו אחר הנחמות ולפני הנחמות והנה ידבר על כל עבד ה' שהוא בגלות או יחיה יעברי כמו ישראל עבדי וזה קרוב מזה והנה ישכיל יבין יעברי כי עוד ירום ונישא מנגין נפעל. *Est hæc sectio difficilis admodum. Dicunt adversarii nostri, hic indigitari* DEUM SUUM, *exponuntque*, servus meus, *de corpore, hoc autem non convenit, corpus enim non agit prospere, & licet homo vivat, quis tamen sensus esset?* Videbit semen, prolongabit dies. Cap. 3. v. 10. *Hoc enim ipsi sic non evenit, dies suos non prolongavit. Vti nec illud*: Cum robustis partietur spolium, vers. 12. *Res autem est manifesta, quod illa quæ supra dicuntur*: Præiturus est vobis Dominus vers. 12. *spectant Israelem, item quæ sequuntur in fine*, canta sterilis &c. cap. 54. 1. *Quæ congregatio Israelis est. Per* servum *itaque* suum *intelligit* VNUMQUEMQUE EX ISRAELE *qui est in captivitate, & servus Dei est. Multi exponunt de* MESSIA *quia Majores nostri b. m. dixerunt, die, quo vastata est domus sanctuarii, natum esse Messiam, ipsumque compedibus esse vinctum, sed in nonnullis versibus iste sensus obtinere non potest, uti*: Con-

tem-

temptus & abjectissimus virorum cap. 53.3. A coarctatione & judicio tollitur, v. 8. Posuit cum improbis sepulcrum ipsius v.9. *Item quis sensus esset in illis?* Videbit semen, prolongabit dies. v.10. *R. Saadia Haggaon integram sectionem exponit de* IEREMIA, *estque expositio illa conveniens, ubi dicitur*: Persperget gentes multas, c. 52.15. *sc. ore suo per prophetiam suam. Item.* Assurgit ut tenera planta, cap. 53.2. *talem enim se gerit in initio sui libri quia parvus erat cum prophetare inciperet. Etiam Deus ipsum* intercedere *fecit*, vers. 12. *ut multorum peccata condonaret, quia ipse dicit*: Recordare me stetisse coram te, ut loquerer pro eis bonum. Ier. 18.20. *Præterea*, velut parva pecus ad mactationem ductus est. vers. 7. juxta illud: Eram sicut ovis aut bos qui ducitur ad mactandum. Ier. 11.19. *Illud etiam*, cum robustis partietur prædam, v. 12. *exponit de viatico & munere quod ipsi dedit præfectus satellitum.* Ier. 40.5. *Verùm videtur mihi, totam hanc sectionem cohærere cum præcedentibus & sequentibus, qua itaque ratione mentionem faceret Ieremiæ, post consolationis materiam & ante illam? Alloquitur ergo omnem Dei servum in captivitate, aut* servus meus *est sicut* servus meus Israel, *quæ res eodem recidit.* Prosperabitur, i. e. *intelligenter aget servus meus*; Exaltabitur *eum* & elevabitur *quod est conj. Niphal.*

ABARBENEL והו החלק הראשון שבו יספר הנביא ההצלחות שיגיעו לאומה בזמן גאולתה ועניני כי לפי שיעד הנביא למעלה על גאולתם כמו שאמר כי לא בחפזון תצאו וגו' אחרי המעלות אשר יזכה אלהים עם ישראל בזמן גאולתם וקראו עבדי לפי שבכל הגלות שנים רבות ויצומות על דבר כבוד השם ולא עזב תורתו ומצותיו ועבודתו כענין הנאמן לרבו ואמר הנביא שישראל בגלות היו משולים מארבע מעלות שהיו להם מקדם המעלה הראשונה היא בחכמה וידיעה ר"ל שבמקום שהיה מקדם עם הכם ונבון הנה בבואם בגלות אבדה חכמת חכמיו ובינת נבוניו נספתה ובאשר המשורר מתרעם על זה ואין אתנו יודע עד מה והמעלה השנית היא מעלת המלכות רוצה לומר שבמקום שהיו עליונים למלכי ארץ במעלה ומלכות הנה בגלות ישבו לארץ יהמו זבחו מקצה הכבוד והמלכות אל קצה השפלות והתבזיה והמעלה השלישית היא הנבואה שבמקום שהיו ביניהם מקדם לחקת נביאים הנה בבואם בגלות לא מצאו חזון מה' ובשאמר המשורר מתרעם על זה אותותינו לא ראינו אין עוד נביא והמעלה הרביעית היא תשבינה שהיתה בינה' ובבואם בגלות הסתיר פניו מהם ומהמקום שהיו דבקים למעלה השלך משמים ארץ תפארת ישראל והרוחקם מעליו ויעד הנביא שבזמן הגאולה העתידה תשוב האומה לזכות מארבע מעלות האלה בנגד המעלה הראשונה שהיא מה דיעה והחכמה אמר הנה ישכיל עבדי וגו' וכנגד המעלה השנית מהמלכות אמר רום וגו' וכנגד המעלה השלישית מהנבואה

אמר

אבר ונשא וגו' וכנגד המעלה הרביעית מהדבקות האלהי אמר וגבה מאד וגו' *Hæc pars prima est, quâ narrat propheta prosperos successus qui Israelitica genti tempore redemptionis suæ obvenient, postquam enim superius de redemptione testimonium perhibuisset, dicens:* non festinatione exibitis. Esai 52. 12. *Mentionem postea facit dignitatum, quibus cohonestabitur* POPULUS ISRAELITICUS *tempore redemptionis. Vocat ipsum,* Servus meus, *quia duo maxima & gravissima exilia pro gloria Dei sustinuit, neque tamen à lege ejus, præceptis & sacro cultu defecit, prout fidelem servum erga Dominum suum decet. Indicat autem propheta, Israelem in captivitate quadruplici dignitate privatum esse. Prima dignitas est Sapientia & cognitio i. e. loco ejus quod olim populus esset sapiens & intelligens, ecce in captivitate periit sapientia sapientum, & intelligentia intelligentium abscondita est, ut verè Psaltes conqueratur:* Non est apud nos qui sciat usque quò Psal. 74. 9. *Secunda dignitas est Regnum. i. e. loco ejus quod dignitate & imperio omnibus terrarum regibus essent superiores ecce in captivitate in terram depressi, & ab extremitate gloriæ ad extremitatem abjectissimæ conditionis pervenerunt. Tertia dignitas est Prophetia & onus propheticum quod quotidie ipsis ferebatur per cœtum prophetarum, at in captivitate nulla ipsis visio, ut verè Psaltes:* Insignia nostra non videmus, non est amplius propheta. Psal. 74. 9. *Quarta dignitas est Schechina seu præsentia Divinæ Majestatis. At in captivitate faciem suam abscondit ab ipsis, & loco ejus quod antea cœlo agglutinati essent, è cœlo in terram projecit omne decus Israelis, eosque à se removit. Testatur autem propheta, tempore redemptionis futuræ populum ad decus quatuor istarum dignitatum reversurum. Primæ restitutionem, quæ sapientia & cognitio est, promittit in verbis,* prosperabitur *seu* intelligenter aget servus meus, &c. *Secundæ, quæ regnum est, in voce,* Extolletur &c. *Tertiæ, quæ prophetia est, in voce,* Elevabitur. &c. *Quartæ, quæ Divinæ Majestatis præsentia est, cum dicit:* Altus erit valdè &c.

R. LIPMAN. אין הפירוש כאשר דימו שישכיל עבדי קאי על אדם אחד אלא הוא קאי על כלל אחר שיש בו רבים הרע שנ' ואת עשיר במותיו ולא אמר במותו ואדם אחד אי אפשר שימות פעמים ועוד שסוף הפרשה מסיים ואת נחלת עבדי ה' לשון רבים וכן עוד בהרבה מקומות קורא ישעיהו כל ישראל בלשון יחיד בלשון עבר ואתה ישראל עבדי וגו' וכן קראהו בלשון שפל אל תירא תולעת יעקב. והגלות קורא בלשון חבורה ומכה שנא' למעלה ואור החמה וגו' וביום חבוש ה' את שבר עמו ומחץ מכתו ירפא. ובן בראש הספר כתוב מכף רגל ועד ראש מתום פצע וחבורה

וחבורה ומכה טריה וכל אלה יעל הגלות קאי לכן הכי פרושו הנה ישכיל עבדי על ישראל קאי שקרוין עבדי בלשון יחיד כדפרשתי. אבל לא על כל ישראל כי אם יעל הצדיקים שבהם כי הרשעים שבהם אינם בכלל עבדיו שהרי אינם עוברים א אוהו בשררה *Expoſitio verborum*, proſperabitur ſervus meus, *non eſt, ut aliqus ſibi imaginantur, de uno aliquo individuo, ſed de uno complexo in quo multi ſunt. Scias enim dici*: Et cum divite in mortibus ſuis. cap. 53. 9. *Non* in morte ſua, *non autem eſt poßibile ut unus homo ſæpius moriatur. Præterea, poſt finem hujus ſectionis, in verbis*: Hæc poſſeſſio ſervorum Domini c. 54. 17. *oſtendit, in numero plurali ſumendum eſſe. Sic in multis aliis locis nuncupat Eſaias totum Iſraelem nomine unius, eum vocans* ſervum. Tu Iſrael ſerve mi. c. 41. 8. &c. *Etiam titulo valdè humili ipſum vocat*, ne timeas vermicule Iacob. v. 14. *Sic etiam totam captivitatem appellat* tumicem, plagam &c. *Vti ſupra.* cap. 30. 26. Erit lux ſolis &c. Quo die obligaverit Dominus fracturam populi ſui, & fractionem plagæ ipſius curaverit. *Sic initio libri ſui ſcribit* cap. 1. 6. A planta pedis uſque ad caput non eſt integritas, ſed vulnus & tumex & plaga ſanioſa, *quæ omnia de captivitate prædicantur. Senſus itaque verborum*, proſperabitur ſervus meus, *reſpicit* ISRAELEM *qui in numero ſingulari vocatur* ſervus, *ſicut expoſui, non tamen totum Iſraelem, ſed ſolos juſtos in Iſraele, nam impii inter illos in ſervorum Dei numero non recenſendi ſunt, quia ipſi, uti decet, non ſerviunt.*

Verſ. 14. כאשר שממו עליך רבים כן מ משחת מאיש מראהו ו ותארו מבני אדם *Quemadmodum obſtupuerint de te multi, ſic corruptus præ quolibet aſpectus ejus, & forma ejus præ filiis hominum.*

R. SALOMO. כאשר תמהו עליהם עמים רבים בראותם שפלותם ואמרו זה אל זה כמה משחת מאיש מראהו ומה תארם חשוך משאר בני אדם כן כאשר אנחנו רואים בעינינו. *Prout populi multi ipſos mirantur, videntes abjectam eorum conditionem, & dicentes inter ſe, quam corrupta præ quolibet eſt aſpectus ejus, & forma ejus obſcurata præ filiis hominum, ita ſe habet, ſicut oculis noſtris videmus.*

R. D. KIMCHI אמ' כאשר תמהו מרוב שפלותך והדין היה אליהם שיתמהו כי היו רואים שהיה משחת יותר מכל איש מראהו ותארו יותר משאר בני אדם ואשר מדבר פעם לנכח כמו שיאמר יעליך ופעם שלא לנכח כמו שאמר מראהו ותארו כן דרך המקרא בכמה מקומות והחכם רבי אברהם פירש כי כן משחת מאיש מראהו דברי הגוים שיתמהו על ישראל

ישר אל ויאמרו כי משחת מאיש מראהו כי כמה גוים יש בעולם שיחשבו כי צורת היהודי משונה מכל הצורות גם יש בהם ששאלו היש ליהודי פה או עין כן הוא בארץ ישמעאל ובארץ אדום. V. T. *Quemadmodum miramini in vobis ipsis summam abjectionem, causam enim mirandi habebant, videntes aspectum suum corruptum præ quolibet, & formam suam præ reliquis hominum filiis. Quod autem modò loquatur in persona secunda, modò in persona tertia, ut* aspectus ejus, forma ejus, *iste scripturæ in multis locis mos est. Exponit R. Abraham, ista verba*: sic corruptus præ quolibet aspectus ejus &c. *esse sermonem gentium, quæ mirantur statum Israelis, æstimantes, ejus conditionem omnium mortalium abjectissimam esse, imo dantur inter illos, qui interrogare audent, an judæi etiam os vel oculos habeant? Tam viles habentur inter Turcos imprimis & Christianos.*

ABEN ESRÆ, qui est R. Abraham expositionem vide apud Kimchium.

ABARBENEL exponit uti Kimchi.

R. LIPMAN. והנביא רבר עם ישראל ואמר להם כאשר שממו עליך ר רבים וגו׳ כלומ׳ האומות שהם רבים רואים כמה צדיקים וחגדולים כשיעלו בגולה ובשעת הגאולה יתמהו עליהם ויאמרו האומות חשבנו אותם בעלי עבירות וארבה עונותינו מבל שה״קבה שלח רבר ורעב ויתר פורענות לעולם בעון האומות ונפגיע על ידם הצדיקים שלא פשעו. *Alloquitur propheta Israelem, dicens ipsis,* Quemadmodum obstupuerint de te multi &c. V. D. *Gentes, quæ multæ sunt, cum viderint plurimos justos & magnos, quemadmodum in captivitatem deportatos mirataæ sunt, sic tempore redemptionis quoque mirabuntur, dicentes: Nos istos pro viris transgressionum habebamus, sed econtra jam videmus, illos nostras iniquitates sustinuisse, immitteret enim Deus mundo pestem, famem, aliasque pœnas propter gentium iniquitatem, nisi justi qui non prævaricati sunt, us afficerentur.* NB. Sic transilit ad versum quintum capit. 53. & intermedios non attingit, quod fcil. eorum sensum ex hoc ipso petendum esse intelligat.

Vers. 15. כן יזה גוים רבים עליו יקפצו מלכים פיהם כי אשר לא ספר להם ראו ואשר לא שמעו התבוננו *Ita persperget stupore gentes*

R. SALOMO. כן עתה גם הוא תגבר ו ידו וידה את קרנות הגוים אשר זרוהו. יקפצו יסגרו פיהם מרוב תמהון כי כבוד אשר לא ספר להם יראו שים אדם ראו בו. התבוננו איסתכלו. *Sic nunc manus ipsius prævalebit,* dejicietque cornua gentium. Zach. 2. 4. *Qua ipsum disperserant: obdent i. e. occludent*

multas, propter eum obdent reges os suum, quando quod non narratum fuerit illis, videbunt, & quod non audiverunt, animadvertent.

os suum præ summa admiratione, gloriam enim, quæ ipsis à nemine mortalium narrata *fuerat*, videbunt *in Israele*. Animadvertent. *i.e. conspicient.*

R. D. KIMCHI. ענין דבור כמו יטיף ההוא בענין הזיה וכענין דבור נטפו מים לשון הויה אל יטיפו יטיפין לשון דבור כן נזת ענין דבור והוא יוצא לשלישי פר"לער בל"עז אמר כ כמו שיתמהו על שפלותו כן יתמהו על גדולתו וידברו עליה תמיד עליו יקפצו מלכים פיהם אפילו למלכים יהיה כבודם כבוד גדול וכן אמר וראו גוים צדקך וכל מלכים כבודך. יקפצו לשון פתיחה כמו מקפץ על הגבעות שהוא פתיחת ה המצער בדלוג ובלשון סגירה כמו לא תקפוץ ידך ושניהם יכולים להתפרש על מלת יקפצו יפתחו פיהם לספר בגדולתו או ישימו יד על פה מרוב תמהון כי אשר לא סופר להם ראו יותר יראו מגדולתו משסופר להם ויותר מאשר שמעו יתבוננו ב באותו הזמן מגדולתו. *Verbum* sermonis *est*, (sc. יזה perspergет) *quemadmodum* יטיף stillabit, *quod quidem propriè est verbum* perspersionis, *interim tamen sumitur etiam pro verbo* sermonis: *Vti* stillaverunt aquas Iud. 5 4. *Hic verbum perspersionis est, at in* ne stilletis vos, stillent isti. Mich. 2. 6. *Est verbum sermonis. Hic itaque* יזה perspergет, *verbum sermonis est, qui ad tertium aliquem exit, vernaculè* Parler (Gallicum est) V. D. *Quemadmodum attoniti fuerunt super depressione sua, sic attoniti erunt super exaltatione suâ, de eaque perpetuò loquentur.* Super ipso obdent reges os suum, *nam ipsis etiam regibus gloria eorum videbitur maxima.* יקפצו *est verbum* apertionis, *juxta illud* מקפץ Saliens super montes. Cant. 2. 8. ubi מקפץ *notat apertionem incedentis in saltatione. Est etiam verbum* occlusionis, *sicut*, non תקפוץ occludes manum tuam. Deut. 15. 7. *Quæ duæ significationes jungi hic possunt in expositione* יקפצו עליו. *Aperient os suum ad narrandum magnitudinẽ ejus, vel imponent manũ ori præ summa admiratione.* Quod enim ipsis narratum non fuerat, videbunt. i. e. *plus istius magnificentiæ videbunt, quam ipsis narratum fuerit, & plus isto tempore percipient, quam audiverant.*

ABEN ESRA. זה הטעם כמו ירום ונישא כאשר היה כן אומתנו שנשחת תוארו בעיני הרואים כן יבא זמן שינקם מהם וטעם יזה ישפוך דמיהם אז יקפצו מלכים פיהם והנה יעליו כמו בשבולי אשר לא סופר להם ראו שלא עלה על לב הגוים שתהיה לישראל תשועה *Sensus uti supra: exaltabitur & elevabitur, scil. quemadmodum gentis nostræ aspectus videtur corruptus in oculis inimicorum, sic tempus veniet quo vindictam sumet de illis, nam* יזה per-

sperget, *idem est quod* ישפיך effundet *sanguinem eorum. Et tum* obdent os suum reges. ועל *idem est quod* בשבילו propter ipsum. Quod nunciatum ipsis non fuerat, videbunt, *non enim in cor gentium ascenderat, Israeli fore salutem.*

ABARBENEL. ר"ל כמו שהיה השפלות וההשחה' בקצה האחרון כן ת תהיה המיגלה באותו ערך כי ישראל זה עם כל מיעוטו יזה גום רבים ר"ל יפזר א אותם ונצם או יהיה יזה מלשון ויז נצחם על בגדי וכאילו אמר ישפוך דמיהם. על זה יקפצו מלכים פיהם ואשר לא סופר להם מהמעלות שהיו לישראל בזמן בית ראשן ראו עתה ואשר לא שמינו שה ה לישראל בזמן בית שני התבוננו עתה שנתחדש בו. V. D. *Qualis fuit depressio & corruptio ab una parte, sic ab altera parte futura est excellentia in eadē mensura. Israel enim licet pauci sint numero,* persperget gentes multas, v.d. יפזר disperget *illas, vincet illas*, vel זה *est juxta illud*: aspergetur eorum robur in vestimenta mea Esai 63. 3. *Idem ac si dicat, effundetur sanguis illorum.* Ideo obdent os suum reges, nam quod ipsis nunciatum non fuerat *de dignitatibus, quas Israel possidebat sub templo primo, nunc* videbunt, & quod non audiverant *de statu eorum sub templo secundo, nunc* animadvertent, *quando status eorum renovabitur.*

Cap. 53. Vers. 1. מי האמין לשמועתנו וזרוע יהוה על מי נגלתה *Quis credit Prædicationi nostræ & brachium Dei cui revelatur?*

R. SALOMO. כן יאמרו איש לרעהו א אילו היינו שומעים נפי אחרים מה שאנו רואים אן להאמין וזרוע ה' נזאת בגדולה והוד על מי נגלתה עד הנה *Sic dicent alii ad alios: Si alii nobis nunciassent id quod oculis nostris nunc videmus, sane non credidissemus, nemini enim hactenus* brachium Dei *tam magnificum & glorioſum isto modo* fuit revelatum.

R. D. KIMCHI. Parum differt à R. Salomone, nisi quod addit, gentes tum dicturas מי יהיה מאמין לשמועה שה ינו שומעים יצליו מפי הנביאים *Quis unquam fidem adhibuit auditui, quem ex ore prophetarum de ipso audivimus?*

ABEN ESRA, Vti præcedentes.

ABARBENEL. דברי מלכי האומות בתמהונם וקפיצת פיהם שיאמרו מי ה האמין וגו'. שני דברים נפלאים נתחדשו בעולם הראשונה מפלת האומות הרמות ו והנשאות אשר נפלו מן השמים אש תאכלם וזהו מי האמין לשמועתנו כלומ' מי ה האמין לשמוע מיגלתנו וגבורתנו וממשלתנו בהיותנו עתה בדגי' שנאהזים במצודה ובערים אשר הפך השם ביום חרון אפו והחדוש השני שנעשה בעולם הוא שזרוע ה' ויכלתו

ה' ויכלתו על מי נגלה' שהיה לו להגלות על ביגלי למיגלה והממשלת ויבחר לו עם בזוז ושבוי להגלות עליו וזהו החרוש השני המחכמה שאחרי שרצה הק"בה לברוא חדשה בארץ ולהגלות את זרועו ויכלתו הב"בת אין נגלתה על זה היום השפל והנבזה. *Verba sunt regum gentium in admiratione sua & occlusione oris, dicentium*: Quis credit? *Duæ res mirandæ sunt creandæ in mundo.* 1. *Gentiũ potentissimarum ruina, quæ de cælo decident, & quas ignis devorabit: ad hoc dicent*, quis crederet auditui nostro? *q. d. Quis unquam fidem adhibiturus est, quando de summa nostra potentia & florentissimo rerum statu aliquem verba facere audiverit? cum jam simus veluti pisces reti inclusi, & urbes à Deo in æstu iræ suæ, vastatæ.* 2. *Altera res miranda est*, brachium Dei super quo revelatum est? *Nam cum illud revelari debere judicabunt super viris potentiâ & dignitate eminentibus, ecce eliget sibi populum contemptum & direptum. Hinc dicent: Super quo brachium Dei revelatum est? Nam hæc novitas admodum mira videbitur, quod Deus infinitam brachii sui potentiam revelaturus, eam super populo tam vili & contemto revelet.*

Vers. 2. ויעל כיונק לפניו וכשרש מארץ ציה לא תואר לו ולא הדר ונראהו ולא מראה ונחמדהו *Assurgit ut tenera planta coram illo, & tanquam radix è terra solitaria, non est forma ei neque decor, & quando intuemur eum, non ineſt species ut desideremus illum.*

R. Salomo. היום הזה לפני בא לו הגדולה הזאת עם שפל היה מאד ועלה מעליו כיונק מיונקות האילנות. וכשרש עלה מארץ ציה לא תאר היה לו מתחלה ולא הדר ונראהו ולא מראה ונחמדהו וכשראינוהו מתחלה באין מראה היאך נחמדהו *Hic populus, antequam ad istam magnificentiam eveheretur, populus admodum depressus erat & humilis, assurgitque ab ipso* velut tenera planta *ex surculis arborum.* Et veluti radix è terra sicca, *quia antea nulla erat ipsi forma nec gloria, & cum aspiceremus illum antea, nullam habentem speciem, quomodo desideraſſemus ipsum?*

R. D. Kimchi. ויעל כיונק מן ילכו יונקותיו ממנו שאין לו תאר ולא הדר כן היה זה ולפי דעתי כי פירוש עתה עלה זה מן הגלות לפני האל ויעלה מהגלות על דרך פלא כמו אם יעלה יונק מארץ ציה או אם ימצא שורש עץ או עשב שצומח בארץ ציה שיהיה פלא כן היה פלא עלותו מהגלות והענין כפול במלות שונות. לא תאר לו בעוד שהיה בגלות לא היה לו לא תאר ולא הדר ר"ל פאר יפה ונראהו ולא מראה והיינו רואים אותו ולא היה מראהו יפה אלא

ניער ומשונה משאר בני ארם. ונהמדהו ולא היינו חומדים אותו אלא מתיגעים א אותו. Aſcendit ut tenera planta, *juxta illud* diffundent ſe teneri rami ejus Hoſ. 14. 6. *ideo hoc dicitur quia nulla ipſi forma nec honor, & ſane ſic ſe res habet, & juxta ſententiam meam exponendum hoc eſt de tempore quo aſcendet ex captivitate coram Deo, aſcendet enim viâ miraculosâ, ut quemadmodum tenera planta provenit ex terra ſicca, vel* radix *alicujus arboris aut herbæ ramos protrudit* in terra ſicca, *quæ res mira eſt, ſic ejus aſcenſus ex captivitate erit mirabilis. Eadem autem res duobus terminis exprimitur.* Non eſt forma ipſi, *ſcil. cum eſſet adhuc in captivitate nec forma nec honor ipſi erat. i. e. ornatus qui placeat.* Vidimus ipſum ſed non eſt ſpecies, *i. e. non eſt gratus nobis iſte aſpectus, quia videtur inſtar pellis immutatus, & planè diverſus à formâ aliorum hominum.* Vt deſideremus illum. *Nullo ipſius deſiderio tenebamur, imo è contra abominabamur ipſum.*

Aben Esra non diſcrepat à præcedentibus.

Abarbenel præter communem expoſitionem hanc ſpeculationem habet שני המשלים האלה הם גבולים באיכותם כי הנה היונק שם הניר הקטן יונק שדי אמו או אם הוא שם הענף מלשון ילכו יונקותיו והוא ת תמיד שם נאמר על הדבר המתחיל לצמוח אמנם שורש מארץ ציה הוא בהלוף זה כי הוא אם יזקין הזקן בארץ שרשו הנה אם כן היונק הוא הפך השורש ח הזקן ולכן יקשה לקח שני המשלים האלה בהותם כל כך מתחלפים ביצמם אבל טוגת הפסוק כך היא שאמרו האומרים האלה תראה שיגם ישראל זה יגדל כיונק לפניו כלומ' כילד להשתעשע בו ובן תמהר צמיחתו כאלו הוא עם שיגדל לקחם לו כמו שהיה הענין כיוצאי מצרים ולכן הוא כריבה יעלו טובות נפלאות והוא ע"ד ילכו יונקותיו ואין הדבר כן כי הם שורש מארץ ציה שבמה אלפים מ מהשנים שהכניסם בגלות שהיא ארץ ציה ואינם יונק וילד שיגשועים כי אם שרש זקן יבש היה כינן גם אין בו היופי שיש לילדים ולא תו.ר וגו' ואם כך הדבר שאין לו מראה האם ר.וי שנחמדהו היונק הזה וכל זה הוא לחוק תמיהה ועל כיונק לפניו. *Duo hæc ſimilia quæ eorum qualitatem denotant, planè diverſa ſunt, nam ſive* יונק *ſit nomen parvi pueri ubera matris lactentis, ſive ſit nomen ſurculi juxta illud,* diffundunt ſe teneri rami ejus, *ſemper tamen rem notat, quæ recens provenit & creſcere incipit, ſed* radix ex terra *ſicca longè aliud ſignificat, id nimirum quod jam in terra conſenuit, adeo ut* tenera planta & radix *vetuſta, res ſint contrariæ. Et hinc quæſtio oritur, quare duplici & quidem contraria ſimilitudine hic utatur? Senſus itaque verſiculi ita ſe habet: Dicent gentes: Aſcendit populus Iſraeliticus coram ipſo velut* יונק *ſive puerulus in quo oblectatio eſt, ſuamque acce-*

accelerat germinationem, quâsi esset populus qui nunc demum recens à Deo adoptatus sit, qualis erat cum exiret ex Ægypto, cum multa mirabilia bona ipsi præstaret, idque juxta illud diffundent se teneri rami ejus. *Sed res ita se non habet, sunt enim illi* radix ex terrâ sicca, *qui jam ab aliquot annorum millibus erant in captivitate, qua terra sicca est, & non sunt nec tenera planta nec puerulus oblectationum, sed radix vetusta quæ instar ligni exaruit, in quâ nihil grati nec jucundi est, quo aliquis se oblectet velut in puerulis, nam* nulla ipsi forma *erat*, &c. *Ideoque tum non videbatur nobis conveniens, ut illum, qui nunc efflorescenti ramo similis est, desideraremus. Et hæc consideratio vehementer auget gentium admirationem.*

Vers. 3. נבזה וחדל אישים איש מכאובות וידוע חלי וכמסתר פנים ממנו נבזה ולא חשבנוהו
Contemptus & abjectissimus virorum, doloribus affectus & familiaris morbo, & ut abscondens faciem à nobis, contemptus ita ut non æstimemus illum.

R. Salomo. Hic habet illa, quæ alii ad vers. 13. cap. 52. proponunt, statuens nomen servi esse nomen collectivum. Addit כמסתר פנים ממנו מרוב בושתם היו כמכתירי פנים ממנו חבושי פנים בטמון כדי שלא נראה אותם כאדם מנוגע שמסתיר פניו וירא מהביט Vt abscondens faciem à nobis, *sc. præ nimio pudore erant quasi faciem abscondentes à nobis & vultum abscondendo obvelantes ne ipsos aspiceremus, instar hominis qui faciem abscondit & videri non vult cum aliquis ad ipsum accedit.*

R. D. Kimchi. אין צריך לומר שלא היינו חומרים אותו אלא אף נבזה היה בעינינו. וחדל אישים פחות שמבני אדם היה או פירוש חדל הוא מאישים שלא היו מתחברים עמו איש מכאובות וידוע חולי המכאובות והחולי הוא ציער הגלות ופירוש ירמ כי ידוע ורגיל היה לעבור ע עליו יגול הגלות וכמסתר פנים ממנו היינו כמסתירים פנים ממנו שלא היינו רוצים להביט בו מרוב מאוס שהיינו מואסים אותו ולא חשבנוהו לכלום. *Imo non tantum ipsum non desideravimus, sed etiam* contemptus *fuit in oculis nostris.* Abjectus à viris, *pro vilissimo inter homines habitus. Vel cessans à viris dicitur, quod nemo cum ipso sociari vellet*: Vir dolorum & familiaris morbo, *ista captivitatis afflictionem notant. Familiaris dicitur morbo, quia assuetus est ad portandum jugum captivitatis. Fuimusque* velut absconden tes faciē ab ipso, *faciem enim abscondimus ab ipso, quod ipsum intueri nollemus præ summo contemptu quo ipsum prosequebamur,*

mur, nec in ullo apud nos erat pretio.

ABEN ESRA. חדל לחשב עם אנשים איש מכאובות יעבד השם ואם יגל הכל הטעם כמו איש מלחמה והוא קריב מכיעם עצם והוא כמוך ושעם מכאובות וחלי ציער הגלות ובמכתר פנים מכנו יש עד היום הזה גוי כאשר יראה יהודי יפתיר פניו כמנו והטעי שלא יראנו להושיעו Ceſſans *reputari inter homines*, vir dolorum, *ſc. ſervus ille Dei, juxta illud: vir belli: Qui ſenſus vicinus eſt. Notant autem iſta verba afflictionem captivitatis.* Sicut abſcondens faciem ab ipſi: *Hoc in hodiernum uſque diem obtinet, ut Goi ſeu Ethnicus aliquis, quando judæum videt, abſcondat faciem ab ipſo, ſcil. ne ipſum aſpiciens, auxilium ipſi ferre teneatur.*

ABARBENEL. ר"ל שהיה בזוי מעאר האומות ולא הו אנשים ר"ל א אנשי היל ויגל זה אמ' וחדל אישים כלו' ניגרד מאנשים וגם אפש' לפרשו נאמרו וחדל אשם שרמז בו יגל הגרושין שהיו עושים האומות מישראל מארצם לאמור כל מלך ומלך ויגיר ועיר קומו צאו מתוך עמי כי זה הוא ממה שיובלל בו חדל אישים ש שהיה ישראל חדל מלשבת בניהם וכאלו אמר לא די שלא היה לו תואר ולא כראוי לחמדו אבל גם היינו מבזים אותו ומגרשים אותו מארצותינו לפי שהוא איש מכאובות וידוע חלי וכתב הרא"בע שמכאובות וחולי הם שנות צרות הגלות ויותר נבון לומר ש שמפני תוקף הגלות וצרותיו היו היהודים תמידים בחליים יותר כשאר בני אדם אם חליי השהורה כמו שאמרו שהטחורים נמצאים בהם מאד וגם הקדחות הדבקות ביגלות הזה ולכן אמר עליהם איש מכאובות יען שמפני וה היינו מכתירים פנים מכנו שלא לראותו לפי שהיה נבזה ולא חשבנוהו או שהחסידים שבהם היו מכתירים פניהם מלהביט בפני יהודי כי היה להם נהשב זה לעון פלילי V. D. *Iſraelem præ reliquis gentibus eſſe contemptum, nec ipſi eſſe viros, nimirum viros roboris & exiſtimationis, ideo dicit:* Et ceſſans à viris *q.d. Viris deſtitutus. Fortè & hic exponi poſſit,* ut ceſſans à viris, *notet expulſos à gentibus è terris earum, quãdo unusquisque rex & civitas dicit judæis: Surgite, exite è medio populi noſtri. Hoc denotari poſſet per* ceſſans à viris, *ſic enim Iſrael habitare ceſſat in medio virorum i.e. gentium. Eſtque ac ſi gentes hic dicerent: Non ſufficit nobis, ut nullam ipſi formam eſſe exiſtimemus, quò ipſum deſideremus, ſed uſque adeo etiam ipſum contemnimus ut é terris noſtris ipſum ejiciamus:* Eſt enim vir dolorum & familiaris morbo, *quod Aben Eſra exponit eſſe nomina afflictiones exilii denotantia, ſed convenientius eſt, ut dicatur, judæos præ gravitate exilii & afflictionum perpetuò morbis affectos eſſe, plus quam alii homines, imprimis morbis melancholicis, dicunt enim inter ipſos vehementer regnare hæmorrhoides, & inflammationes ſanguinis fluxum procreantes. Hinc illos vocat* virum dolorum, *de quo gentes dicunt: faciem abſcondimus ab ipſo, ne ipſum aſpiciamus,*

ciamus, qui contemptus eſt & in nullo pretio. Vel quia religioſi inter gentes faciem abſcondunt, ne judæum in facie intueantur, hoc enim pro magno crimine inter ipſos habetur.

Verſ. 4. אכן חליינו הוא נשא ומכאבינו סבלם ואנחנו חשבנוהו נגוע מכה אלהים ומעונה *Verumtamen morbos noſtros ipſe pertulit, & dolores ipſos noſtros bajulavit, quâvis nos æſtimemus ipſum plagâ affectum, percuſſum à Deo & afflictum.*

R. SALOMO. אבן לשון אבל בכל מ מקום אבל יתה אנו רואי' שלא מחמת שפלותו בא לו אלא מיוכר היה ביסורין להיות כל האומות מ מתכפרות ביסוריהן של ישראל חלי שהיה ראוי ל לבא עלינו הוא נשאן ואנחנו חשבנוהו אנו ה (אבן) הינו בברי' שהוא סנאוי למקום *Verum idem quod* אבל *ſed. Sed nunc videmus depreſſionem ſui cauſa ipſi non obvenisſe, ſed caſtigatum eſſe caſtigationibus, ut omnes gentes caſtigationibus Iſraelis reconcilientur. Morbi qui nobis obvenire debebant, ipſe illos portavit.* Quamvis nos æſtimemus &c. *i. e. putaverimus ipſum Deo eſſe exoſum.*

R. D. KIMCHI. הנה כתב יחוקאל הנביא בן לא ישא בעון האב ואב לא ישא בעון הבן כל שכן איש אחר באיש אחר וכל אומה באומה אחרת אם כן מה הוא חליינו הוא נשא וגו' ואינו דומה לזה מה שאמר ירמיהו בכפר קינות אבותינו חטאו ואינם ואנחנו עונותיהם סבלנו כי הוא על דרך פוקד עון א אבות על בנים והוא כשאיחזים הבנים מעשה אבותם בידיהם כמו שאבר לשונאי שזהו משפט מאת האל שנושא עונו ועון האב ומה שאמר ירמיהו אמר יעל לשון הנוהים כי מתוך צערם לא יהיו דבריהם במשפט ובמשקל וזה שיאמרו האומות אכן חלינו הוא נשא והרומים לזה הוא דברי עצמם לא שישראל סבלו עון האומות אלא הם יחשבו זה בדעתם כאשר יראו בעת תשועה כי האמונה שהחזיקו בה ישראל היא האמת והאמונה שהחזיקו הם בה היא שקר ויאמרו אך שקר נחלו אבותינו הבל ואין וגו' יאמרו לפי סברתם .אם כן מה היה הצער שהיו סובלים ישראל בגלות הנה לא היה בעונם כי הם היו מחזיקים אמונת ישראל ואנחנו שהיה לנו שלום ושלוה והשקט ובטח הינו מחזיקים אמונת שקר אם כן החולי והמכאוב שהיה ראוי לבא עלינו היה בא עליהם והם היו כופר וכפרה לנו ואנחנו חשבנוהו בהיותו בגלות שהוא נגוע ומוכה אלהים ומעונה מיד האלהים בעונו והטה אנו ר רואים כי לא זה בעונו אלא בעוניו זהו שאמ'. *Ezechiel propheta ſcribit:* Filius non portabit iniquitatem patris, pater non portabit iniquitatem filii Ezech. 18.20. *multò minus vir unus pro altero, ſeu gens una pro altera. Si res ita ſe habet, quid ergo ſibi vult quod dicitur:* Morbos

noſtros ipſe pertulit? &c. *Neque ad hujus ſolutionem allegandum illud Ieremiæ*: Patres noſtri peccaverunt & non ſuperſunt, nos autem pœnas eorum ferimus. Lament. 5.7. *Hoc enim dicitur juxta conſuetudinem viſitantis peccata patrum in filius, quando nimirum filii veſtigiis patrum inſiſtunt, quemadmodum dicit*: Eorum qui oderunt me &c. Exod. 20. 5. *Tum Deus pro more habet, ut filius ferat iniquitatem patris & ſuam. Præterea conſiderandum, Ieremiam iſta locutum eſſe ad modum lamentantium, prout in ſumma anguſtia conſtituti, verba ſua non tam exacté ponderare ſolent. At hic longè alia res eſt, ſunt enim gentes quæ hic loquuntur & dicunt de Iſraele: Morbos noſtros ipſe tulit &c. Verba gentium duntaxat illa ſunt, non quod Iſrael revera portet iniquitatem gentium, ſed quod gentes putent Iſraelem portare, quando enim tempore redemptionis videbunt, fidem illam cui adhæſerunt Iſraelitæ, veritatem eſſe, econtra, fidem cui illæ adhærent, eſſe mendacium, dicent*: Vtique falſum poſſidebant majores noſtri, vanitatem &c. Ierem. 16. 19. *Dicentque in opinione ſua; ſi hoc ita eſt, quænam ſunt igitur iſtæ calamitates quas Iſrael pertulit in captiviſate ſuâ, ſanè oportet ut non propriam pertulerint iniquitatem, erat enim fides eorum rectiſſima, & nos tranquillitate & rebus proſperis utentes, adhærebamus fidei mendacii: conjecimus itaque, quod morbi & dolores qui nobis incumbere debebant, ipſis ſunt impoſiti, & quod ipſi fuerunt expiatio & pretium expiationis pro nobis, nobis interim exiſtimantibus ipſos à Deo in exilio percuſſos eſſe, & ob proprias iniquitates afflictos. Nunc autem experimur, non ſuas ſed noſtros iniquitates illos tuliſſe. Hæc eſt mens horum verborum.*

ABEN ESRA. אנחנו היינו מחליאים והוא ה׳ נושא מכ ובינו שהיינו מכאיבים אותו ה׳ ה סובל ואנחנו חשבנו שהוא נגוע כנזרת והנ׳ הנגע עמד בעיניו. *Nos ipſum ægritudine affecimus, ipſe autem noſtros dolores quos nos ipſi influximus, ſuſtulit, ipſe bajulans erat* & nos putabamus ipſum percuſſum eſſe &c. *juxta illud*: Ecce plaga ſtetit in oculis ejus. Levit. 13. 5.

ABARBENEL יכרו מלכים בדבריהם מיני הצרות והריעות שהיו ישראל כיכלים בגלות והם ארבעה האחד מין הרעות הגופיות שהיו יעושם ומכבדם להם ועל זה אמ׳ אבן חליינו הוא וגו׳ הכתוב הזה ואמתתו אצמי אינו כדבר הכפרשים כי בנוי חליינו ומכובנו אינו לאומות לפי שהם היו הראויים להיות חולים ונכאבים אבל ענינו שהבעולות פינמים ייוחסו לפועלים אותם ופינמים ייוחסו למקבלים אותם חליינו ומכובינו אפשר שיהיה הכנוי נו למקבל החולי והמכאוב והוא החולה החוליים אשר כנו ואפשר שיהיה הכנוי לפועל החולי ומכבב אותו ומפני שזכר למעלה איש מכאובות וידוע חולי שנאמר על ישראל יבארו המלכים והאומרים ההם עתה מי

היה הסבה להיות ישראל בגלות חולנים ובעל מכאובות ואמר אכן חליינו הוא נשא ר"ל בלי ספק החולים שהוא נשא בגלות אנחנו היינו כבתם והמכאובים ש שסבלו היו מכאובינו ר"ל כאבים נמשכים עליהם ומסובבים ממנו ואנחנו חשבנוהו נגוע מוכה אלהים ומעונה ר"ל היה דעתנו שחליהם ומכאוביהם היו מאת האלהים להרע להם ולהענישם ולא היה הדבר כן כי מאתנו ובכבתינו היו *Isti etiam reges in hâc ſua declaratione recordantur anguſtiarum & malorum, quæ Iſrael ſuſtinet in captivitate, quæ quatuor ſpecierum ſunt.* 1. *Primæ ſpeciei mala corporalia ſunt, quæ ipſi inferunt & cauſantur populo Iſraelitico De his malis dicent*: Verùm morbos noſtros ipſe tulit &c. *Genuinus & veriſſimus hujus ſcripturæ juxtà me ſenſus non eſt prout alii interpretes exponunt, ſcil. morbos iſtos & dolores eſſe gentium dolores & morbos, quaſi ipſæ illis, quos Iſrael ſuſtinuit, affici debuiſſent. Sed mens eſt, actionem hic bis appropriari agenti & bis appropriari patienti.* (hoc exemplis & ſcripturæ dictis illuſtrat Abarbenel, deinde addit) *videtur enim verbis illis indigitari nomen patientis qui recipit morbos illos, deinde nomen agentis, qui illos infligit, ſecundum id quod ſupra Iſrael dicebatur* vir dolorum & familiaris morbo, *ſic hic declarant reges, aliique qui loquentes introducuntur, quaſi cauſam agentem inquirentes dicant, quis causa fuit morborum quos Iſrael in captivitate ſuſtinuit? Reſpondent*: Verùm morbos noſtros ipſe tulit: V. D. *procul dubio, morborum, quos ipſe in captivitate pertulit, nos cauſa fuimus, noſtri dolores & noſtri morbi fuerunt, quos nos ipſis intulimus.* Nos autem exiſtimavimus ipſum plaga affectum, percuſſum à Deo &c. V. D. *Opinio noſtra fuit, iſtos morbos & dolores eſſe à Deo* (ſcil. à juſto Dei judicio ipſis per nos illatos) *ad malefaciendum illis & ad puniendum illas ſed res aliter ſe habet, à nobis enim illa provenerunt, & nos eorum cauſa exſtitimus.*

Verſ. 5. והוא מחולל מפשעינו כדוכא מעוניתינו מוסר שלומינו עליו ובחבורתו נרפא לנו *Nam ipſe dolore afficitur à defectionibus noſtris atteritur ab iniquitatibus noſtris, caſti-*

R. SALOMO. והוא לא כן אלא מחולל היה מפשעינו ומדוכא מעוונינו מוסר שלומנו עליו באו עליו יסורי השלום שהיה לנו שהוא היה מיוסר להיות שלום לכל העולם *Verùm res ita ſe non habet, nam* dolore afficitur propter defectiones noſtras, &c. Caſtigatio pacis noſtræ imponitur ei. *Ipſi enim obvenerunt caſtigationes pacis, quâ nos gaviſi ſumus, ipſe caſtigatus fuit, ut pax eſſet toti mundo.*

gatio pacis noſtræ imponitur ei,& tumice ejus ſit curatio nobis.

R. D. KIMCHI. והוא מחולל פעל מן המרובע מענין חיל כיולדה ומשרשו ומדוכא מן דכא לארץ חיתי מוסר שלומנו עליו שלומינו כמו בלנו בכמו הגלת שלומים כמו גלות כלו' גלות ש שלמה היכודים שהיו ראוים לבא עלינו כולם באו עליו ויש מפרשים מן שלום כלומר כשהיינו בשלום והיה ראוי המוסר לבא עלינו בעונינו והיה בא עליו. ובחבורתו ה *Verbum* מחולל *ex quadratis eſt*, *à radice* חול *notans dolorem*, *juxta illud* dolor ut parturientis. Pſal. 48. 7. מדוכא *eſt à* דכא *juxta ſignificationem*, atterit in terram catervam meam Pſal. 143. 3. Caſtigatio pacis noſtræ eſt ſuper ipſo. שלומינו idem quod כולנו omnes nos, *juxta illud*: Deportata שלומים perfectiones. Ier. 13. 19. i. e. *Omnida ſeu perfecta deportatione.* Sic caſtigationes perfectionum noſtrarum, *i. e. quæ nobis omnibus ſimul perfectè comprehenſis obvenire debebant, ipſi impoſita ſunt. Aliqui interpretantur* שלומנו *de pace, q. d. cum nos in pace eſſemus, caſtigatio quam tum peccatis noſtris promeriti eramus, in ipſum tranſlata eſt* חבורה tumex *nomen ſimilitudinis eſt quo denotatur calamitas exilii.* Fit curatio nobis, *eſt ſicut illud*: Ego Deus ero curator tuus, Exod. 15 26.

ABEN ESRA. והוא מחולל כגזרת חלל ומוכר שיתמיד שלומנו כי השם יפקוד על הגוים בעבור שצערו ישראל וכתי' ונקתי דמם לא נקיתי ושים מוסר ש שלומנו ירוץ כי בל זמן שישראל בצער הגלות ויהיה שלום לגוים הלא תראה כתוב על ימת הישועה שחיתח ימת צרה ויעוד כתו' כאשר השיבו המלאכים כי כל Verbum מחולל eſt à חלל vulnerare. Et caſtigatio, *quæ nobis continuat* pacem eſt ſuper ipſo. Deus *enim viſitaturus eſt in gentibus, quod anguſtia affecerunt Iſraelem, juxta illud*: Mundabo eos quorum ſanguinem non mundabam. Ioel. 3. 20. *Notum autem eſt quamdiu Iſrael in calamitate exilii detinetur, tamdiu pacem eſſe gentibus. At de tempore redemptionis ſcriptum eſt quod futurum ſit tempus anguſtiæ. Etiam ſcriptum eſt.* Zach. 1. 11. *Cum reſponderent angeli* totam terram deſidere & tranquillam eſſe, dixit angelus Domini. Domine exercituum, quousque non miſerturus es Hieroſolymæ? &c. *Senſus eſt, quamdiu gentibus pax erit, tamdiu Deum non miſerturum Hieroſolymæ. Sic intelligendum illud*: Caſtigatio pacis noſtræ eſt ſuper ipſo.

ABARBENEL. אחרי שוכרו זה מהרעות הגופניות ר"ל החליים ומכאובים שהם בדרך השביעי וכרו יעוד הרעות הגופניות שהיו עושים להם בגדות בדרך ב בחירה פציע וחבורה ומכה תרה ועל זה אמר והוא מחולל מפשעינו וגו' כלו' ת

הנה

הנה ישראל היה עוד מקבל מכות מחולל ומרוכא בושעתינו כי מפני רוע מ בח רתנו ורבוי פשעינו היינו משחיתים בהם. מוסר שלומנו וגו' לפי דעתי פירושו ש אמרו המלכים והאומות חנה כל הריעה הואת היינו עושים לישראל לפי שכתוב דורש נו ומלמדינו ומנהיגי דתנו כל המוסר שהיו נותנים ומלמדים להתמיד שלומנו היה עליו ר"ל על ישראל באמרם אלינו כל היום שבחבורתו נרפא לנו ר"ל שכאשר ניגשח בו חבורות פצע תמרוק ברע תהיה רפואה ושלום לנפשותינו ומפני היינו חפצים בחשחתו. *Postquam mentionem fecerunt malorum corporalium, scil. morborum & dolorum qui sunt à natura, etiam nunc de illis loquuntur malis, quæ in captivitate ipsis infligunt pro lubitu suo* scil. quæ manuum percussione extrinsecus infliguntur, ut præcedentia sunt intrinsecus à natura) *qualia sunt: vulnus, tumex, plaga sanioſa. De quibus dicunt:* Dolore afficitur, atteritur ab iniquitatibus nostris &c. Q. D. *Ecce inflictæ sunt insuper plaga Israeli, & attritus est à malitiâ nostrâ. Nos enim præ malitia nostri arbitrii & peccatorum nostrorum multitudine damnum ipsis intulimus.* Castigatio pacis nostræ &c. *Sensus juxta sententiam meam est, quod reges isti & gentes hoc dicere velint: Ecce omnia ista mala fecimus Israeli juxta doctrinam nostrorum doctorum, qui fidei nostræ præsunt.* Omnis מוסר disciplina *seu instructio quam illi nobis super* pacis nostræ *confirmatione dederunt, fuit* super ipso. i.e. *super Israele, quotidie nobis ingeminantes in ipsius tumice nostram consistere curationem, & quoties ipsis,* livores vulnerum, *velut* deterſionem mali Prov. 20. 30. *inflixerimus, sanationem & pacem hoc allaturum animabus nostris. Et hinc est quod tantam in ipsius perditione delectationem ceperimus.*

R. LIPMAN. ועוד יאמרו האומות מוסר שלומנו עליו כי לולי זכות הצדיקים לא נתקיים העולם וכבר החרים הק"בה בעון האומות נמצא כיום שלותם בזכות הצדיקים ובחבורתו נרפא לנו כי מפני שבא הפורענות לצדיקים בחנם רק מחמת האומות לכן הש"י מניח לפסוק הפורענות קודם הראוי לאומות נמצא שבחבורות צדיקים נרפא להם *Præterea dicent gentes* castigatio pacis nostræ est super ipso. *Nisi enim justorum meritum faceret, mundus non subsisteret. Imò jam modò interneciori ipsum devovisset Deus propter gentium iniquitatem, nisi justorum meritum ipsis pacem efficeret.* Et tumice ejus fit curatio nobis. *Quia enim pœna incurrit in justos, idque immeritò, & propter gentes duntaxat, Ideo quando finem pœnæ imponit Deus Ben. quam antea gentes tulisse justum fuißet, compertum fit, ipsis justorum tumice curationem factam esse.*

Verſ. 6. כלנו כצאן תעינו איש לדרכו פנינו וידוה הפגיע בו את ע עון כלנו *Omnes nos, ut ovis, erravimus, quiſque in viam ſuam nos convertimus, & Deus facit ut incurrat in eum pœna omnium noſtrûm.*

R. SALOMO. עתה ונגלה כי כל ז' אומות תעו הפגיע בו נעתר על ידו ונתרצה על עון כ כולנו לא החריב עולמו הפשיע אשפ"ר אד בל"ע לשון תחנה. *Hæc cum ita ſe habent, manifeſtum nunc eſt omnes gentes eſſe in errore.* Fecit ut incurreret in ipſum. *Exoratus eſt per ipſum & placatus eſt ſuper iniquitate omnium noſtrum, ne mundum vaſtaret.* הפגיע *vernaculè Eſpargner* (Gallicum) *Verbum deprecationis eſt.*

R. D. KIMCHI. ר"ל כצאן מבלי רועה לפיכך אמר כצאן בפתח ה"כף ליד עה כי אותו הצאן הוא תועה שאין לו רועה הפגיע בו העון הוא הפוגע בהם והאל הוא המפגיע שש לח להם הרע בירוש ע עון ענש העון כמו כי לא שלם עון ה מורי עד הנה V. D. *Sicut ovis abſque paſtore, ideo* ה֫ *caph ſupponitur patach quod demonſtrativum eſt ad indicandum, hanc ovem ideo errare, quia nullum habet paſtorem.* Incurrere fecit. *Iniquitas incurrit in Iſraelem, Deus autem eſt qui illam facit incurrere, malum ipſis immittendo. Per iniquitatem intelligu pœnam iniquitatis, juxta illud:* Non enim completa eſt iniquitas Emoræi adhuc. Gen. 15. 16.

ABEN ESRA. באחרונה .בירו האמת והנה הוא דבק עם נגוע ומוכח א אלהים וכמוהו אך שקר נחלו אבותינו. הפגיע כגזרת ויפגע במקום .יעון במקום ה הוה כמו ענש כמו אם יקרך יעון כ לא שלם עון האמורי ונהל יעון בת עמי ו ויש אומרים מגזרת ואל תפגע בי ויהיה פי' יעון כולנו כמשמעו כי יפגע בעביר ה היות שלום בעולם בטעם ודוש את שלום העיר לכן כלת עון תבא קשה עם ה הפגיע בו *Tandem agnoſcent, veritatem eſſe a parte ejus quem plagu affectum & à Deo percuſſum eſſe dicebant, eſſque ac ſi dicerent: certè mendacium poſſederunt patres noſtri.* Incurrere fecit *juxta illud:* Incidit in quendam locum. Gen. 28. 11. *Iniquitas hic ponitur pro pœna, juxta illud.* Non obveniet tibi iniquitas (*i. e. pœna*) propter hanc rem. 1. Sam. 28. 10. Non completa eſt iniquitas Emoræi adhuc Gen. 15. Major eſt iniquitas (*pœna*) filiæ populi mei. Lament. 4. 6. *Alii dicunt, eſſe juxta illud:* Ne הפגע intercedito apud me. Ier. 7. 16. *Atque ita expoſitio* ה֫ יעון פורג iniquitas omnium noſtrum *eſſet uti ſonat. Ipſe enim intercedit ut pax eſſet in mundo, juxta illud:* Quærite pacem illius civitatis quò deportavi vos, & orate pro eâ. Ierem. 29. 7. Sed ſic nomen עון difficulter conſtruitur cum הפגיע בו.

ABAR-

ABARBENEL ויאמרו שגם חיות האומות כתחלקות ארום וישמעל ודתיהם שונות הנה הצד השוה שבהם היה שכולם לבבם למרע לישראל ועל זה אמר נ כולנו כצאן תינו איש לדרכו פנינו ר"ל בדתותינו ואמונותינו כצאן תעינו שכן יאמרו אז המלכים ההם הפגיע בו את עון כולנו ר"ל שהוא ישראל היה מקבל רשעת כולם ועל זה עון כולנו כמו שאמר לכעלה מדוכא מעונותינו שעון אינו נ נאמר העונש כדברי המפרשים כי אם על רוע מעשה. והפועל המגונה שהיו עושים לישראל והנה יחסו זה לשם ית' באמרם והי הפגיע בו להגיד שהאל למשפט ש שמו וצור להוכיח יכרו בגלות לקבל ייסורין על ידי ה ומות. *Licet gentes inter se dissentiant, Christiani scil. & Turcæ, & religio ipsorum sit diversa, in eo tamen inter se conveniunt, quod omnium animus sit ad malefaciendum Israeli. Hinc dicit.* Omnes nos sicut ovis erravimus, quisque in viam suam respiciebat. *Sic reges & gentes loquentes introducit, quasi dicant. In religione nostra & fide instar ovis erravimus.* Deus autem in eum incurrere fecit iniquitatem omnium nostrum. *i. e. Israel suscepit improbitatem illorum omnium*: Iniquitas omnium nostrum *est sicut supra*: attritus ab iniquitatibus nostris. *Iniquitas enim hic non significat pœnam iniquitatis, uti alii exponunt, sed ipsam turpissimi operis malitiam, quâ prosequuntur Israelem. Tribuunt autem Deo istud, dicentes*: Deus *incurrere fecit in ipsum, ad ostendendum, Deum* ad judicium disposuisse *Israelem*, & rupem (*Deum*) ad coripiendum illum fundasse. Hab. 1. 12. *Vt castigationes reciperet per manum gentium.*

LIPMAN. יאמרו כולנו כצאן תעינו שיודע להם שאמונתם תיות ויהזרו ל לאמונתינו כמו שנא' ביום ההוא יהיה ה' אחד וגו'. *Dicent*: Omnes nos instar ovis erravimus. *Agnoscent enim, fideus suam esse erroneam, proindeque ad fidem nostram se convertent, juxta illud*: Die illo erit Deus unus &c. Zach. 14. 9.

Vers. 7. נגש והוא נענה ולא יפתח פיו כ כשה למטבח יובל וכרחל לפני גוזזיה נאלמה ולא יפתח פיו *Exigitur pœna, & ipse affligitur, & os suum non aperit; ut parva pecus ad mactationem ducitur, & ve-*

R. SALOMO. נגש הנה בנוגשים ודוחקים והוא ניענה באונאת דברים שורפ"רלדין בל"ע ולא יפתח פיו כובל היה ושותק כמו השה אשר לטבח יובל וכרחל וגו'. Exigitur *sc. ab exigentibus & opprimentibus.* Et ipse affligitur *verborum defraudatione quod vernacule dicitur* surprendre. Et os non aperuit, *perferens & silens* instar parvæ pecudis quæ ad mactationem abducitur, & instar ovis &c.

R. D. KIM-

lut ovis coram tonſoribus ſuis obmutejcens, neque aperit os ſuum.

R. D. Kimchi. נגש בממון כמו נגש את הבסף לא יגוש את רעהו. ניענה בגוף שמינים גופו במכות ועם כל זה לא יפתח פיו לא היה לו רשות לזעוק ולהתלונן על מה שהיגו עושים לו אלא היה כמו השה וגו' ודמיון השה הוא לענוי הגוף ולתמותתו ודמיון הרחל הוא לנגישת הממון שהוא בדמיון הגז ודמה אותו לרחל ולא לכבש לחולשתה יותר כי בכל הענינים הנקבה הלושה מהזכר כן ישר' נגלוב הם חלושים מאר. Exigitur *ab ipſo pecunia, juxta illud*, Exigebat argentum. 2. Reg. 23. 35. Ne exigito à proximo ſuo Deut. 15. 2. Affligitur *in corpore*, *corpus enim ejus plagis affligent*, & *ad iſta omnia* ne quidem os ſuum aperit, *non conceditur ipſi facultas clamandi & dolendi ſuper malis quibus ipſum afficimus*, *ſed eſt* inſtar parvæ pecudis. &c. *Simile petitum à* שה *parva pecude notat afflictionem corporalem & occiſionem. Simile petitum à* רחל *ove, notat exactionem pecuniæ, reſpectu lanæ. Vocaturque hic potius* רחל ovis *(quod nomen ſexus fœminei eſt) quam* כבש agnus, *quod maſculum notat, idque ratione debilitatis, quandoquidem in omnibus animantium ſpeciebus, fœmella ſolet eſſe debilior, ſic Iſraelitæ in exilio admodum debiles ſunt.*

Aben Esra. ולא יפתח פיו. ואין צורך לפרש זה כי כל יהודי כן הוא בגלות כי בשעה שיענוה לא יפתח פיו לדבר אף כי הוא הצדק שבהם שלא יתינבך בעולמו כי אם בעבודת השם ולא יכיר שר או גדול שיעמד לו בפרץ נקום עליו אדם ולא יפתח פיו והטעם בכל עת. Os ſuum non aperit. *Non eſt neceſſe ut hoc de omni judæo qui in exilio eſt, intelligatur, quod ſcil. os ſuum ad loquendum non aperiat, quando affligitur. Sed de juſtis inter judæos hoc præcipue dicitur, quibus mundus non eſt curæ, ſed pietatis operibus continuò dant operam, proindeque nullum norunt nec principem nec magnatem qui pro ipſis intercedat, quando homines contra ipſos inſurgunt. Tales os ſuum nunquam aperire ſolent.*

Abarbenel hoc verſu collocat ſecundum afflictionum genus quod judæi in exilio perferunt בממונם מתוך המסים והארנוניות *in facultatibus* ſcil. *ſuis propter exactiones & vectigalia.* Cujus expoſitionem mutuat à Kimchio.

R. Lipman. ויאמרו והוא ניענה כשה לטבח וגו' ר"ל אותו העבר כלו' הצריקים *Dicent etiam*: Ipſe affligitur & inſtar parvæ pecudis ad mactationem &c. *Nimirum ſervus iſte. i. e. juſti.*

R. Salo-

Vers. 8. ממעצר ומ֝משפט לקח ואת דורו מי ישוחח כי נגזר מ֝ארץ חיים מפשע עמי נגע למו *A coarctatione & judicio tollitur, at generationem ejus quis enarraturus est, nam exscinditur è terra viventium, ex defectione populi mei plaga est ipsi.*

R. SALOMO. חנביא מנשר ואומר כי ז זאת יאמרו האומות באחרית הימים כשיראו כ כשנלקח מן העצר שהיה עצור בידם וממשפט הייסורין שסבל עד עתה. ואת דורו שנים שעברו עליו. מי ישוחח את התלאות אשר מצאוהו. כי נגזר היה מתחלה וגולה מהארץ חיים היא ארץ ישראל אשר מפשע עמי בא הנגע הזה לצדיקים שבהם. *Narrat propheta gentes in finè dierum sic loquuturas esse quando videbunt Israelem sublatum eße à* coarctatione *quâ in manibus ipsarum coarctabatur, & castigationum* judicio, *quod hactenus sustinuerat.* Generationem ejus i.e. *annos ejus præteritos*, quis enarrabit? *sc. molestias quas sustinuit.* Nam excisus *erat antea & deportatus* è terra viventium, *quæ est terra Israelis, quia propter defectionem populi mei ista plaga obvenerat justis qui sunt inter ipsos.*

R. D. KIMCHI. מעצור הגלות שהיה נעצר שם וממשפט השבי שהיו עושים בו שפטי' לוקח ונפרה מכל זה. ואת דורו מי ישוחח מי היה מדבר שיהה דורו כל כך בגרולה וכמוהו מי מלל לאברהם. כי נגזר מארץ חיים כאשר גלה מארצ' שנקראת ארץ חיים כמו אתהלך לפני ה' בארצו' חחיים ויש לפרש כי ב בגלות יחשב באמת כאלו נגזר מארץ חיים ואין חיינו חושבי' שתהיה לו גרולה כזו. מפשע עמי כל עם ועם יאמ' כן כי מפשעו היה בא להם הנגע לא מפשע עצמם A coarctatione *exilii, quo coarctabatur, &* à judicio *captivitatis, quo judices ipsum affligebant*, sublatus est *& redemptus ab omnibus illis.* Et generationem ejus quis enarrabit? *Quis dixißet, ejus generationem ad tantam magnitudinem evectum iri? juxta illud,* quis dixisset Abrahamo? Gen. 21. 7. Excisus est è terra viventium, *deportatus enim est è terra suâ, quæ vocatur terra viventium, juxta illud,* indesinenter ambulabo coràm Domino, in regionibus viventium. Psal. 116. 9. *Sensus itaque hic est: In captivitate ipsum reputavimus ac si è terra viventium esset excisus, quomodo ergo cogitassemus, ipsum ad tantam dignitatem perventurum?* Ex defectione populi mei &c. *Sic loquetur uniquisque populus, scil. propter sua peccata eveniße plagam Israeli, non verò propter peccata propria.*

ABEN ESRA non differt à Kimchio, nisi quod posterius hemistichium referat ad versum quintum ש מפשע עמי. דברי כל גוי וזה שהנגיע

שהנגע שיהיה לישראל היה מפשעינו כמו מחולל מפשעינו והנכון שהוא כן ומפשע עמי יבא הנגע להם בעבור מלת למו שהוא כמו להם A peccato populi mei. *Verba singulorum ex gentibus. Plaga quæ Israeli incumbit est à peccatis nostris juxta illud*; dolore affectus à prævaricationibus nostris. *Sic & hoc intelligi convenit: à prævaricatione populi mei plaga venit super illos, nam vox* למו *idem valet quod* להם *ipsis.*

ABARBENEL. עוד זכר המין השלישי מהרעות הגלות והוא שלא היה ב בישראל מלכות ועל זה אמר מעוצר וממשפט לוקח עוצר הוא מלכות כמו זה יעצור בעמי ומשפט הוא הסנהדרין וגו' לוקח ונערך מכל זה וגו' דורו מי ישוחח וגו' ר"ל אמנם דורו של ישראל בימים הקדמונים מי ישוחח יגיד ויספר מעלתם ומשפטיהם כי שר נגזר מארץ חיים שהיא ארץ ישראל כי שם עוצר ומשפט היה להם האמנם נגזר ולוקח מהם ברוע הימים אשר עלו עליהם והחריבום ולקחו את ארצם ועל זה אמרו מפשע עמי נגע למו ר"ל מסבת פשע עמנו בבל ואדום אשר נזרו את ישראל מארץ החיים. ועם היות שכבר אותו בלשון יחיד ראה בנביא ל להורם פה בלשון רבים במלת למו להודיע שהיחיד הנזכר בפרשה הוא כללות בני ישראל לא איש אחד פרטי ואולי שאמר למו לרמוז לשני החרבנות חרבן ר ראשון וחרבן שני. *Iam tertiam malorum exilii speciem recenset, quæ est, quod Israel nullum habeat imperium: hinc dicit*: A coarctatione & judicio sublatus est. *Per coarctationem intelligit regnum, juxta illud*: יעצור Imperium obtinebit in populo meo. 1. Sam. 9. 17. *Et per judicium intelligit Sanhedrim* &c. Sublatus est. i. e. *omnibus istis destitutus est.* Generationem ejus &c. i.e. *Israelis, seculorum prateritor. statum & dignitatem* quis enarrabit? *recensebit, quando* excisus est è terra viventium, i.e. *è terrâ Israelis, ibi enim ejus imperium erat & judicium. Excisus autem est & sublatus per malitiam populorum, qui venerunt contra Israelem ipsumque vastarunt, & terram eorum occuparunt. Ideo dicunt* Ex prævaricatione populi mei plaga ipsis, q. d. *prævaricatio populi nostri, Babylon & Edom qui exciderunt Israelem è terra viventium, ejus causa est. Et licet nomine unius in vaticinio hoc Israel denotari consueverit, hic tamen prophetæ visum fuit, eos nomine plurium indigitare, per vocem* למו ipsis, *ad ostendendum, non de uno quodam individuo sed de omnibus filiis Israelis simul comprehensis ipsi sermonem esse.* Et fortasse per vocem למו *utramque vastationem, primam & secundam monstrare voluit.*

R. LIPMAN. ש כאן ניבא איך יאמרו האומות לעתיד ועתה מסיים ה הנביא דברי עצמו את דורו ומי ישוחח כלומ' יוכל לספר כל התלאות של הדור של אותו העבד והשעבודות בימי הגלות. ומפשע עמי נגע למו הו"ן של ומפשע מ

מוסיף

מוסיף על ענין הראשון ר"ל לא פנע בהצדיקים הפורענות מחמת האומות לבד אלא גם מפשע עמי נגע למו שמחמת הרשעים גם הצדיקים בגלות. *Hucusque vaticinatus est propheta, quomodo gentes futuro tempore loquentur, nunc ipse loquitur, dicens:* Generationem ejus quis &c. *v. d. Quis recensere posset omnes molestias generationis istius servi, & miseriæ tempore captivitatis ipsius?* Et à prævaricatione populi mei &c. *Præfixum Vau in voce* ומפשע *respicit illa quæ præcedunt, quasi dicat: Imo non tantum justis pœna infligitur propter gentes, sed etiam* à prævaricatione populi mei plaga ipsis est, *nam propter impios in Israele, etiam justi detinentur in captivitate.*

Vers. 9. ויתן את רשעים קברו ואת עשיר במותיו על לא חמס עשה ולא מרמה בפיו. *Posuit sepulcrum ipsius cum impiis, & cum divite in morte ipsius, quia violentiam non fecit, & non est dolus in ipsius ore.*

R. SALOMO. מכר את עצמו להקנר בכל אשר יגזרו עליו רשעי האומות שהיו קונסיו עליהם הריגה וקבורת חמורים וזבעי הכלבים. את רשעים לרעת הרשעים נתרצה ליקבר ולא יכפור באלהי' חיים. ואת עשיר במותיו ולדעת המושל מסר עצמו בכל מיני מות שגזר עליו על לא רצה לקבל עליו כפירה לעשו' רעה ולחמוס חמס בכל הגוים אשר גר בינ ה'. ולא מרמה בפיו ל לקבל עליו ע"ז באלוה V. D. *Tradit seipsum sepulcro, in omnibus malis quæ impii gentium contra ipsum decernunt, quando ad mortem illos condemnant, occidendos, & sepeliendos sicut sepeliuntur asini* (vid. Ier. 22. 19.) *i.e. in visceribus canum.* Cum improbis, *i. e. ad voluntatem & sententiam improborum se componit, consentit ut sepeliatur, ne abneget Deum viventem.* Et cum divite in mortibus suis. *i. e. ad voluntatem dominatoris, omnibus mortis generibus se subjicit, quæ contra ipsum decernit, quia abnegare non vult, vel malum committere, & violenter agere in gentibus, inter quas peregrinus est:* *Et quia* dolus non est in ore ipsius, *ut cultui idololatrico se accommodet.*

R. D. KIMCHI. היו הורגים אותו בגלות כמו שהורגים הרשעים על רשעה והוא לא עשה חמס ולא דבר מרמה בפיו והיו הורגים אותו כאלו עשה רע והם היו מונים אותו עם רשעים ושעם ויתן שהוא היה מוכר עצמו למיתה כי הם היו פוטרי' אותו אם היה כופר בתורתו וחוזר לתורתו והיה מוסר עצמו למית' ולא יכפור בתורתו וכן אמר עליך הורגנו כל היום ונחשב כצאן טבחה ואת עשיר במותיו כי גם ה העשיר הורגים אותו בעבור עשרו והוא נהרג לא בעבור רשע שהיה בו אלא כ

בעבור עושר שהיה לו ושעם במותיו לשון רבים כי מיתות רבות יעשו לו יש מהם נשרפים ויש מהם נהרגים ויש מהם נסקלים ולכל מוסרים עצמם על יחור השם. *Occidunt ipsum in captivitate quasi occiderent improbos propter improbitatem, licet* violentiam nullā fecerit, nec dolus fuerit in ipsius ore. *Sed occidunt ipsum ac si malum aliquod commisisset, ipsumque numerant* cum improbis. Et dedit. *Sensus est; tradidit se ipsum supplicio, facilè enim ipsum dimittèrent, si legem suam abnegare vellet, eique renunciare. Sed se ipsum tradit supplicio quia abnegare recusat, juxta illud*: Propter te occidimur quotide. Psal. 44. 23. Et cum divite in mortibus suis. *Sensus est, illos etiam occidere divitem propter divitias suas, non verò propter improbitatem quam commiserit, sed ut divitiis ipsius potiantur.* In mortibus suis, *plurale est, variis enim supplicíorum generibus afficiuntur, alii comburüntur, aliis interficiuntur, alii lapidibus obruuntur. Et omnibus istis suppliciis sponte se tradunt, idque propter professionem unitatis divini Numinis.*

ABEN ESRA. יש מפרשים על מתי גלות ויש אומרים שמלת במותיו מ מגזרת ואתה על במותימו תדרך והטעם בגין שישם על הקבר והנה יהיה במותיו כמו קברו. ואת עשיר כמו ואת רשעים והטעם הגוים שהם עשרים כנגד ישראל והנכון בעיני שהטעם הפסוק שכל כך היה ישראל בצער בגלות שהיה רוצה שימות עם הגוים כמו תמות נפשי עם פלשתים והכתוב אמר ויתן על משכבתו כמו וילחם בישראל על בלק והיגר בי זה מרוב הצער שאמר על לא חמס עשה כי הגוים יצערו ישראל חנם ולא בעבור מעשה שעשו ולא דבור רע שידברו שהוא נכון ל להתפרש לשני ענינים ועם טעין טוען והלא במות לא השתנ' במלת על במותימו זמרות השת"ה במלת במותיו יש לחשיב בי זאת המלה תבא על שנים משקלים כ במו סריסי פרעה וסריסי המלך. *Aliqui exponunt ista de mortuis in exilio, at alii dicunt, vocem* במותיו *esse juxta illud*: *Tu* במותימו excelsa eorum conculcabis. Deut. 33. 29. *Per excelsa intelligentes structuram illam* (tumulum sepulcralem) quæ sepulcro *imponitur, sic* במותיו *idem quod* קברו *sepulcrum ejus.* Et cum divite. *Idem quod*, cum improbis, *intelligiturque de gentibus quæ divites sunt respectu Israelis. Et hic verus juxta meam sententiam totius versiculi sensus est, quod scil. Israel in calamitate exilii se habet, tanquam is qui cum gentibus mori sibi proposuit, juxta illud*: Moriatur anima mea cum Philistæis. Iudic. 16. 30. *Dicitque textus.* Et dedit *sc. in cogitatione sua, prout dicitur de Balako quod certaverit contra Israelem* (Ios. 24. 9. i. e. certare sibi proposuerit) *Istud autem ex magnitudine afflictionis colligitur*, licet violentiam non fecerit, *nam gentes affligunt Israelem immeritò & non propter aliquod malum*

lum quod fecerit, vel verbum malum quod locutus sit. Conveniebat autem istud duplici phrasi exponere, & si quis objiciat vocem במות (ubi nimirum *excelsa* notat) *non variare in* במותיו (scil. ratione affixi, manet enim kametz sub ב) *at hic in* במותיו *variari* (punctatione nimirum, nam sub ב est scheva, v. d. ergo diversa videntur esse significata, &, si ב statuatur præfixum, diversæ originis.) *Respondendum, ejusdem vocis diversas esse formas, sicut in*: Eunuchi Pharao Gen. 40. 7. *Et* Eunuchi regis, Esth. 2. 21. V. D. In utroque loco occurrit vox כריסי in priori prius samech punctatum est per scheva, in posteriori per kametz & tamen in eodem significatu. Idem de במותיו & במותימו judicium.

ABARBENEL. עוד זכר חמין הרביעי מהרעות שסבלו ישראל בגלות והוא שאפילו במותם לא היו בטוחים ונקיים מרשעת האומות כי גם אחרי מותם וקבורתם באישון לילה היו מוציאים אותם מקבריהם כדי לגזול תכריכיהם ולחרוף ולגדף גופותיהם ובפרט אם היה היהודי עשיר שהיו חושבים כבלי האומות שירד אחריו כבודו ועשרו ולכן היו משלכים אותו מקברו בפנר מובם ומניחים אותו ערום נגד השמש כמו שקרה בארצותינו זה פעמים רבות ועל זה נראה לי בלי ספק שנאמר כאן ויתן את רשעים קברו ש'שראל גם בקבורתו היה נרדף מהרשעים ואת עשיר במותיו ר"ל וכל שכן אם היה עשיר בזמן מותו שאז היה יותר נתן לרשעים קברו ולפי שבזה ספרו מיני רעות הגלות כלפ חתמו דבריה' ואמרו על לא חמס עשה וגו' כלומ' כל הרעות האלה שזכרנו היו באים עליו מבלי שיעשה חמס במעשיו ולא מרמה בפיו שבעבורו יתחייב לזה ומאמר על לא חמס וגו' הוא מהאומות כפי מחשבתם כי הנביא לא אמת זה לפי שבגלות מבואר שהיו פושעים בישראל וגו' *Iam quartum malorum genus, quo Israelem in exilio afficiunt, recensent, quod ne quidem in morte ab improbitate gentium securi sint. Post mortem enim & sepulturam in densissimis tenebris illos e sepulcris suis extrahunt, ut vestimenta sepulcralia ipsis exuant, & corpora ipsorum ignominia afficiant, præsertim si dives aliquis judæus fuerit sepultus, existimant tum stolidi inter gentes, honorem ejus & divitias unà cum ipso sepultas esse, idcircò ipsum extrahunt è sepulcro suo* velut cadaver procultatum Esai. 14. 19. *& nudum solis æstui expositum relinquunt, prout sæpissime in regionibus nostris contigit. Et hoc mihi procul dubio videtur illud esse quod hic dicitur: Dedit cum improbis sepulcrũ suũ, quia etiã improbi Israelem post mortem prosequuntur.* Et cum divite in morte sua *V. D. si fuerit dives, eò magis sepulcrum ejus improbis in morte suâ exponitur. Et quia hactenus gentes enarrarunt mala quibus afficiunt Israelem in exilio, jam finem isti narrationi imponunt, his ver-*

verbis: Violentiam non fecit &c. *Quasi dicant, omnia illa mala quæ recensuimus ipsis evenerunt, quia violentiam non fecerunt, & dolus non fuit in ore ipsorum, hinc tot malis subjectos esse oportuit. Nota autem, quando dicunt: violentiam non fecit &c. Verba non prophetæ sed gentium duntaxat esse, non quod res reverâ ita se habeat, sed quod tantum ipsarum judicio ita sit, alias enim notum est inter Israelitas etiam homines nequam nunquam nec defuisse nec defuturos &c.*

R. LIPMAN ad mentem R. Salomonis proxime accedit.

Verſ. 10. וידוה חפץ דכאו החלי אם תשים אשם נפשו יראה זרע יאריך ימים וחפץ יהוה בידו יצלח *Et Dominus delectatus est conterere ipsum, morbo affecit, si posuerit animā suam pro reatu, videbit semen, prolongabit dies, & voluntas Domini per eum prosperabitur.*

R. SALOMO. הק"בה חפץ לרכאו ולהחזירו למוטב לפיכך החלה אותו. אם תשים אשם נפשו. אכר ה"בה אראה אם תחא נפשו נתנת נזמסרת ב בקדושת להשיבה לי אשם על כל אשר מעל אגמול לו נמולו ויראה זרע וגו' אשם זה לשון כופר שנותן אדם למי שחטא לו אמי"נ א בל"עז כענין ש.אמר בפלשתי' אל תשיבו אותו ריקם כי השב תשיבו לו אשם Delectatur Deus conterere *ipsum & hoc modo ipsum ad frugem reducere*, ideo morbo *ipsum* afficit. Si posuerit se reatum anima ipsius. *Dicit Deus: videbo an anima ipsius seipsam traditura sit ad sanctificandum nomen meum, suscipiendo reatum prævaricationum suarum. Si hoc fecerit, beneficium ipsi rependam* ut videat semen &c. אשם *Reatus, nomen expiationis est, quam homo perficit erga eum contra quem peccavit, Gallicè* Amande. *Sicut dicitur de Philistæis.* Ne remittite eam vacuam, sed reddite ei reatum. 1.Sam. 6. 3.

R. D. KIMCHI אין אנו רואים במכאוביו ובצרותיו בגלות אלא חפץ ה האל כי הוא היה מחזיק בתורתו שהיא תורת אמת שהיה מוסר עצמו עליה אם כן אין אנו רואים במכאוביו טעם אלא או היה נתפס ביעונותיו או היה חפץ האל כך לדכאו ולחליאו וחפץ האל לא ידענו. החלי חסר א"לף שהיא ל"מד הפעל והוא נקרא כבעלי הא"לף ואף על פי שרוב השרש הוא ב"הא. אם תשים אשם נפשו אך זה אנו רואים כי גמול טוב יש לו על הרע שעבל ואם שמה נפשו עצמה במקום אשם כמו שאמר את רשעים עתה יראה זרע רב כמו שאמר זכריה הנביא עליהם ורבו כמו רבו ואמר ואל ארץ גלעד ולבנון אביאם ולא ימצא להם ואמר יחזקאל ארבה אותם בצאן אדם. יאריך ימי' כמו שאמר בספר הזה כימי העץ ימי עמי ואמר זכריהו הנביא

ואיש

ואיש משעתו בידו מרוב ימים. וחפץ ה' בידו יצליח הנה היה בגלות הקץ ה' לרכאו וגמול זה יצליח בידו חפץ ה' שירבה אותו וישיב לו יקר מאד. עד כאן דברי האומות מכאן ואלך דברי האל *Sanè ex ipsius doloribus & angustiis, quas in exilio sustinuit nihil aliud possumus colligere, quam quod* beneplacitum Dei *fuerit* ipsum conterere, *caterum enim legi suæ, quæ lex veritatis est, firmiter adhæsit, eiq; sponté se consecravit. Non itaque videmus rationem quare ipsum tantopere afflixerit Deus & morbo affecerit, necesse enim est, vel propter peccata sua vel ex mero Dei beneplacito, cujus causa nobis incognita est, correptum fuisse Israelem. In voce* החלי morbo affecit *deficit Aleph, imitatur enim flexionem quiescentium lamed Aleph, licet proprie & per se radix sit in quiescentibus lamed Hé.* Si posuerit animam suam &c. V. D. *At illud quidem nos agnoscimus, retributionem ejus pro malo quod pertulit, fore egregiam, nam si anima ipsius se ipsam posuerit in locum reatus, sicut antea dixerat* cum improbis, videbit *nunc* semen *multum quemadmodum legitur apud Zachar.* 10. 8. Multiplicabuntur sicut multiplicati fuerant. Et vers. 10. In terram Gilhadis Libanique adducam illos, & non sufficiet eis. *Dicit etiam Ezechiel* cap. 36. 37. multiplicabo illos, quasi grege, hominibus. Prolongabit dies, *sicut in hoc libro dicitur,* Esai. 65. 22. Vt sunt dies arboris sic erunt dies populi mei. *Et legitur apud Zachar.* 8. 4. Habebit quis scipionem suum in manu sua præ multitudine dierum. Voluntas Domini in manu ipsius prosperabitur. *In exilio Beneplacitum Dei fuerat ipsum conterere, sed hæc retributio ipsi erit, quod beneplacitum Dei in manu ipsius prosperabitur, nam beneplacitum Dei erit, ipsum multiplicare & benefacere ipsi. Hactenus verba gentium. Sequuntur nunc verba Dei.*

ABEN ESRA Verbis tantum & non sensu differt à R. Salomone.

ABARBENEL. זהו החלק השלישי מהפרשה והם דברי הנביא כמשיב על דברי מלכי הגוים. ומות הנה גלות ישראל אף על פי שנניח שהיה בחטאתיו לא היה עולמי לנצח נצחים כי לו יעשה העם כליה ביעמו להסירם מיעל פניו ליעד אנכי היה כדי לרכאו ביסורין כאשר ייפד איש את בנו והוא חפץ רכאו והיסורין ההם לא היו כדרך מיתה כאדם ההורג את חבירו בכעסו אבל היו כדרך חולי בתקות רפואה והנדה. החלי ר"ל חולי היה שנזר עליו לא כליה לכן אם היות שתשים אשם נפשו כלומ' שהיו חטאות ואשמות לישראל הנה עם כל זה ירפא מחליו ויראה זרע וגו' *Hæc tertia pars sectionis est, quæ continet verba prophetæ quasi respondentis ad verba regum & gentium, & dicentis: Exilium Israelis, licet concedamus peccata quæ commisit, ejus esse causam, non tamen erit aeternum,*

num, non enim usque adeo finem fecit populo suo Deus ut plane à facie sua illum rejecerit, sed placuit tantum, ipsum castigationibus conterere, quemadmodum pater castigat filium; Et hoc est quod dicit: Delectatur Deus conterere ipsum, *nam castigationes illæ non habent rationem supplicii, quemadmodum aliquis in furore suo interficit socium suum, sed habent rationem morbi curabilis.* Morbo affecit. *V. D. morbum ipsi decrevit tantùm, non verò interitum, cum itaque* posuerit animam suam pro reatu *i.e. postquam peccatorum suorum reatum portaverit, curabitur à morbo suo, nam* videbit semen &c.

R. Lipman יראה זרע וגו' העבד שהם הצדיקים לימות המשיח תחת אשר הערה נפשו למות Videbit semen &c. *Nimirum servus ille, per quem intelliguntur justi, temporibus Messiæ, ideo quia in mortem profudit animam suam.* Reliqua usque ad finem sectionis non attingit.

Vers. 11. מעמל נפשו יראה ישבע בדעתו יצדיק צדיק עבדי לרבים ועונותם הוא יסבול *Exemptum molestia se ipsum videns, saturabitur. Cognitione sui justificabit justus servus meus multos & iniquitates ipsorum ipse portabit.*

R. Salomo מעמל נפשו היה אוכל ושבע ולא ה"ה נחל וחומם. בדעתו יצדיק צדיק היה שופט עבדי משפט אמת לכל הבאים לדין לפניו ועונותם היה סובל כדרך כל הצדיקים שנאמ' אתה ובניך תשאו את עון המקדש. De laboræ animæ suæ *comedit & satiatur, nihil ab aliis rapiens vel extorquens. Sententia sua* justificat justum, *justum enim judicium exercet servus ille meus omnibus judicium ab ipso expetentibus.* Eorumque peccata ipse fert, *juxta consuetudinem omnium justorum, prout dicitur*: Tu & filii tui portabitis iniquitatem sanctuarii. Num. 18. 1.

R. D. Kimchi מעמל נפשו שכבל בגלות יהיה לו גמול שיראה ישבע כ כלומ' יראה טוב וישבע בו. בדעתו יצדיק צדיק עבדי לרבים. עבד הוא ישראל כמו שאמרנו בהתחלת הפרשה ופרוש בדעתו כמו שכתוב כי מלאה הארץ דעת את ה' ו וכתוב כי כולם ידעו אותו והנה עבדי ישראל שהיה צדיק ויורע את ה' יצדיק בדעתו גוים רבים כמו שנתוב והלכו עמים רבים ואמרו לכו ונעלה אל הר ה' ואל בית אלהי יעקב ויורנו מדרכיו וגו' ועונותם הוא יסבול הוא בצדקתו יסבול עונות הגוים כי כ בצדקתו יהיה שלום וטוב בעולם אפילו לגוים *Propter* molestiam animæ suæ, *illam scil. quam bajulavit in exilio, erit ipsi retributio*, videbit *enim* & saturabitur, *quasi dicat, videbit bonum & saturabitur illo.* Cognitione sui

sui &c. *Per servum intelligit Israelem, uti supra exposuimus in principio sectionis. Expositio vocis* בדעתו cognitione sui, *est juxta id quod dicitur*: Plena erit terra, דעה scientia Domini Esai. 11. 9. *Item* omnes cognoscent ipsum. Ier. 31. 34. *Et ecce servus meus Israel qui justus est: Deumque cognoscit, justificabit cognitione sui gentes multas, juxta illud*, Ibunt populi multi, dicentes, venite ut ascendamus in montem Domini, in domum Dei Iacobi, ut doceat nos de viis suis &c. Esai. 2. 3. Iniquitates eorum ipse portabit: *Ipse in justitia sua portabit peccata gentium, nam propter justitiam ipsius pax erit & prosperitas in mundo, imò & ipsis gentibus.*

Aben Esra ubi differt à Kimchio vel Kimchi ab ipso. עונותם הוא יסבול שישתתף ישראל עם צער הגוים ברוב עונותם לא כאשר עשו הם ל לישראל או הטעם שיתפלל לשם ביעד הגוים כטעם ואם משפחת מצרים לא תעלה וזה הנכון בעיני כי פסוק הבא אחריו לעד. Iniquitates illorum ipse fert, *nam amicam induet commiserationem Israel erga gentium calamitates quibus propter multitudinem iniquitatum suarum subjectæ erunt, neque se gerent Israelitæ contra gentes sicut gentes contra illos. Vel sensus est: precabitur Deum Israel pro gentibus, juxta illud*: Si familia Ægypti non ascenderit &c. Zach. 14. 18. *Et sic rectè, hunc enim sensum versus sequens confirmare videtur.*

Abarbenel duplici modo hunc versum exponit. Prior est. בירוש יראה ישבע יצדיק אצלי אינו לעתיד אבל הוא ספור מה שהיה בגלות היה רואה היה שבע היה מצדיק יעד הנביא ששלוש זכיות גדולות היו לישראל בגלות האחת מסבה שעמל נפשו יראה ואמר זה כנגד מה שזכר למעלה אם תשים אשם נפשו כאילו אמר שהיה ישראל מכיר בחטאו ואשם נפשו ועונותיו ורואה אותם כדי לשוב מהם וכבר יאמר עמל על החטא והאשם כמו תחת לשונו עמל ואון הזכות השני זכר באמרו ישבע בדעתו כלומ' שאף על פי שהיה בגלות רעב וצמא בחוכר כל סבוהו כמ'ם בלהות הנה הוא היה שבע יעשיר ביניניו ומתגדל ביעצמו במה ש שה'ה יודע התורה האלהית כי בידיעתו זאת נראה לו ששבע ועם היות שבינלי המעמים עשו זקף במלת ישבע להבדילו מבדעתו והיתה ב"ת ישבע קמוצה הנה פירוש ש שהוא ישבע וישיש ביעצמו ואחר כך זכר סבת השובע והחסתפקות ההוא ב־כדו ש שהיה בדעתו. והזכות השלישי היא שעם ה ותו בגלות בין האוב'ם לא היה שימר לפיו מחסום בענין האמונה והדת ולא היה מודה לדבריהם כדי להחניפם אבל ישראל העבד הנאמן היה מצדיק בפרסום הדעת הצדיק והאמתי בקרב הרבים עם היות שעל זה היה סובל רעות רבות כפי רשעת האומות ועל זה אמר יצדיק צדיק עבדי דעתו שזכר הצדיק ישראל עבדי לרבים מהאומות אף על פי שעל זה עונותם הוא סובל *Verba illa*, videt, saturatur, justificat, *juxta opinio-*

nem meam non pertinent ad tempus futurum, ſed narrationem duntaxat continent triplicis meriti quo Iſrael ſe dignum efficit in exilio, quod ſcil. videt, ſaturatur, & juſtificat. *Primum inde eſt, quia anima ipſius laborat, juxta illud quod verſu præcedente dicitur, quod ponit animam ſuam pro reatu, q. d. pœnam peccatorum ſuorum ſuſtinendo* videt i.e. *intelligentiam ſibi acquirit & operam dat ut à peccatis ſuis ad Deum ſe convertat. Et ſic* עמל moleſtia *ponitur pro peccato & reatu ſeu pœna peccati, juxta illud:* Subeſt linguæ ipſius moleſtia & vanitas. Pſal. 10. 7. *Secundum eſt.* Saturabitur in cognitione ſua. *q. d. licet in exilio eſuriat & ſitiat, omniumque rerum defectus* velut aquæ terrorum Iob. 27. 20. *ipſum circumdet, tamen* ſaturatur, *& dives eſt & magnus in oculis ſuis, quia Divinæ legis cognitionem habet, qua ſe ſaturatum exiſtimat. Sed quia accentuum punctatores, vocem* שבע *faciunt ſuſpenſam, adeo ut à ſequenti* ברעתו *videatur ſeparata, & ſenſus in litera beth* ב שבע *accentu regio, notata, ſubſiſtens; expoſitio talis eſſe poteſt, ut primò Iſraelem ſaturum & in ſe ipſo hilarem dicat, deinde cauſam iſtius ſatietatis & ſufficientiæ oſtendat, illam nimirum in cognitione illa quam habet conſiſtere. Tertium eſt, quod licèt in exilio in medio inimicorum ſuorum hæreat, non tamen capiſtrum appronat ori ſuo* (ex Pſal. 39. 2.) *in negotio religionis & fidei, neque permittit ut ipſorum profanationi exponatur., ſed Iſrael ſervus ille fidelis publicè* juſtificat *ſententiam ſuam juſtiſſimam & veriſſimam in medio multorum, licet hoc nomine multa mala gentium malitiâ perferre cogatur. Et hoc eſt quod dicit:* juſtificat ſervus meus juſtus *coram* multis *v. d. ſententiam ſuam defendit coram multis ex gentibus licet ideo* iniquitatem eorum portet. Altera Abarbenelis expoſitio de tempore futuro eſt, qua verbis quidem, non tamen ſenſu multum differt à Kimchio.

Verſ. 12. לכן אחלק לו ברבים ואת עצומים יחלק שלל תחת אשר הערה לכות נפשו ואת פשעים נמנה והוא חטא רבים נשא ולפשעים יפגיע *Idcirco partem dabo ipſi pro*

R. Salomo. על עשותו זאת אחלק לו נחלה וגורל ברבים עם האבות הראשונים. היערה לכות נפשו לשון ותיגר כדה. ואת פושעים נמנה כבל יסורים באילו חטא זפשע והוא בשביל א אחרים נשא הטא הרגים. ולפושעים הפגיע על ידי יסוריו שבאת על ידו טובה לעולם *Quandoquidem talem ſe præſtabit* partiar ipſi *poſſeſſionem* cum magnis, ſcil. *cum priſcis patribus.* Profudit animam ſuam in mor-

multis, ut cum robustis partiatur prædam, pro eo quod profundit in mortem seipsum, & cum defectoribus annumeratus est, nam ipse peccatum multorum perferens, pro defectoribus intercessit.

mortem, *juxta illud*: deplevit hydriam suam. Gen. 24. 20. Et cum defectoribus numeratus est, *fert enim castigationes ac si ipse peccator esset, & hoc propter alios, quia multorum peccata sustinet.* Et pro defectoribus &c. *scil. castigationibus suis, hoc enim medio bene est hominibus.*

R. D. KIMCHI. רבים ועצומים הם גוג ומגוג והעמים אשר יבאו עמו אל ירושלים כמו שאמר זכריה ואסף חיל כל הגוים סביב זהב וכסף ובגדים לרוב. וזה יהיה לו תחת אשר הערה למות נפשו גמול שמחר עצמו למיתה ביד הגוי' בגלות יהיה לו כל הכבוד הזה ויהיה ממונם תחת ממונו שלקחו ונפשם תחת נפשו שימותו שם כל חיל גוג ומגוג כמו שכתוב. הערה שפך נפשו למות וכן חער כרה ענין שפיכה אבל הוא בענין אחר. ואת פושעים נמנה כמו שפירשנו ויתן את רשעים והוא חטא רבי' ויתכן לפרשו בגלות ור"ל חטא רבים שחטאו בו הגוים והוא נשא וסבל צערם והוא על דרך וחטאת עמך ולפושעים יפגיע וא"ש כן היה מתפלל בעבור הפושעים שהיו פושעים בו והיה מבקש מהם לברך את ארצם כמו שאמר ודרשו את שלום העיר אשר הגלתי אתכם שם וגו' וכמהו מן הכבד בלשון התנה ובקשה הפגיעו בעדן וישתומ' כי אין מפגיע גם יש לפרש בענין הגאולה ויהיה פירוש כמו שפירשנו ועונות הוא יכבול ורכותינו פירשוה על מר"ה יגו' In multis, *multi illi* & robusti *sunt Gog & Magog, populique qui venient cum ipso contra Hierosolymam. Vti dicit Zacharias* cap. 14. 14. Et colligentur vires omnium gentium circum, aurum & argentum & vestes in multitudine valdè. *Hæc autem erit ipsi retributio, eo quod* animam suam effuderit in mortem, *& seipsum supplicio gentium tradiderit durante exilio. Omnis hæc gloria ipsi cedet, eruntque gentium divitiæ pro divitiis Israelis quas diripuerant, & earum animæ pro anima Israelis, nam omne robur Gog & Magog ibi consumetur,* הערה *est sicut* שפך effudit, *juxta illud*: deplevit hydriam suam, *est enim etymon effusionis, licet sensu improprio hic sumatur.* Cum peccatoribus numeratus est, *convenit cum illo quod exposuimus*: Et dedit cum improbis &c. Et ipse peccatum multorum &c. *Convenit hoc exponi de exilio. q. d. peccatum multorum quo gentes contra ipsum prævaricatæ sunt ipse pertulit, & sustinuit angustiam ab ipsis illatam, juxta illud*: peccatum populi tui 2. Par. 6. 25. Et pro peccatoribus intercessit. i. e. *licet ita sit, tamen precatus est pro peccatoribus qui contra ipsum prævaricati sunt, petivitque ab ipsis ut terræ eorum*

posset benedicere, sicut jubetur : Quærite prosperitatem istius civitatis quo deportavi vos &c. *Et sic in hiphil petitionis & deprecationis significatum habet, juxta illud:* intercedebant apud regem Esai. 36. 25. *Item:* Obstupuit nullum esse qui intercederet. Esai. 59. 16. *Etiam de tempore redemptionis exponi potest, eritque sensus sicut illud quod explicavimus* : Iniquitates eorum ipse feret. *Rabbini ad Mosem ista referunt* &c. vide ad expositionem primam.

ABEN ESRA Veterum qui per *robustos* intelligebant patres, sententiam rejicit, & à mente Kimchii non est alienus. Diversitas tamen videtur in illis והוא הפא רבים נשא . כי בעבור צרעם היה שלום לכל הגוים והחטא שהיו ראוי' הם לשאתו היה ישראל נושאו Ipse peccata multorum tulit, *nam in summa ipsius angustia pax est gentibus, & peccatum quod ipsæ portare debebant, portat Israel.* Hæc Kimchi exponit activè de gentium prævaricatione contra Israelem, hic autem de Israelitarum perpessionibus, indefinitè quoad causam efficientem, cujus meus explicatius patere videtur vers. 5.

ABARBENEL sequitur Kimchium.

Expositio Tertia

DE JOSIA REGE JUDA

TEXTUS ESAIÆ.

Cap. 52. 13. *Ecce prosperabitur servus meus, extolletur & elevabitur, & altus erit valde.*

PARAPHRASIS SOLIUS ABARBENELIS

Ecce IOSIAS cui res erit cum Necchone rege Ægypti, de quo agi videtur. Vers. 1. *Servus meus* qui abominationes ex omnibus regionibus removebit 2. Par. 34. 33. *prosperabitur* in viis Domini & in lege sicut David pater ipsius. Vers. 2. *Extolletur* super regnum judæ. *Elevabitur & altus erit valdè*, omnes enim ipsius cogitationes erunt ut verum Dei cultum restituat, qui supremus gradus & suprema dignitas est.

Vers.

Vers. 14. *Quemadmodum obstupuerint de te multi, sic corruptus præ quolibet aspectus ejus, & forma ejus præ filiis hominum.*

Quemadmodum tu Israel semper causa fuisti שממה *destructionis* vel mortis *multorum* insignium prophetarum, qui עליך *propter te.* i. e. peccata generationis exciſi sunt, ut Mosis, Aaron &c. Sic quoque causa eris mortis hujus mei servi Iosiæ, quod *forma ejus & aspectus corrumpetur* & propter improbitatem non suam sed tuam morti tradetur, מאיש i. e. מיד איש *per virum illum* Nechonem, & per *filios hominum*, viros roboris, sagittarios Nechonis. 2. Chron. 35. 23.

Vers. 15. *Ita persperget stupore gentes multas, propter eum obdent reges os suum, quando quod non narratum fuerit illis, videbunt, & quod non audiverunt, animadvertent.*

Attamen: quemadmodum isti Ægytii effuderint sanguinem Iosiæ, *Sic* etiam יזה *sparget* i. e. ישפך effundet Deus sanguinem *multarum gentium.* Et super isto Nechone qui occidet servum illum Dei *aperient reges os suum, quando quod narratum non fuerat ipsis*, rem scil. cui fidem adhibere non poterant, *videbunt, & quod non audiverant, animadvertent*, nempe vastationem regni Ægypti, quam perficiet Nebucadnezar Rex Babyloniæ, non diu post mortem Regis Iosiæ. Ierem. 25. 19. cap. 46. 2. Ezech. 29. 2. &c.

Cap. 53. Vers. 1. *Quis credit Prædicationi nostræ & brachium Dei cui revelatur?*

Quis unquam (verba sunt Israelis) *credat* maximum tale malum, cædem scil. regis Iosiæ accidisse? Nemo sanè, idque *propter auditum nostrum*, seu rumorem qui spargebatur de pietate & justitia hujus nostri regis, digni sane, cui Deus victoriam contra inimicos concessisset. Sed Heu contrarium accidit, nam *super quo brachium* potentiæ & favoris *Dei revelatum est?* Super Nechone, ac si ille justior fuisset nostro Iosiâ.

Vers. 2. *Assurgit ut tenera planta coram il-*

Certè *sicut tenera planta assurgebat* Iosias *coram ipso* Ic. Deo, nam ab ineun-

lo, & tanquam radix è terra solitaria, non est forma ei neque decor, & quando intuemur eum, non ineſt ſpecies ut deſideremus illum.

te ætate, cum adhuc puer eſset, operam dedit pietati. 2. Par. 34. 3. *Et tanquam radix è terra ſiccâ*, talis enim tum erat terra Iſraelis, veri cultus vacua & velut exſiccata, econtra Idololatriæ & horroris pleniſſima. Ipſe in illa inſtar vegetæ radicis, licet ab impiis parentibus, productus eſt. Sed brevi pòſt tempore *nulla* amplius *ipſi fuit forma neque decor*, quando omnis gloria & ſplendor cum vita & regno ab ipſo ſublatus eſt. Imò *cum intuebamur illum non inerat ſpecies ei*, nam improbi Nechonis milites formam ejus corruperant, cum ſanguine miſerè fœdatus Hieroſomam deveheretur. 2. Par. 35. 23. Licet nos ipſum imprimis poſt mortem vehementer *deſideraremus*, erat enim princeps, uti piiſſimus ſic & gratiſſimus populo.

Verſ. 3. *Contemptus & abjectiſſimus virorum, doloribus affectus & familiaris morbo, & ut abſcondens faciem à nobis, contemptus ita ut non æſtimemus illum.*

Occiſus autem eſt bonus ille princeps à *contempto & abjectiſsimo virorum*, Nechone nimirum, qui *vir* erat *dolorum, & familiaris morbo*, quippe variis morbis obnoxius, podagricus, & נכה רגלים pedibus percuſſus, unde etiam nomen ſortitus eſt, nec erat vir potens & robore præditus, unde etiam *faciem* מכנו *ab ipſo abſcondebamus*, quia *contemptus* erat in oculis noſtris, adeo *ut non æſtimaverimus ipſum* ſed monita ipſius rejecerimus cum verba faceret ad regem noſtrum Ioſiam. 2. Par. 35. 22. 23.

Verſ. 4. *Verum tamen morbos noſtros ipſe pertulit, & dolores ipſos noſtros bajulavit, quãvis nos æſtimemus ipſum plagâ affectum, percuſſum à Deo & afflictum.*

Verumtamen non ſimpliciter à Nechone occiſus eſt, ſed *morbor noſtros ipſe pertulit, & dolores noſtros baiulavit*, nos enim & peccata noſtra cauſa dolorum ejus & morborũ exſtiterunt & nõ Necho, ſive peccati pænas, quæ nobis incumbebant, & nos terre juſtum erat, ipſe tulit pro nobis & ideo *nos æſtimavimus* & rectè judicavimus, *ipſum plaga affectum, percuſſum à Deo & afflictum*, quia a manu Dei mors ipſi & plaga obvenit, non à manu Nechonis. Verſ.

Vers. 5. *Nam ipse dolore afficitur à defectionibus nostris, atteritur ab iniquitatibus nostris, castigatio pacis nostræ imponitur ei, & tumice ejus fit curatio nobis.*

Quia itaque revera propter improbitatem generationis occisus est, rem ita se habere videmus, *ipsum dolore affectum esse a defectionibus nostris, & attritum ab iniquitatibus nostris*, nimirum à Deo, & Nechonem non fuisse, nisi instrumentum in manu occidentis. Quæ res evidentissima est. Nam quam primum ipse occubuit מוסר *sublata est pax* & prosperitas *nostra* עליו *per ipsum*, i. e. per mortem ipsius, nam paulò post à Babyloniis vastati sumus. Econtra autem בחבורתו *in societate ipsius*, cum adhuc viveret & associatus nobis esset *curatio fuit nobis*, nam ipse clypeus circum nos erat, & malis nostris remedium afferebat. Cum hoc consentit jerem: *Spiritus narium nostrarum unctus Domini* &c. *Thren.* 4. 20.

Vers. 6. *Omnes nos, ut ovis, erravimus, quisque in viam suam nos convertimus, & Deus facit ut incurrat in eum pœna omnium nostrûm.*

Et ne quis dicat, judæos tempore Iosiæ probè se gessisse, adeo ut Iosias pro peccatis ipsorum, mori necesse non habuerit, ecce contrarium patuit, *omnes nos instar ovis erravimus*, & licet Iosias idololatricum cultum abrogasset, *quisque* tamen *in viam sum nos convertimus* & privatim quisque apud se Deos alienos coluimus. Ideo *Deus fecit ut incurreret in eum* per Nechonem *pœna omnium nostrum*, quæ in nos incurrere debebat.

Vers. 7. *Exigitur pœna, & ipse affligitur, & os suum non aperit; ut parva pecus ad mactationem ducitur, & velut ovis coram tonsoribus suis obmutescens, neque aperit os suum.*

Et licet *pœna ab ipso exigeretur*, spoliaretur & *affligeretur*, cum Ægyptii in prælio illo ipsum prosequerentur, tamen *os suum* non aperuit ut diei suo malediceret, sed *ut parva pecus* mascula *ad mactationem ductus est*, & *ut ovis* fœmella *coram tonsoribus suis obmutescens, neque os suum aperuit* ad clamandum vel judicia Dei acculandum, cum videret se morti

morti & populum ſuum prædatoribus expoſitum.

Verſ. 8. *A coarctatione & judicio tollitur, at generationem ejus quis enarraturus eſt, nam exſcinditur è terra viventium, ex defectione populi mei plaga eſt ipſi.*

Nunc itaque, Proh dolor! מיצר *ab imperio*, & *à judicio* quod tam juſtè & rectè omnibus adminiſtrabat, *ſublatus eſt*, ipſoque ſublato quis ישוחח *deprecabitur* & intercedet pro *generatione ejus*? Vel quis illam ſalutaribus admonitionibus docebit? Poſtquam hic *è terra viventium exciſus eſt.* Hæc *plaga* advenit למו *ipſis*, *populo meo* Iſraeli *ex defectione ſuâ*, nam in morte Ioſiæ & ipſi percuſſi ſunt.

Verſ. 9. *Poſuit ſepulcrum ipſius cum impiis, & cum divite in morte ipſius, quia violentiam non fecit, & non eſt dolus in ipſius ore.*

Et poſuit Deus את i.e. על יד *per improbos* Egyptios *ſepulcrum ipſius*, qui cauſa mortis ipſius & ſepulturæ exſtiterunt. Niſi dicere malimus, Deum את רשעים *cum improbis* ſcil. majoribus ipſius Ammon & Manaſſe regibus impiis *dediſſe ſepulcrum*, quia cum ipſis ſepultus eſt Hieroſolymis, idque את i. e. על יד *per manus divitis* Nechonis qui divitias Ægypti poſſidebat, tanquam inſtrumenti quo Deus uſus eſt *in morte ipſius*, cum enim mortuus eſſet, ad ſepulturam deportatus fuit. *Nam violentiam non fecit, & non fuit dolus in ipſius ore*, utpote qui piiſſimus princeps exſtiterat.

Verſ. 10. *Et Dominus delectatus eſt conterere ipſum, morbo affecit, ſi poſuerit animā ſuam pro reatu, videbit ſemen, prolongabit dies, & voluntas Domini per eum proſperabitur.*

Ah! Nec judicii nec juſtitiæ opus fuit (ſic Iſraelitas præ ſummo mœrore & animi impotentia conquerentes introduci putat) quod pius ille princeps morte affectus fuit, ſed merum Dei beneplacitum hoc fuit; *Dominus* enim delectatus eſt ipſum *conterere*, Ipſe Deus החלי *morbo* i.e. vulnere ipſum *affecit*, non jaculatores, cum bonus princeps in curru

curru suo vulneratus diceret מחלי מאד Ægrotus factus sum valdè 2. Par. 35. 23. Quod *si animam suam pro reatu posuisset* i. e. peccato & iniquitati ad exemplum majorum suorum operam dedisset, fortè *semen vidisset, dies suos prolongasset, & voluntas Domini per manus ipsius prosperata fuisset*, prout homines improbi diutius vivere, quam pii, posteritatem videre, & rebus secundis in hoc mundo uti consueverunt, Iob. 21. 7. Sed quia fuit rex pius, fuit infelix.

Vers. 11. *Exemptum molestia se ipsum videns, saturabitur. Cognitione sui justificabit justus servus meus multos & iniquitates ipsorum ipse portabit.*

Sed ejusmodi cogitationibus non indulgendum (sic Deum populo ad querelam suam respondentem à propheta introduci fingit) nam *à molestia* qua dolores & mortem sustinuit, nunc *exemptam cum videat* animam suam rex Iosias, ecce præmio hoc coronatus est, quod omni gaudio & spiritualibus bonis in beato animarum seculo se *saturari* sentit. Qua felicitate *servus* ille *meus justus* se dignum omnino effecit, eo quod, cum moreretur, *justificavit in cognitione sua* לרבים *coram multis* justitiam meam, & judicium illud meum erga se mente sua approbavit & justam declaravit, ac si mortem ex justo meo judicio ob propria peccata inflictam oppeteret, licet reverà res ita se non haberet, nam *iniquitates ipsorum* Israelitarum, & iniquitatum pœnas *ipse portabat*, & non nisi ex summa animi submissione hanc confessionem edebat.

Vers. 12. *Idcirco partem dabo ipsi pro multis, ut cum robustis partiatur prædam, pro eo quod profundit in mortem seipsum, & cum defectoribus annumeratus est, nam ipse peccatum multorum perferens, pro defectoribus intercessit.*

Idcirco partem dabo ipsi cum רבים *magnis* & præstantissimis ex patribus, *& cum robustis partietur prædam*, ipse enim in resurrectione justorum, cum advenerit Messias, inter principes Israelis eminebit & mundum possidebit, ejusque bonis corporalibus in summa felicitate fruetur. Idque ideo *quia profudit in mortem animam suam* sanctam, quam Deo tradidit cum jam morti vicinus esset, & seipsum *peccatoribus*, justum Dei erga se judi-

Judicium deprædicando & seipsum rebellionis accusando *annumerabit*, licet reverà hoc ita non esset, *nam ipse peccata multorum tulit*, & propter defectiones Israelis יפגע *occurrere* eum *fecit* Deus לפושעים *peccatoribus*, nimirum jaculatoribus Nechonis, qui ipsum occiderent.

Expositio Quarta

DE JESU CHRISTO VERO MESSIA

TEXTUS ESAIÆ. — PARAPHRASIS CHRISTIANORUM.

Cap. 52. 13. *Ecce prosperabitur servus meus, extolletur & elevabitur, & altus erit valde.*

Ecce (inquit Deus Pater) *servus meus* IESUS CHRISTUS VERUS MUNDI MESSIAS, qui cum filius meus unigenitus sit ab æterno, humana natura assumpta, erit mihi servus fidelis in opere, ad quod illum sum missurus, quod est opus redemptionis generis humani à potestate peccati & Satanæ, in quo opere *prosperabitur*, nam ad finem illud feliciter perducet, tandemque humilitatis ignominiæque statu, quam in forma servi juxta æternum meum decretum subire necesse habebit, defunctus, morte & satana, omnibusque spiritualibus hostibus in gloriosa resurrectione triumphatis, in cœlum *extolletur*, supra angelorum conditionem etiam quoad humanam naturam *elevabitur*, omnibusque creaturis in cœlo & in terra imperio ejus subjectis, *altus erit valde*.

Vers. 14. *Quemadmodum obstupuerint de te multi, sic corruptus præ quolibet aspectus ejus, & forma ejus præ filiis hominum.*

Verum quidem est, servi hujus, dum opus meum perficiet, conditionem fore miseram quoad formam externam, usque adeo etiam ut homines de ipso obstupescant, sed *Quemadmodum multi de te obstupescent*, & mirabuntur (mi fili!) idque non immeritò, nam *sic erit* prout illi mirabuntur, *corruptus* nimirum *præ quolibet* hominum *aspectus ejus* servi mei, vermi quam homini in statu humilitatis quem lubens ad tempus assumet, similior Psal. 22. *& forma ejus præ filiis hominum*, majo-

majoribus nimirum quam ullus hominum, perpessionibus obnoxii. (NB. Observanda hic variatio prophetis non infrequens, qua modò in secunda modò in tertia persona, sermo propheticus ad eundem dirigitur.)

Vers. 15. *Ita persperget stupore gentes multas, propter eum obdent reges os suum, quando quod non narratum fuerit illis, videbunt, & quod non audiverunt, animadvertent.*

Ita vicissim non tantum judæos sed & *gentes multas* vera fide ad ipsum conversas, spiritu sanctificationis *perspergeret*. *Propter ipsum obdent reges os suum*, supra modum mirantes, illum, cujus conditio anteà tam vilis erat, ad tantam gloriam supra omnes cœlos esse evectum, *quando quod narratũ ipsis non fuerat, videbunt, & quod non audiverant, animadvertent*, nimirum de duabus in Christo naturis, Divina & humana, & æterno redemptionis ab ipso peractæ, mysterio, quod vel ipsi angeli introspicere gestiunt.

Cap. 53. Vers. 1. *Quis credit Prædicationi nostræ & brachium Dei cui revelatur?*

Sed licet (inquit propheta) Pater cœlestis ista de filio suo æterno & opere redemptionis per ministerium meum prædicat. Quis tamen ex populo Israelitico est qui istis rebus fidem adhibeat? *Quis credit prædicationi* huic *nostræ*? & quotusquisque illorum est, cui brachium efficaciæ Divinæ *revelatur*, ut tantum salutis mysterium mente percipiat & fide amplectatur. Sanè numerus fidelium admodum est exiguus.

Vers. 2. *Assurgit ut tenera planta coram illo, & tanquam radix è terra solitaria, non est forma ei neque decor, & quando intuemur eum, non inest species ut desideremus illum.*

Sed non est mirum, carnalis enim regni vanâ exspectatione fascinati miseri judæi, de animarum suarum salute parum soliciti, Messiam seu liberatorem expetunt, qui potens viribus ad subjugandos hostes & seculari pompa stipatus introeat. Talem autem se Jesus Christus verus Messias non ostendet, nec in illum finem veniet in mun-

dum, quippe qui *ascendet ut tenera planta*, quæ cum crescere incipit, nec altitudinem habet nec robur, humilis est & debilis, talis ipsius in hunc mundum erit ingressus, לפניו *in conspectu ejus*, i.e. quoad aspectum ejus externum, *similis radici* quæ pullulat *è terra sicca*, quæ, cum ob fundi sterilitatem exiguus vigor ei insit, robustam procreandi arborem spectatori spem non facit. Sic *nulla* in ipso nec *forma nec decor* quem mundus suspiciat, extrinsecus apparebit, quò hominibus carnalibus, se insignem quondam liberatorem & potentissimum terrarum principem fore, spem facere possit: Propterea que ipsum repudiabunt Israelitæ, dicentes: *Aspeximus quidem illum, sed nulla inerat forma ut desideremus illum.*

Vers. 3. *Contemptus & abjectissimus virorum, doloribus affectus & familiaris morbo, & ut abscondens faciem à nobis, contemptus ita ut non æstimemus illum.*

Imò non tantum non inerat ipsi, quod in Messia quærimus, ut isto nomine ipsum desiderassemus, sed quod plus est, *contemptus* etiam *erat & abjectissimus virorum*, usque adeo ut nemo alicujus status vel conditionis cum ipso sociari vellet, idque ideo quia *doloribus erat affectus & familiaris morbo*, ut pote qui non tantum pauper esset & abjectus, sed tandem etiam publico opprobrio, vulneribus affectus imò ignominiosæ crucis morti in medio latronum expositus. Et hinc *velut abscondens* præ pudore *faciem à nobis erat*, & nos vicissim ab illo propter summam, qua afficiebatur, ignominiam. Eratque usque adeo *contemptus ut non æstimaremus ipsum*, imò econtra ludibrio ipsum haberemus.

Vers. 4. *Verumtamen morbos nostros ipse pertulit, & dolores ipsos nostros bajulavit, quāvis nos æstimemus ipsum plagâ affectum, percussum à Deo & afflictum.*

Sed ut ignorantes illi, carnis sensui addicti, tam iniquum de Messia judicium ferentes, se deceptos agnoscant, in veritate rei ipsos erudiam. Sciant itaque Messiam in tam humili & abjecto statu manifestandum esse huic mundo, non sui sed nostri causa, & non suos, *sed nostros* spirituales *morbos laturum*, non suas sed *nostros dolores bajulaturum*. Pœnas enim

nobis

nobis debitas cùm temporales tum æternas pro peccatis nostris satisfactorias, animabus nostris & corporibus simul infligendas, ipse anima & corpore pro nobis perferendas habebit. Hinc forma ejus usque adeo corrupta, & conditio ejus abjecta videbitur, quod nos & gens nostra non considerantes, *æstimabimus ipsum* velut insignem peccatorem ob propria sua facinora *plaga affici*, *à Deo* per manus hominum *percuti & affligi*, justissimumque ejus judicium incurrere.

Vers. 5. *Nam ipse dolore afficitur à defectionibus nostris, atteritur ab iniquitatibus nostris, castigatio pacis nostræ imponitur ei, & tumice ejus fit curatio nobis.*

Sed rem aliter se habere certum est, *nam ipse dolore afficietur* non à suis sed *nostris defectionibus, atteretur ab iniquitatibus nostris. Castigatio pacis nostræ*, quæ æternam animabus nostris cum Deo pacem procurabit, *imponetur ei*, *& tumice ejus* seu plaga & variis perpessionibus quibus in tota vita, & violenta imprimis morte erit subjectus, *fiet curatio nobis*, adeò ut ab omni peccato & peccati pœnâ, satisfactione ejus instar salutaris medicinæ animabus nostris per fidem applicatâ, liberi evasuri simus.

Vers. 6. *Omnes nos, ut ovis, erravimus, quisque in viam suam nos convertimus, & Deus facit ut incurrat in eum pœna omnium nostrûm.*

Et si forte quis hic justitiam suam & bona opera prætexere voluerit, quasi Messias morte sua & passione pro se satisfacere necesse non habeat; gloriationem istam sciat esse vanam, nam *omnes nos, ut ovis, erravimus, quisque in viam suam nos convertimus*, naturali enim nostra corruptione à Deo & omni bono omnes æque aversi, & ad omne malum proclives, in via perditionis quam quisque pro se velut ovis derelicta gnaviter iniquitati suæ dans operam, prosequebatur, cucurrimus. Omnis itaque salutis nostræ fides in divinâ misericordia unicè sita est, quâ, commiseratione erga nos ductus, benignus ille Deus faciet *ut incurrat in eum*, nimirum filium suum Iesum Christum, *pœna omnium nostrûm* quam peccatis nostris meriti sumus, ipsum pro nobis castigando, ut è faucibus inferni eripiamur.

Vers. 7. *Exigitur pœna, & ipse affligitur, & os suum non aperit; ut parva pecus ad mactationem ducitur, & velut ovis coram tonsoribus suis obmutescens, neque aperit os suum.*

Hæc pœna cum à nobis & natura nostra instar debiti *exigatur*, ecce *ipse* ונענה *sponsor noster fiet*, eam pro nobis sustinendo, & patrem cœlestem sua satisfactione placando. Imo lubens hoc faciet, nam *os suum* ad contradicendum vel passionem & mortem declinandum *non aperiet*, sed *ut parva pecus ad mactationem* & mortem *crucis ducetur*, imó sponte se latronibus judæis & gentibus ad supplicium ipsum raptantibus offeret. Et erit coram iniquis illis judicibus *velut ovis coram tonsoribus suis obmutescens* quando mortis sententia ipsi pronunciabitur, *neque aperiet os suum* ad contradicendum vel reluctandum quando contumeliis & verberibus afficietur, & cruci affigetur.

Vers. 8. *A coarctatione & judicio tollitur, at generationem ejus quis enarraturus est, nam exscinditur è terra viventium, ex defectione populi mei plaga est ipsi.*

Postquàm verò patri suo cœlesti se ad mortem usque crucis obedientem ostenderit, *ab* omni *angustiâ* cùm animæ tum corporis, *& à judicio* damnationis, quod quidem judices iniqui, non tamen sine peculiari æterni patris decreto de ipso ferent, liberabitur, cùm per mortem quæ piè defunctorum molestiis & afflictionibus metam ponit, tum imprimis per glorioſam suam à mortuis resurrectionem, per quam in æternam gloriam ad dexteram Patris exaltatus *assumetur*. Quis tum דורו *generationem ejus* tam quoad vitæ & dierum gloriæ in personâ ejus prolongationem, quam quoad filiorum spiritualium quos per sanguinem suum & mortem redemptos spiritus sui efficacia generabit, prosapiã *enarrabit* & verbis exprimet? Nemo sanè, prior quippe erit infinita & æterna, posterior immensa. Quapropter toto cœlo errabunt putantes ipsum è rerum naturâ exstinctum quando vitâ ipsum privaverint, *nam* sic tantùm *è terrâ viventium* & ex caduca hâc vitâ, impiorum hominum malitia abreptus *excidetur*, idq; quia *propter peccata populi mei*, judęorum & non minus gentium, hæc *ipsi plaga* erit, sed illis per mortem expiatis, resurget, & gloriosè vivet in æternum. Et

Verſ. 9. *Poſuit ſepulcrum ipſius cum impiis, ſed cum divite in morte ſua erit quia violentiam non fecit, & non eſt dolus in ipſius ore.*

Et ſanè futuræ iſtius gloriæ etiam in morte ejus documentum quoddam exhibebitur, eo quod impium illud judæorum conſilium *ponet cum impiis ſepulcrum ejus*, nimirum cum latronibus, in quorum medio ipſum crucifigendum curabunt, cum in finem ut & eodem tumulo ad æternam ejus infamiam cum ipſis conderetur. Sed aliter Deo eſt viſum, qui viri alicujus divitis & pii, Ioſephi Arimathei ſpiritum excitabit, ut corpus defuncti Meſſiæ petat à Pilato, & impetratum tollat, honeſtiorique loco recondat. Sic itaque corpus ejus ex impiorum manibus, qui ſepulturam ei ignominioſam deſtinaverant, ereptum, erit *cum divite* Ioſepho, quam primum beatam animam Deo patri tradiderit in morte ſuâ, imò potius *in mortibus ſuis*, quippe non ſimplex nec unum mortis genus, ſed violentam corporis, variis cruciatibus illatam, & cum morte animæ, quoad ſenſum internum conjunctam opperiet. Deus autem iſtam ab ipſo ignominiam averſurus eſt, *quòd violentiam non fecerit, nec dolus fuerit in ipſius ore*, licet enim per malitiam judæorum latronibus aſſociandus ſit in cruce, ut nefarius & ipſe videatur qui noſtram culpam in ſe ſuſcepturus eſt, ejus tamen innocentiam eo teſtatam facict Deus, quod minimè permiſſurus eſt ut cum iiſdem latronibus, hominibus violentis & fraudulentis, in eandem foveam conjiciatur.

Verſ. 10. *Et Dominus delectatus eſt conterere ipſum, morbo affecit, ſi poſuerit animã ſuam pro reatu, videbit ſemen, prolongabit dies, & voluntas Domini per eum proſperabitur.*

Sed finis erit beatus, his enim omnibus ad mortem & ſepulturam uſque ita perpeſſis, conſpicuum tandèm erit, *ita placuiſſe Deo* propter noſtra duntaxat peccata *ipſum conterere* & tot anguſtiarum & afflictionum *morbo afficere*, ut, *quando anima ipſius ſeipſam pro reatu poſuerit*, & mortẽ pro Dei electis libenter ſubierit, poſtmodum omnibus iſtis exãtolatis laboribus, *ſemen* innumerorum Dei filiorum, & Eccleſiæ fidelium, ſanguine ſuo pretioſo partæ per apoſtolos propagationem, ſumma cum voluptate veluti fructum mor-

tis ſuæ *videat*, *dies* vitæ ſuæ glorioſæ & imperii univerſalis ad dexteram æterni patris in ſecula ſeculorum *prolonget*. Sic *voluntas Domini*, nimirum opus noſtrę redemptionis & ſalutis animarum noſtrarum quod ab ęterno Dei beneplacito pendet, *per eum*, mediante humiliationis ejus & exaltationis ſtatu *proſperabitur*, & feliciter ad finem perducetur.

Verſ. 11. *Exemptum moleſtia ſe ipſum videns ſaturabitur. Cognitione ſui juſtificabit juſtus ſervus meus multos & iniquitates ipſorum ipſe portabit.*

Et hic fructus ille erit (inquit Pater cœleſtis) quem *de labore animæ* ſuæ *videbit*, quo in æternum & in ſupremo gradu beatus, omnis deſiderii tam ſui quam omnium meorum electorum causâ complementum nactus *ſaturabitur. Sui* enim *cognitione*, quâ omnes fideles ipſum pro vero Meſſiâ agnoſcent, *juſtificabit juſtus ſervus meus*, juſtitiam ſuam quam vitâ innocentiſſimâ & pretioſa ſua morte acquiret, applicando *multis*, nimirum electis vera fide illam amplectentibus, *nam iniquitates eorum ipſe portabit*, & portando abolebit, atque ita à peccato immunes, ſuaque perfectâ juſtitiâ indutos coram judicio meo ſubſiſtere faciet.

Verſ. 12. *Idcirco partem dabo ipſi pro multis, ut cum robuſtis partiatur prædam, pro eo quod profundit in mortem ſeipſum, & cum defectoribus annumeratus eſt, nam ipſe peccatum multorum perferens, pro defectoribus interceſſit.*

Summa huc redit. Quandoquidem tam felici ſucceſſu opus ad quod ipſum miſſurus ſum, perficiet. *Idcircò diſtribuam ipſi inter multos* portionem gloriæ ampliſsimam, majorem etiam quam ipſi angeli poſsident, ipſi enim inter multos fratres qui per meritum ipſius filii Dei efficientur æternæ vitæ hæredes, & gloriæ ipſius participes, primaria eaque duplex velut primogenito debetur portio, Deut. 21. 17. Imo velut unigenito quoad Divinam ejus naturam quicquid cœlo & terra continetur, ipſi in poſſeſsionem tradetur, ut omnia pedibus ejus ſubjiciantur, & gloriam ſuam non in medio electorum duntaxat, ſed & in medio hoſtium oſtendat,

dat, nam *& robustos* יחלק *possidebit* in *spolium*, Diabolo quippe, inferno, peccato, carne &c. hostibus potentissimis, miseræ hominum sorti insultantibus, potenter debellatis, & velut in captivitatem æternam abductis, æternum sibi & electis omnibus triumphum parabit. Quam immensam possidebit gloriam, velut præmium, *pro eo quod se ipsum* lubens & nulla vi coactus *in mortem*, ad redimendos electos Dei *profundet & cum defectoribus*, in crucem cum latronibus actus, & pro maximo peccatore habitus *numerabitur*, *dum peccata multorum* i. e. omnium electorum, ipsi tanquam sponsori eorum imputata, *feret*, & insuper *pro defectoribus*, non iis tantùm qui ignominiosâ morte ipsum afficient, Luc. 23. 34. Sed & imprimis pro omnibus illis qui per fidem in morte ipsius fiduciam suam collocabunt, efficaciter *intercedet*.

EXAMEN
ἀναστευαστικὸν.

His præmissis luculenter constat, quantum in vaticinii hujus expositione Judæorum rabbini dissideant à Christianis, ipsique rabbini à seipsis, unde disputatio exoritur satis intricata & confusa. Singulos hebraismos, illos imprimis qui minus ad controversiam hanc faciunt peculiari examini exegetico subjicere, eorumque genuinum sensum investigare, Grammaticis & Philologis relinquimus. Ad ἔλεγξιν autem theologicam, quæ cum judæis nobis intercedit, transimus, in qua siquid occurret, quod à præceptis grammaticis & usu linguæ aliquid momenti petere videbitur, ejus habebitur ratio. Cæterum integram disputationem *sex* quæstionibus comprehendemus. I. *An vaticinium hoc exponi possit vel debeat de Ieremia?* II. *An de Iosia?* III. *An de quovis justo in genere?* IV. *An de populo Israelitico?* V. *An de Messia in thesi?* VI. *An de Iesu Nazareno in hypothesi?* Ad singulas, argumenta, quibus ab utraq; parte pugnatur, seu prosagogica seu apagogica, quantum satis erit, ventilabimus.

QUÆSTIO I.

AN DE JEREMIA?

Affirmativam tribui videmus *R. Saadiæ Gaon* apud Aben Esram ad vers. 13. cap. 52. *Rationes* petuntur à convenientia vers. 15. cap. 52. vers. 2. cap. 53. vers. 7. vers. 12. Vide ibi:

Respond. Huic opponimus I. Ipsum *Aben Esram*, qui opinionem hanc convellit, ducta ratione à nexu. Vide ibi. II. *Abarbenelem*, qui judicium suum de illa his verbis aperit. באמת איני רואה אפילו פסוק אחד שיורה עליו אמתתו בי אך יפורש על ירמיהו ירום ונשא וגבה מאוד ובכוך עליו יקפצו מלכי' פיהם כי הנה הנביאים היו מורגלם באותם הדמנים ואיך יאמר עליו אכן חליינו הוא נשא ומכאובינו סבלם ובחבורתו נרפא לנו וכן וה' הפגיע בו את עון כולנו באלו הוא קבל העונש כולו וישראל היו נקיים גם מפשע עמי נגע למו וכן ויתן את רשעים קברו לא נמצא בינינו דבר הזה כלל כל שבן ידאה זרע יאריך ומים ואמרו ואת עצומים יחלק שלל בי דבר הזה לא נתקיים בעינינו ותמוהני מאד מהנאון כי הביאו לדעת הזה ומהחבבים אשר שבחו פירושו טוף דבר שהדברים ה האלה כלם הם זרים בלתי מהישבים בכתובים. *Reverà ne unum quidem versiculum video, qui de ipso exponi possit. Qua ratione de Ieremiâ dicetur?* Extolletur & altus erit valde: *Item illud:* Propter eum obdent reges os suum, *nam ætas illa prophetas habere consueverat*: *Quomodo etiam dici potest*, morbos nostros portasse & dolores nostros bajulasse, & tumice ejus curationem nobis esse, Deum in ipsum incurrere feciisse peccata omnium nostrum, *quasi ipsi pœna incubuisset & Israel fuisset immunis. Tum illud*: Propter peccata populi mei plaga למו ipsis. *Item*: Dedit cum improbis sepulcrum ejus, *ad ipsum referri nequit, multò minus illud*: videbit semen, prolongabit dies. *Item*: cum robustis partietur spolium. *In quibus omnibus nihil est quod de ipso commodè affirmari possit. Vnde vehementer miror, quomodo R. Haggaon in hanc sententiam perduci potuerit, & sapientes dari*

qui

qui hanc expositionem laudent, cum tamen tota ista exponendi ratio planè aliena sit, & scripturâ non fulta. Possent & alia istis addi, sed satis nobis est, rabbinorum somnia ab ipsis rabbinis explodi.

QUÆSTIO II.

AN DE REGE JOSIA?

Affirmati solus *Abarbenel.* Confirmat à nexu & applicatione partium totius vaticinii. *Nexum* petit à vers. 1. cap. 52. Ubi de Nechone rege Ægypti agi contendit, indeque colligit, prophetam ea occasione de Iosia & Nechone hic vaticinatum esse.

Resp. 1. κατ' ἄγνοιαν. Negatur agi de Nechone. cap. 52. 1. *Evigila, indue robur tuum, o Tzion! &c. nam non perget invadere te amplius præputiatus & immundus*, falsum enim est Nechonem invasisse Iudæam, imò contrarium verum, Iosiam præter fas & æquum invasisse Nechonem, quod ideo malè ipsi cessit, uti videmus 2. Chron. 35. 20. &c. Proptereaque nulli unquam rabbinorum, solo excepto Abarbenele, qui rebus novis studere solet, talis expositio in mentem venit. *Resp.* 2. καθ' συγχώρησιν. Sit ita, per *præputiatum & immundum*, intelligi posse Nechonem, nulla tamen inde consequentia duci potest ad subsequens vaticiniū de prælio ipsius cum Iosia, quippe eadem illa ratio quâ Aben Esra negat, locum intelligi posse de Jeremia, (הנכון בעיני כי כל הפרשה רבקה כי מה טעם להוביד ירמיהו אחר הנחמות ולפני הנחמות) *Videtur mihi, totam sectionem cohærere cum præcedentibus & sequentibus, quomodo itaque mentionem faceret Ieremiæ ante & post materiam consolationis?*) & hic obstat, quominus intelligi debeat de Iosiâ. Magnificam Ecclesiæ redemptionem & felicem statum, (qualis autem & quis ille futurus sit, spiritualis ne an corporalis, jam non disputatur) ante & post vaticinium hoc describit Esaias. Quid itaque ipsum movisset, ut universali beneficio, particulare ali-

re aliquod & luctuoſiſsimum calamitatis exemplum, quale illud Ioſiæ, tam ab inſtituto & ſcopo alienum, à quo nec origo, nec progreſſus, nec cauſa nec media iſtius promiſſę felicitatis ullatenus pendeant, velut per protractam parentheſin, loco planè alieno immiſceret? Hanc abſurditatem animadvertens Abarbenel, fruſtra ei præuertere conatur, dum ait ואין להפלא מאשר תבא הנבואה הואת בתוך יורי הגאולה העתידה כי אין נבואות הספר הזה כולם מקושרות ומיוחסות זו לזו אבל נכתבו הנבואות והיורים שנבא הנביא כל אחת בפני עצמה כמו שיראה מ מסגנון הנבואות *mirum non eſſe, vaticinium hoc mediis de futura redemptione promiſsionibus, eſſe immixtum, quippe omnes hujus libri prophetias non tam connexas eſſe, ut una alteri cohæreat & reſpondeat, ſed prædictiones & promiſsiones ſingulatim eſſe conſcriptas, ut unaquæque non aliarum ſed ſui ipſius duntaxat rationem habeat; Illudque ſingularum argumentis inſpectis eſſe manifeſtum*: ad hoc enim *Reſp.* Verum quidem eſſe, vaticinia prophetarum, prout diverſorum ſunt generum, ſic nec uſque adeò à ſe invicem dependere ut à tranſitione & nexu argumentum aliquod apodicticum formari commodè poſsit, præſertim in typicis & compoſitis, ubi modò ad typum magis, modò potius ad antitypum inclinantes, nullam artificioſi alicujus ordinis legem prophetico ſtylo figi patiantur ſcriptores ſacri. Ita tamen ſcripta eorum eſſe confuſa, ut in ſubjecta toto cœlo diverſa, à generalibus ad particularia, & viciſsim à particularibus ad generalia, à materia conſolationis ad univerſam Eccleſiam ſpectantis, ad peculiare quoddam triſtitiæ exemplum, ſubitòque rurſus ad materiam priorem, à felici Eccleſiæ ſtatu poſt tria circiter annorum millia (citius enim Meſsiam non venturum hodie agnoſcunt rabbini) demum eventuro, ad calamitatis ſpeciale exemplum mox Eccleſię judaicę iſtius temporis exhibēdo, & denuò ad gaudii & lætitiæ objecta temporis futuri, de

quo

quo antea, abſque ulla ſive tranſitionis ſive temporis aut ſubjecti mutationis indicio, trochilorum inſtar leviſſimo ſaltu ramos arborum raptim tranſilientium, devolvantur & prolabantur, tantum abeſt ut prophetis tale ſcribendi genus tribuendum ſit, ut mentis non compotem meritò dixeris, cui tam deſultoriè ſeu ſcribere ſeu loqui uſu venerit. Unde non minus miramur quomodo Abarbeneli tam inepta cogitatio in mentem venire potuerit, quàm ipſe perſpicacior, miratur ineptiam R. Haggaon, quod de Jeremiâ exponeret. Imo, quod magis in ipſo mirandum, ubi de Meſsia hoc vaticinium intelligendum negat, argumentum petit à connexione materiæ hujus cum præcendenti & ſequenti, ubi cum de populo Iſraelitico ſermo ſit, & hic eundem populum non verò Meſſiam indigitari concludit. Cujus argumentationis, novam nunc viam inſiſtens planè oblitus, proprio ſuo telo ſe ipſum inſcius confodit, ſi enim ea de cauſa locus non de Meſsia ſed populo Iſraelitico intelligendus eſt, quia in præcedentibus & ſequentibus de populo ſermo eſt, ergò & eadem de cauſâ non exponendus eſt de Ioſia. Sed ne in *applicatione* præſidii aliquid eſſe nonnemo exiſtimet, duplici modo illa confutatur. 1. A parte authoris. 2. à parte rei. *A parte authoris*, ſiquidem ipſe Abarbenel hujus applicationis author, dum cōmuni de populo Iſraelitico expoſitioni ſubſcribit, ridiculum ſe oſtendit quod hanc alteram ei addat, quaſi cum illa ſubſiſtere poſſit, utramque enim â prophetâ intendi, diximus eſſe abſurdum, præſertim ſi utriuſque expoſitionis modi tales ſint ut una alteram planè evertat, quod hic contingere ex collatione partium liquidò conſtat. Turpiter enim ſibi ipſi contradicit, dum ſupra exponens de populo Iſraelitico verſum quartum, *morbos noſtros ipſe tulit* &c. profitetur ſe ab aliorum interpretum expoſitione diſſentire, qui paſſivè ver-

ba ſumant, quaſi gentes dixerint, Iſraelem ſuos, quos ipſæ ſuſtinere debebant, morbos ſuſtinuiſſe, ſe verò activè potius exponere, quod gentes tales denotent morbos quos ipſæ Iſraeli infligebant. Ubi verò de Ioſia locum exponit, ſui oblitus paſſivam expoſitionem amplectitur, & per dolores quos ſuſtinuit Ioſias, non illos intelligit, quos populus Iſraeliticus quem loquentem ibi introducit, ipſi inflixerit (hoc enim falſum eſſe videbat) ſed quos Iſraelitis infligendos Ioſias pro generatione ſui temporis ſuſtinuit. Iſta quia contraria ſunt, alterutrum neceſſariò falſitatis arguunt, & ſic Abarbenel propriam ſuam expoſitionem evertit. *A parte rei* ex ſingulis ferè verſibus quorum paucos duntaxat delibabimus, colligitur quam ineptè iſta omnia accommodentur ad Ioſiam. *Verſ.* 13. cap. 52. Vocem ישכיל *proſperabitur*, non tantum *intelligenter agere*, (quæ quidem propria radicis denotatio eſt) ſed & *proſpere & felici cum ſucceſſu agere*, præſtantiſſimorum Hebræorum interpretum teſtimonio confirmatur, qui idcircò Davidis exemplum allegantes, qui proſperè agens, dicitur משכיל 1. Sam. 18. 14. reddunt ישכיל per יצליח quod feliciter & proſpere agere propriè ſignificat, vid. Ionath. R. Sal. Kimch. &c. Et ſane vocem hic imprimis illam ſignificandi vim habere liquet ex ſeqq. *Extolletur, elevabitur & altus erit valde*, quibus exprimitur dignitas ad quam non per ſolam internam mentis & rectam intellectus actionem ſed & externos proſperos ſucceſſus contra hoſtes, datur acceſſus. Sed animadvertens Abarbenel vocem ישכיל tam latè ſumptam non competere Ioſiæ ut pote qui proſperos ſucceſſus non habuit, ſicut in hiſtoria Nechonis videre eſt, vim verbi enervare ſtudet, & ad ſolam mentis operationem reſtringere, quæ prima perfidia eſt. *Verſ.* 14. neſciens quomodo שממו עליך רבים *obſtupuerunt de te multi* ad Ioſiam referret, utpote qui

nec

nec victoriâ sua nec morte magnum aliis admirationis stuporem incussisse, commodè dici non poterat, vim phraseos pervertit, & quasi Israelem alloqueretur prophetа,exponit, *destructi sunt propter te multi* sc. prophetæ, qui peccata tua sustinentes excisi sunt. Hæc expositio non ab aliorum interpretum mente tantùm, sed & ab omni grammaticâ ratione,aliena est, nuspiam enim reperitur ut נמס in Kal cum seqq. על constructum,aliud quid significet quam *obstupescere super aliquo.* Et hæc secunda pefidia est. *Vers.* 15. cum vi ἀποδόσεως vox יזה *persperget* necessariò ad eum pertineat, de quo in προτάσει sermo erat, nec videret quomodo illud Iosiæ affingeret, malitiosè contra mentem aliorum interpretum & naturam phraseos ad alium agentẽ, Deum scil.actionem transfert, ac denuo particulam עליו *super ipso*, quâ idem agens denotatur ad Nechonem convertit, licet ejus mutationis ne vel minimum quidem exstet indicium in textu, & sic scripturæ huic manifestam vim infert, & miserè illam dilacerat, quæ tertia ejus perfidia est. Sed dum nativo sensu corrumpendo studet, ratiocinandi facultas ipsi perit, & deridendum se propinat, dum statuit Deum dispersurum i. e. effusurum sanguinem multarum gentium, quare? quia Necho & Ægyptii effuderunt sanguinem Iosię & regiam ejus formam (ut ex præcedenti versu infert) coruperunt. Quid multis illis gentibus cum hoc Ægyptiorum facinore negotii? An ergo aliæ gentes expiabunt, quod deliquit Ægyptius? Et quid quæso deliquit? Rem habebat Necho non cum Iosia sed cum Carcemischitis populo Euphratæo, Iosias tamen ipsum præter fas & æquum Deo inconsulto armis lacessit,hostiliter,licèt non offensus etiam vim deprecantem invadit, & lacessitum ad justam sui & suorum defensionem temerè compellit. Cum itaque ipse aggressor hoc prælio victus justas temerita-

ritatis ſuæ dederit pœnas, quis Ægyptium, cui vim vi repellere Dei & naturæ lege integrum erat, tantopere peccaſſe credat, ut vindicem Dei iram non contra ſe tantum & gentem ſuam, ſed & contra innumeras alias hujus facti neſcias concitaverit? Vide quam inſulſum & futilem magnificus iſte doctor, dum ſociis ſuis & anteceſſoribus perſpicacior & acutior videri ſtudet, ſe prodat, ſui etiam & veritatis immemor, quod verſ. 9. cap. 53. Ioſiam violentiam non feciſſe dicat, cujus contrarium ex iſto Nechonis exemplo, quem violenta manu aggreſſus eſt, abundè liquet. Aliud etiam perfidiæ ſuæ documentum commonſtrat, dum *verſ.* 10. *ponere animam ſuam pro reatu*, exponit, *peccatorem fieri & peccatis ſeipſum inquinare* quod phraſi omnino repugnat, quæ non niſi pœnam aliorum peccatis promeritam in ſe ſuſcipere ſignificat. Impiè etiam agit, quod ibidem ex abſoluta divinæ gratiæ promiſſione quæ verſu iſto juxta omnium ſententiam continetur, impiam populi judaici iſtius temporis querelam conficiat, Deo ignominioſam, uti in paraphraſi videre eſt, & à mente prophetę omninò alienam. Sed ne nimis ſim prolixus, huic expoſitioni confutandæ, quæ præterquam quod abſurdiſsima ſit & ineptiſsima, unius tantum interpretis eſt, ingenii ſui acumen potius oſtentantis, quam genuinum ſcripturæ ſenſum inveſtigantis, diutius immorari non ſuſtineo.

Quæstio III.

An de quovis justo in genere?

Qui hanc *affirmativam* tuentur, uti *pauci* ſunt numero, ſic non idem ſentiunt. Alii enim putant, vaticinium competere cuivis juſto in ſolidum, alii, illud ex parte tantùm competere, ut R. Alſchech, qui quatuor priores verſus refert ad Meſsiam. Anſam diſſenſus dedit

varia

varia, vaga, & contradictoria expositio quæ in utroque talmude reperitur, ubi aliqua referuntur ad *Messiam.* aliqua ad *Mosen*, aliqua ad R. *Akibham.* Imprimis super vers. 12. cap. 53. *Partem dabo ipsi pro multis* &c. Quem talmud Babylonicum Cod. *Sota* exponit de *Mose*, uti vidimus in paraphrasi prima, Hierosolymitanum autem cod. *Schekalim* de *R. Akibha*, ex sententia cujusdam *R. Ionah*, quem isto nomine vehementer laudat glossator in *En Israel*, dicitque hanc medrasch seu expositionem mysticam esse מתוק מדבש *Melle dulciorem*, putat enim se apud istum R. Ionam occasionem inveniisse, quâ erroris convincat doctores Babylonicos, quod aliquos hujus vaticinii versiculos de Messia exposuerint, de quibus dicit אולי אפשר שמצא יחיד או יחידים התוניים שהיו נותנים לשמוע מוריף ויבואם לזה חכרח מכאובות וייסורים משונים נזכרי' באותה פרשה שיכבול איש מיוחד *Fortè aliqui doctores decepti sunt, qui audientes adulterinam hanc expositionem, necessarium inde duxerunt, ut singularis aliquis vir designetur, qui castigationes istas & dolores, de quibus hoc vaticinium loquitur, porter.* Sed quare ad R. Akibham refertur iste versus, & quid inde colligit glossator ille? De Akibha legitur sub finem Cod. *Berachot* שהוא מכר עצמו למיתא והערה למות על קדושת ה"שי נפשו שנתפש למלכו' ויהרגוהו במיתה משונה שהיו כורקים את בשרו במברקאות של ברזל ויצאתה נשמתו באחד *Quòd seipsum tradiderit supplicio & animam suam in mortem effuderit ad sanctificandum nomen Dei ben. violenter enim raptatus fuit ad supplicium, & durissimo mortis genere affectus, ferreis enim pectinibus carnem ipsius pexerunt, donec animam suam efflaret.* Non immeritò ergo isti R. Jonæ & sibi, omnibusque judæis gratulatur glossator, quod ipse tam feliciter invenerit virum, ad quem versus iste duodecimus referri possit, eòque citat dictum *Dan* 12. 9. *Occlusæ sunt & obsignatæ hæ res usque ad tempus determinatum.* Sic hoc vaticinium Esai. fuisse occlusum, ait, neminemq; quo illud

referendum eſſet, rectè noviſſe, uſque ad tempus determinatum, nimirum R. Akibhæ, in cujus demum morte innotuerit, quo pertineant verba prophetæ. Addit autem, ſcopum dicti R. Ionæ cui inveſtigationis iſtius laus in ſolidum debetur, minimè fuiſſe, ut totum vaticinium de R. Akibha exponeret, ſed januam tantum iſtâ medraſch aperuiſſe, per quam ſenſus פשוט ſeu verus prophetæ ſcopus deprehendi poſſit. Hinc jam colligit, Eſaiam non de certo quodam viro, ſed de quovis juſto indeterminatè vaticinatum eſſe, ait enim מדברי ר' יונה פיר' פסוק אחרון ראוי שנא' שכל הפרשה היא נבואה על החכירים המיונים ביסורין *Ex verbis R. Ionæ verſum ultimum ſic exponentis, æquum eſſe ut ſtatuamus totam ſectionem prophetiam eſſe de juſtis, caſtigationibus afflictis.* Hos autem juſtos omnes in duas claſſes diſtribuit. Primā eorum juſtorum eſſe vult, qui multis vitæ ſuę diebus, cum variis caſtigatîonibus & miſeriis conflictantur, & de illis loqui prophetam, cum dicit, *delectatus eſt Dominus conterere ipſum & morbo afficere* &c. Alteram eorum, qui publico aliquo ſupplicio è medio tolluntur, ut R. Akibha & alii ſimiles, qui diverſis temporibus animam ſuam in mortem profuderunt. Et ſubjicit שהוריענו הנביא מעלת כל חסיד וחסיד מהב' מנים ועל כל אחד מהם יצרק לשון חנה ישביל יעבדי וגם רום ונשא וגבה שכל אחד מהם ראוי להקרא עבד ה'. *Prophetam juſtorum utriuſque claſsis felicitatem oſtendere, & ſingulis eorum convenire illud*, proſperabitur ſervus meus, *item*, extolletur &c. *Siquidem unicuique eorum titulus ille competit, ut vocetur ſervus Dei.* Vide quam diligenter rebus ſuis proſpicere didicerint iſti homines. Summa ergo huc redit, Eſaiam confeciſſe calceum, quem quidem nullius pedi adaptaverit, ſed rabbinis poteſtatem reliquerit, talem ei pedem inferendi qualem ipſi geſtando quam maximè aptum judicabunt, adeo ut calceus non apretur pedi, ſed pes calceo. Sed facilè patiuntur, cujuſcunque tandem ei

infe-

inferas pedem, ſive Moſis, ſive R. Akibhæ, ſive alterius cujuſdam juſti, modo excludatur pes Meſſiæ, quapropter Babylonici doctores vapulant gloſſatori, quod etiam pedi Meſſię calceum hunc applicare auſi fuerint. Sed aliter ſentire vidimus Alſchechum.

Expoſitionem hanc citaſſe, & authorum mentem aperuiſſe ſufficiat, utpote refutatione indignam. Impoſſibile enim eſt ut in ſenſu פשט ſive ſimplici (nam de inepto myſtico qui מדרש dicitur hic nondum agimus) totum hoc vaticinium de juſto in genere intellexerit propheta, præſertim tali, qualem duabus illis claſſibus definit gloſſator, cùm nullus hic verſiculus ſit qui ad ſingulare quoddam ſubjectum non reſpiciat, quapropter meritò ab omnibus ferè recentioribus iſta ſententia eſt rejecta. Alſchechum quod attinet, fruſtrâ ille eſt, ſtatuens enim, veteres, quatuor priores verſus rectè in ſenſu ſimplici de Meſſiâ intellexiſſe, idem de verſibus ſequentibus, itidem à veteribus de Meſſiæ doloribus (uti infra videbimus) expoſitis, quos ille ad juſtum in genere ineptè detorquet, fateri cogetur, & ſic periit cauſa judæorum. Præterquam quod omnes ferè rabbini rectè ſentiant, totum vaticinium, unum idemque ſubjectum intendere, & non tranſire de ſubjecto ad ſubjectum. Imprimis autem in Alſchechi expoſitione notandum, eſſe illam omnium rabbinicarum corruptionum primam & antiquiſſimam, & per conſequens (comparativè loquendo) tolerabiliorem, ſiquidem ad orthodoxiam propius accedit, in eo quod imputationem peccati alieni, qua homo juſtus pro ſeculi ſui generatione patitur (quam hodie judęi cum aliis hæreticis negant) hic contineri agnoſcit. Quocirca ſi in eodem ſubjecto quo cœperat, perſeveraſſet, ipſius expoſitio, quoad præcipuam ejus partem, veram antiquitatem ſapere potuiſſet. Unde veriſimile eſt, primos doctores,

cùm odio Jesu Christi, sensum hujus vaticinii corrumpere inciperent, à sola subjecti mutatione initium fecisse, relictâ interim genuinâ contextus efficacia, donec successores eo non contenti, coacervatis corruptelis tot stultissimarum opinionum monstra introducerent.

Quæstio IV.

AN DE POPULO ISRAELITICO?

COmmunior *rabbinorum* expositio est de populo Israelitico quæ duplici fundamento nititur 1. Nexu 2. Applicationis convenientiâ. A *nexu* post alios argumentatur Abarbenel dicens, versum præcedentem nim. cap. 52. 12. *Præiturus est vobis Deus.* Item vers. 1. cap. 54. *Canta sterilis* &c. de populo Israelitico intelligi, ergo & omnes intermedios. *Resp. Neg. Conseq.* Tanta enim intercedit necessitudo inter Messiam & populum, ut à populo ad Messiam, & vicissim à Messia ad populum facilis sit transitus; quæcunque enim beneficia Deus promittit populo, illa in Messia impleri judæis non diffitentibus, necesse est, unde quoties de Messia prophetas sermonem instituere videmus, toties etiam singulare quoddam divinæ benevolentiæ documentum erga populum, in ipso perhibendum, bonam paginæ partem conficere, licet observare. Frustra ergo à nexu concluditur, ad populum potius hoc vaticinium spectare quàm ad Messiam: & argumentum hoc tam leve & nullius momenti est ut veteres qui de Messia constanter exposuere, de eo ne quidem cogitaverint.

Applicationem quod attinet, duplex illa est, subjecti & rei. *Ad applicationem* Subjecti. *Resp.* 1. *Servi* epitheton, non minus quadrare in Messiam, testibus rabbinis Esai 42. 1. & alibi, quam collectivè sumptum in populum Israeliticum 2. Imò separatim positum, ut hoc loco, non addi-

addito aliquo nomine proprio (ut Iacob, Iſrael &c.) quod collectionem multorum neceſſariò inferat, ſæpius unum aliquod denotare individuum, quàm hominum multitudinem, omnibus ferè ſcripturæ exemplis conſtat, adeo ut teſtimonia à rabbinis allegata, Eſai. 43. 16. *Iacob ſerve mi* &c. non neceſſariò concludant, in hoc loco ubi nomen Iacobi ſeu Iſraelis non additur, per *ſervum* populum Iſraeliticum eſſe intelligendum. 3. Adde, contrarium potius colligi ex altero epitheto איש *vir* verſ. 3. cap. 53. quod cum alio nomine conſtructum (ut hoc loco איש מכאובות *vir dolorum*) collectivè alicubi ſumi, nemo facile probaverit. *Aben Eſra* quidem affert illud איש מלחמה *vir belli*. Octies ſanè iſtam phraſin reperio, ſemper autem de uno aliquo individuo prædicari animadverto, ubi enim de pluribus ſermo eſt, dicuntur illi, non אנשי איש שלחמה ſed מלחמה *viri belli*. Niſi excipere velis locum Eſai. 3. 2. *Removebit virum belli*, i. e. *viros belli* quò fortè reſpexit Aben Eſra. Sed notandum iſthic loci, phraſin non ſumi *collectivè* ſed *diſtributivè*, additâ ipsâ diſtributionis notâ quæ eſt כל *unuſquiſque*, verſ. 1. quę totum illum contextum regit, & per accidens efficit, ut quicquid ibi in genere dicitur de ſingulis, illud pluraliter de omnibus exponi poſſit, ſic Jud. 20. 17. Ezech. 39. 20. At vero iſtâ nota in textu hoc non expreſsâ, imo utroque epithero conſtanter ſumpto in numero ſingulari, ſæpenumerò multitudini, cum quâ ipſi res eſt, oppoſito, nulla ſubeſt ratio, ſaltem à parte analogiæ phraſeos, quæ contrarium poſtulet, ſcil. collectivè ſeu diſtributivè potius, quàm individualiter exponi debere. *Inſtantia* 1. *Lipman.* At nomen עבד *ſervi*, quod hic ſingulare eſt, mox cap. 54. 17. Exprimitur pluraliter. *Poſſeſſio ſervorum Domini*, ergo ſumitur collectivè. *Reſp.* Neg. *conſeq.* Periodus enim hujus vaticinii ipſis Hebrçis definientibus, ultra finem capitis 53. ſe non

extendit, unde non mirum, si propheta, descriptione status Messiæ jam defunctus, postmodum mentis oculos aliò defigat, & ad beneficia inde ad Ecclesiam sub nomine servorum Dei designatam, manantia transeat. *Instant.* 2. *Lipman.* Vers.9. ei, de quo sermo, sepulcrum positum esse, במותיו *in mortibus suis*, dicitur, quod nomen cum plurale sit, non unius sed plurium mortem designat, proptereaque nomen servi & viri collectivè sumendum esse evincit. *Resp.* Captio est in voce במותיו, aut rei grammaticæ, quod plerisque rabbinis non infrequens, se imperitum homo levis ostendit. Nam ut in voce ista aliquid subsidii esset, exprimenda fuisset cũ affixo constructo במותיהם *mortibus eorum*, quod personarum pluralitatem argueret, sed affixum hoc singulare est, junctum nomini plurali, unde liquidò constat, non subjectum sed prædicatum duntaxat multiplicari, i. e. rem nomine designatam uni eidemque individuo competentem. Proptereaque nihil inde aliud concludi potest, quam eandem personam variis mortis speciebus fore obnoxiam, quod quomodo intelligendum sit, vide in paraphrasi Christianâ. *Instant.* 3. *Aben Esræ* & *Abarbenelis.* Vers.8. ex affixo poetico למו quod idem valet quod להם *ipsis*, colligitur agi de subjecto collectivè sumpto *Resp.* 1. Quid si concedamus למו idem valere quod להם & subjecti multiplicationem ibi duntaxat admittamus, ut sensus sit, *ex defectione populi mei plaga est ipsis* quasi propheta loquens dicat, quia ipse populus meus judaicus prævaricatus est, ideò plaga למו *ipsis* est, i.e. omnibus & singulis ex populo, quem sensum fingit Alschech, & Abarbenel, ubi exponit totum contextum de Josia. Quid impedit quo minus & Christiani istam expositionem amplectentes illam in suum commodum vertant, dicantq; populo Israelitico fore plagam, quod è terra viventium exciderint Messiam, cum reverà res ita se habeat, ut

pote

pote plagâ quam sibi ipsis imprecati sunt, dicendo: *sanguis ejus super nos & super filios nostros* Matt. 27. 25. affecti: Nec ulla inde pro subjecti multiplicatione in aliis vaticinii partibus consequētia duci posset, cum specialis hęc phraseos hujus expositio sit, quâ ipse Abarbenel particulam למו pluraliter sumens, nihilominus totum contextum de subjecto singulari & uno individuo, Iosiâ scil. vult intelligi. 2. Sed non est necesse particulam istam exponere pluraliter, non enim desunt exempla, ubi singulariter sumitur, & quidem (ut nunc alia ab aliis observata præteream) apud ipsum Esaiam vid. cap. 44. 15. *Facit ex illo* פסל *simulacrum*, & *incurvat se* למו *coram illo*, ubi ipse Kimchi fatetur למו idem esse quod לו *ipsi*, nec potest aliter, ipse enim propheta mox vers. 17. eandem repetens phrasin pro למו ponit לו, quod exemplum licet sit valdè perspicuum, Kimchii tamen cavillo est obnoxium, qui licet coactus usum numeri singularis particulæ concedat, pluraliter tamen exponere satagit, dum addit או כמשמעו להם ופירוש לפסילים אף על פי שלא זכר אלא אחד רבים הם *juxta significationem reddi posse per* להם ipsis, *ut non de uno tantum, sed multis simulachris intelligatur, licet enim unius tantum faciat mentionem, plura tamen habebant.* Sed frustra est homo iste, non enim quæstio est, an isti εἰδωλοποιοὶ de quibus ibi, plura seu habuerint seu confecerint simulacra, sed an non propheta de unius duntaxat & non plurium simul confectione & adoratione ibi sermonem instituat, quod ex instituto facile colligitur, dicit enim fabrum lignarium (qui & idololatra) in varios usus concidere arborem, ex partibus concisis focum, qui dimidium trunci absumit, calefaciendi se, & panem ciboſque coquendi gratiâ, exstruere, ex massâ autem inde excisâ conficere אל *Deum*, פסל *simulacrum*, ועשהו כתבנית איש *formam viri ei assingere*, ויכרע למו *coram illo se prosternere* ויתפלל אליו *illudque deprecari*

quæ

quæ nominum ſingularium circumſtantiæ ſatis oſtendunt, prophetam non niſi de uno ſimulacro quod ex una eademque maſſa conficitur, intendere ſermonem, ſicut enim non niſi unum eâdem efformat operâ, non duo ſimul, ſic & eo quo adorat momento, non niſi coram uno ſe proſternit, eique ſoli pro iſta vice, & non pluribus ſimul, geniculatur ſtupidus idololatra. Quapropter למו hic ipſo propheta teſte, aliter exponi non debet quam per לו quod & Chaldæus interpres agnoſcit, qui ויפגר למו reddit cum affixo ſingulari מניה ובינא *& petit ab ipſo.* Huc addi poſſit locus Job. 22. 2. Ubi affixum מו reſpondet nomini גבר & משכיל in ſing. *An prodeſſe poteſt vir aliquis Deo? Sed* עלימו *ſibi ipſi proderit prudenter agens.* Sic Job. 20. 23. *Depluit* עלימו *ſuper ipſo* בלחומו *loco cibi ejus.* Ubi Kimchi in Gram: agnoſcit מו eſſe כנוי היחיד הנסתר *affixum tertiæ perſonæ numeri ſingularis.* Addit etiam rationem, quare utrique numero iſtud affixum conveniat, nimirum כי יש בו ם מ׳ מן רבים וכ׳ מן יחיד כי המם מן רבים הנסתרם והוו מ׳ מן יחיד הנסתר *quia in eo eſt nota numeri ſing. eſt & in eo nota num. plur. Mem eſt nota num. plur. 3. perſ. Vau autem eſt nota num. ſing. 3. perſ.* Hæc plana de hoc affixo controverſiæ deciſio eſt.

Hactenus de applicatione ſubjecti, ſequitur *Applicatio* Rei. Ad hanc *Reſpond.* I. *In genere*, rabbinos non alio medio populo Iſraelitico vaticinium hoc aſsignare poſſe, quam reſpiciendo ad futura tempora Meſsiæ, adeo ut juxta iſtā ſententiam penes Eſaiam hac in parte fides nulla ſit, quin prius fuerit adimpletum, vel certò adimplendum demonſtretur, quicquid de futuro Meſsiæ adventu & carnali liberatione ſomniant judæi. At ſæpius in hoc opere oſtendimus judaicam iſtam fidem eſſe ineptam, analogiæ ſcripturæ & temporum, experientiæ item & divinę œconomiæ contrariam. Quapropter ſtolidè agunt rabbini & נאצים petunt, vaticinii hujus applicationem commen-

mendare ſtudentes, tali fundamento ſubnixam, quod ipſis everſum eſt, vanæ nimirum fidei de carnali liberatione. Quod ſi principium petitum eſſet à re quæ jam complementum ſuum adepta ſit, de probitate applicationis & mente prophetæ ex eventu rei judicium ferri potuiſſet, ſed nitentes principio rei non præteritæ, ſed adhuc juxta eorum ſententiam futuræ, & per conſequens incerto, vano, imò negato, priùs de ſtabiliendo fundamento, antequam quicquam ei ſuperſtruerent, ſolicitos eſſe oportebat. Hoc itaque argumento convelluntur: Si juxta ſenſum judaicum vaticinium hoc ſpectat ad populum Iſraeliticum, carnalis aliqua judæorum liberatio eſt futura. At nulla eſt futura &c. Nec ad everſionem minoris, hoc ipſum vaticinium, quaſi carnalis illa liberatio ibi promiſſa ſit, allegari poteſt, quandoquidem ex aliis oppoſitis principiis in theſi confutata, novo hoc fulcimento, niſi prius vindicata, niti nequit. Sed tamen ut ad rem propius accedamus, *Reſpond.* II. *In ſpecie* ad præcipuos factæ applicationis modos, in quibus ejus abſurditas deprehenditur.

Quæro itaque *Primò.* Cum rabbini ex verbis prophetæ, quibus humilem ſervi Dei ſtatum deſcribit (qualia ſunt illa: *Corruptus præ quolibet aſpectus ejus, & forma ejus præ filiis hominum* Cap. 52. 14. *Non eſt forma ei neque decor, & quando intuemur eum non ineſt ſpecies ut deſideremus eum* cap. 53. 2. *Contemptus & abjectiſſimus virorum, doloribus affectus & familiaris morbo, & ut abſcondens faciem à nobis, contemptus ita ut non æſtimemus illum.* Verſ. 3. &c.) hodiernam judæorum calamitoſiſſimam & miſerrimam ſub gentium jugo conditionem colligant, quomodo iſta deſcriptio conveniat cum teſtimoniis quæ de ſtatu ſuo ipſi perhibent judæi, de quo magnifica & præclara multa præſertim in partibus Orientalibus, prodidit in itenera-

rio ſuo *R. Benjamin*, & *Menaſſe Ben Iſrael* in ſuo מקוה ישראל de potentiſſimo Iſraelitarum in Americâ regno nuper ex parte detecto. Vid. ſup. pag. 40. &c. Quæ ſiquis rabbinicæ hujus expoſitionis præjudicio captus legat & fidem adhibeat, facile habeat unde mendacii inſimulet Eſaiam, qui perſuadere omnibus voluerit, ſtatum judæorum in captivitate tam deplorandum fore & miſerum, quos tamen in aliquibus mundi regionibus tanta libertate, potentia & divitiis pollere deprehendant, ut nonnulli inde, ſceptrum à Iuda, vel ſaltem legis latorem à pedibus ejus nondum ablatum eſſe, & per conſequens Schilo ſeu Meſſiam nondum veniſſe, concludere non dubitaverint. Sed quoniam iſtiuſmodi relationibus eadem quæ talmudicis fabulis debetur fides, ac proinde emunctioris naris judæo non immerito ſuſpectas eſſe opinor, ab iſto argumentandi genere facile deſiſto.

Quæro *ſecundò*. Si prophetæ mens fuit, Iſraelitarum in exilio calamitatem deſcribere quo ſenſu accipienda ſint illa, *quando intuemur illum, non ineſt ſpecies ut deſideremus illum* cap. 53. 2. & quæ deinceps in ead. perſona ſequentur. Vel ſuo & populi Iſraelitici nomine ſic in prima pluralis perſona loquitur propheta, vel alios ita loquentes introducit. Si ſuo & populi Iſraelitici nomine ita loquitur, nihil Iſraeliticarum in exilio calamitatum deſcriptione hic abſurdius, ſic enim Iſrael diceretur inviſus & contemptus in oculis Iſraelis, quod quam ridiculum ſit, ipſi novatores rabbini agnoſcentes, omnes fingunt, prophetam alios (gentes ſcil.) loquentes introducere qui tale judicium ferant de Iſraele. Deſpiciendum vero quo jure fingatur iſta introductio, quippe hominum αυθεντεχέων authoritas nobis tanti non eſt, ut ipſis ita volentibus alienam prophetæ mentem affingi patiamur. Conſentiunt, hunc gentium ſermonem initium ſumere à

verſu

verſu primo c. 53. *quis credit prædicationi noſtræ* &c. Rationes quibus illud probent, prętet beneplacitum rabbinicum, nullas habent, habemus autem nos quibus ejus falſitatem oſtendamus. I. Ipſa c. 53. cum præcedenti, cui vaticinium hoc ſecundum rabbinos attexitur, connexio, quam *Ionathan Chald.* ita concipit, ut propheta concioni cap. præced. habitæ querelem ſubjiciat, neminem eſſe qui fidem ei adhibeat. Et *R. Alſchech* ita connectit, quaſi argumentum ducat propheta à minori ad majus, q. d. Non mirum, gentium reges vix adhibituros fidem rebus quas videbunt & animadvertent, quandoquidem ipſis nunquam nunciatæ fuerant, cum ne quidem prædicatio noſtra de rebus è cælo revelatis & nunciatis, fidem inveniat. Hæc connectendi ratio, an cum prophetæ mente conveniat jam non diſputo, ſaltem liquet inde, ne quidem leviſſimum dari indicium, ex quo vel per conjecturam colligi poſſit, prophetam, ſermonem & judicia gentium referre, in animo habuiſſe. II. Maximè autem ridiculus eſt Abarbenel, qui ubi de Joſia agit, verba illa: *quis credit prædicationi noſtræ*, vult eſſe Iſraelis, at ubi de Iſraele, gentibus illa cum ſociis ſuis tribuit: alterutrum neceſſario falſum eſt, iſtaque levitas argumento eſt, illam gentium ſermonis introductionem nulla ratione niti. III. Sed videamus etiam, quis quæſo eſſet ſenſus verborum: *Quis credat prædicationi noſtræ?* Si gentes ita loquentur, quænam erit illa gentium prædicatio? Cujus eſt prædicationi illi denegata fides? Quot capita tot ferè hic ſunt ſententiæ. R. Salomo exponit. *Si alii nobis nunciaſſent, id quod oculis noſtris nunc videmus, ſanè non credidiſſemus.* Kimchi: *Quis unquam fidem adhibuit auditui quem ex ore prophetarum audivimus de Iſraele?* Abarbenel: *Quis in poſterum fidem adhibebit, ubi aliquem de ſumma noſtra potentia, quam olim, antequam funditus per Meſſiam Iſraelis deſtruere-*

mur, poſſidebamus, verba facere audiverit. Sed anguntur in voce לשמועתנו cujus ſignificatio, antequam judæorum hypotheſin excutiamus, probè inveſtiganda venit. שמועה nomen ſubſtantivum ex *Pahul Kal* efformatum propriè *rem auditam* ſignificat, idque ferè *paſſivè*. i.e. ut illi, cui res audita tribuitur, erga illam ſe habeat paſſivè, denoterq; famam quæ de ipſo ſpargitur, ut שמועת שאול *res audita Saulis*. 2. *Sam.* 4. 4. i.e. fama quæ ſpargitur de Saule. Sic communiter uſurpatur in Sacris. Hic verò ſpeciali modo & præter uſum communē videtur ſumi *activè*, ut prophetа per rem auditam ſuam intelligat, non famam ſeu rumorē qui de ſe ſpargatur, ſed quē ipſe ſpargat, ut idem valeat quod *prædicatio*. Imprimis autem hic notandum (quod leve videri poſſit, niſi ad judaicæ expoſitionis everſionem faceret) non audiendos eſſe illos, ſive judæi ſint, ſive Chriſtiani, qui ſtatuunt, propheтam prædicationem ſuam vocare שמועה *rem auditam*, non à conſequenti, ſed ab antecedenti, i. e. non ab auditione qua ipſe cæleſtem doctrinam alios audire fecit, ſed qua ipſe illam de cœlo audivit. Licet enim omninò verum ſit, propheтam nihil prædicaſſe aliis, niſi id quod de cælo audivit, nec per ſe abſurdum, prædicationem ab antecedenti dici שמועה, verbumque שמע uſurpari in ordine ad Deum quando voluntatem ſuam revelat homini. Attamen iſtam nomenclationis rationem huic loco minus convenire probamus. 1. Quia propheta conqueritur de paucitate fidem adhibentium ſuæ prædicationi, quæ querela præſupponit prædicationem populo jam eſſe factā, fruſtra enim conquereretur, populum non credere doctrinæ quam de cœlo audiverat, niſi per publicam prædicationem, illam populo notam feciſſet. Cum itaq; querela hæc nitatur prædicatione facta ad populum, cui inde non eſset proclivius colligere, Eſaiam à conſequenti potius quam ab antedenti doctrinam ſuam

appel-

appellaſſe שמועה *rem auditam*, auditione ſcil. qua illam alios audire fecerat? 2. Præterea, ſi locutio propria ſemper præferenda impropriæ, modò à mente textus non ſit aliena, nomenclatio à conſequenti potior eſt, quippe propriè loquendo doctrina prophetica quatenus illam de cœlo habebant, non erat שמועה *res audita*, utpote quam non per externum auris organum ſed internam illuminationem menti revelabat ſpiritus S. juxta illud Petri. *Acti à Spiritu S. locuti ſunt Sancti Dei homines*. 2. Pet. 1. 21. Unde Paulus apoſtolus Rom. 10. 16. cujus authoritas præcipua ratio eſt apud Chriſtianos, citans dictum hoc Eſaiæ, reddit vocem שמועה per ἀκοὴν *auditionem*, additque immediatè verſ. ſeq. ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς *Ergo fides ex auditu eſt*, unde liquet luce meridiana clarius, apoſtolum vocem שמועה ita ſumpſiſſe ut per eam intelligeret doctrinam propheticam, non quatenus illa de cœlo revelata eſt (hoc enim reſpectu illam vocat non ἀκοὴν ſed θέοπνευστον *divinitus inſpiratam*. 2. Tim. 3. 16.) ſed quatenus de cœlo revelata prædicatur hominibus, adeo ut mediante iſta ἀκοῇ fides generetur in cordibus eorum. Ideo doctiſſimus *Beza*, vocem ἀκοὴν reddit *ſermonem*, qui ab auditore ex ore loquentis excipitur. 3. Addamus conſenſum interpretum, qui omnes ſequuntur Chaldæum מן הימין לבשורתנא *Quis credidit noſtræ annunciationi?* His in anteceſsum dictis videmus R. Sal. Ab. Eſram, Kimch. &c. à genuina vocis denotatione & mente Chaldæi interpretis, cujus authoritas apud judæos plus valet quam illorum omnium, recedere, gentibus enim iſta verba tribuentes, ſumunt לשמועתנו ab antecedenti, quaſi de re audita loquantur, quam non ipſæ gentes aliis, uti vox ſonat, ſed alii (prophetæ nim. aut rabbini prophetarum interpretes) ipſis gentibus annunciavêrint, dicantque: quis credidit rei auditæ de futuro judaici Meſſiæ adventu quem rabbinos ex prophetis no-

bis demonſtrantes audivimus? Verùm, ſi iſta prophetæ mens fuiſſet, non debebat dicere לשמועתנו ſed לשמועתם *prædicationi eorum*, prædicatio enim quam aliquis audit ab alio, non tribuitur ei ad quam dirigitur, & qui eam audit, ſed ei ex cujus ore auditur. Sic communis loquendi formula obtinet, quam nemo præter neceſſitatem mutat. Quis enim illud לא ישמע אל דברי *non auſcultavit verbis meis* Deut. 18. 19. vel illud, לא ישמע אל דבריך *Non auſcultavit verbis tuis* Joſ. 1. 18. Item לא האמנתי לדבריהם *non credidi verbis eorum* 2 Par. 9. 6. Item לא האמינו בנפלאותיו *non crediderunt mirabilibus ejus.* Pſ. 78. 32. & ſexcenta talia ita exponat, ut dicat, non illum verba illa eſſe locutum, cui addito pronomine tribuuntur, ſed ab alio quodam illi dicta eſſe? Vel mirabilia illa non ab ipſo ſed ab alio ipſi eſſe facta? niſi forte quis inſigni pervertendi ſtudio laboret. Sequitur itaque hinc, ſi gentes hic loquuntur de concione quam prophetæ ſeu rabbini ad ſe habuerint, male illam tribui gentibus, cum non gentium illa ſit ſed prophetarum ad gentes. Et ſi prophetæ ſcopus quam maximè fuiſſet, exprimere perſonam, non loquentis ſed audientis, quare receſſiſſet ab hebraiſmo conſueto, quo perſona audientis jungi ſolet infinitivo, juxta illud בשמעו את דברי *cum audiret iſta* Deut. 29. 19. Sic hic perſonam audientis gerentes, dicere debuiſſent, מי האמין בשמענו *Quis noſtrum credidit cùm audiremus?* Miror itaque imprimis oſcitantiam Kimchii, tā acuti cæteroquin Grammatici, & perpetuo Hebraici ſermonis proprietatem ſectantis, qui huic ſolœciſmo indulgere potuerit. Sed videmus hic quid non poſſit partium ſtudium in homine qui mentem à veritate habet alienam, cum enim nihil fingere poſſet, quod, genuina vocis notatione retentâ, gentes aliis concionatas eſſe, diceret, cui fidem derogatam eſse conqueſturæ ſint, huic corruptioni cum ſociis ſuis ſe accommodare

coactus

coactus fuit. Idem tamen ab Abarbenele impetrari no n potuit, qui in commentis excogitandis fertilior, aliam invenit viam, qua servato communi vocis usu prius versiculi hemistichium ita exponit, ut per שמועה intelligat rem auditam, ad quam gentes se habeant passivè. Fingitque illas hic de futura sua apud exteros fama esse solicitas, & dolere summam illam vastitatem & mutationem cui in adventu judaici Messiæ se videbunt obnoxias, usq; adeò stupendam, ut qui illam viderit, vix fidem adhibiturus sit famæ, tantam olim illarum fuisse potentiam quam tam subita desolatio secuta sit. *Resp.* 1. Sanè si ejusmodi figmentis indulgere licet, quidni & Christiani populum Israeliticum hic loquentem introducere possint, & futuræ suæ vastitati eod. sensu indolentem, q.d. Futurum est, ut, Hierosolymâ nostra vastata, republica nostra funditus eversa, nobisq; in perpetuum exilium abductis, vix ullus reperiatur (tametsi etiam prophetica scripta, quæ pristinum nostrum statum describunt, plerisque nota erunt) qui credat, tam illustrem nos olim fuisse gentem, ut toti mundo esemus stupori & admirationi; tanta enim nostra infamia, & gentis nostræ, utique vilissimæ & sordidissimæ contemptus erit, ut quæ magnifica de nobis (comparativè loquendo) celebrabit rumor, fidem quasi superare videantur. Hæc expositio, si quis eam defendere velit, Abarbenelis commento longè præferenda foret, partim quod proclivius sit, prophetä, Israelis potius (uti ipse Abarbenel agnoscit, ubi de Iosia exponit) quam gentium personam referre, partim quod rem dixerit ipso eventu comprobatam. Imo præteritum האמין *credidit*, usurpatum pro futuro, non obstaret huic Christianæ expositioni, si propheta suo & Israelis nomine locutus intelligatur, sic enim locutus esset more prophetico, cui ista enallage non infrequens, sed si gentium duntaxat sermonem refert,

non

non dicit quid ipſe ſentiat, ſed quid gentes de futura ſua fama judicaturæ ſint, debebat itaque uti modo loquendi non prophetis ſed hominibus divino afflatu carentibus conſueto. i. e. uſurpare tempus futurum & non præteritum, ubi de re adhuc futurâ ſermo eſt. Procul enim dubio, ſi gentes ita olim loquentur & famam ſuam futuram deplorabunt, non dicent מי האמין ſed מי יאמין *Quis credet? Reſp.* 2. Si hoc hominis iſtius commentum locum habeat, vel hebraiſmus qui ſequitur: *brachium Dei cui revelatur?* cum præcedenti non convenit, vel ejus vim (quod facit) enervare cogitur. Poſterioris hemiſtichii pronomen interrogativum על מי *cui?* negativam poſtulare reſponſionem, ut eundem cum priori ſenſum conficiat, agnoſcit R. Salomo, & nemo eſt, niſi qui textui vim inferre & communem loquendi uſum pervertere ſtudeat, qui inficias eat, ſiquidem poſterioris ſenſus ex priori ſponte fluit. Si prius מי האמין *Quis credit?* infert paucitatem credentium, ultrò ex ſenſus analogiâ ſequitur, ſequens illud ועל מי *& cui?* inferre paucitatem illorum quibus brachium Dei revelatum eſt, juxta illud מי אנכי ומי חיי *Quis ego? & quæ vita mea?* 1. Sam. 18. 18. Ubi ſimili ſenſu utraque interrogatio eâdem reſponſione negativâ terminatur. Nihil autem habebat depravator Abarbenel, ſi naturalem hunc ſenſum reliquiſſet incorruptum, quod gentibus affingeret, neminem enim excogitare potuit, de quo gentes negaturas diceret, brachium Dei ei eſſe revelatum, nec etiam ſociorum ſuorum expoſitionem amplecti poterat, ab iis enim in priori hemiſtichio, quod vocem לשמועתנו non rectè exponerent, meritò receſſerat, proindeque commento ſuo male conſuluiſſet, ſi, quod in priori, gentes de futura ſua fama dicturas conceperat, in poſteriori cum Kimchio & aliis de tempore præterito loquentes introduceret, & negaturas, ullum ex

ſuis

ſuis unquam exſtitiſſe, cui brachium Dei, ut ſcriptis propheticis de futura ſua per judaicum Meſſiam vaſtatione fidem adhiberet, eſſet revelatum. Hoc ſanè inſulſam cohærentiam effeciſſet. Quapropter neceſsitate coactus, poſterioris hemiſtichii interrogationem à præcedenti avellit, ejuſque reſponſionem terminat demonſtrativè, cum prioris fuerit negativa, adeo ut jam hic non indicetur paucitas eorum quibus brachium Dei revelatur, ut in priori paucitas credentium, ſed talis inferatur reſponſio qua demonſtratur is, cui revelatum eſt, uti videtur in ipſius paraphraſi. Judicet hic quiſque ſana mente præditus, annon hoc ſit manifeſtam vim inferre verbis prophetæ. Non minus violenta eſt altera ejuſdem Abarbenelis expoſitio, quam, de priori ſibi metuens, pro ſecuritate ſua velut ſecundum quoddam propugnaculum, quò, priore everſo, tutò ſe recipere poſſit, ſubjicit. Hìc per שמועה intelligit *gentium doctrinam*, q. d. Quomodo patres noſtri potuerunt eſſe tam ſtupidi, ut ejuſmodi doctrinam quam profeſſi ſunt, poſteris commendarent, cum nos nunc damno noſtro diſcamus, ſoli Moſi brachium Dei eſſe revelatum, & legem judaicam ſolam veritatis legem eſſe. Quo loco novum hoc figmentum habendum, ex antedictis facilè colligere licet, proptereaque illud in paraphraſi omiſimus. Hactenus ſatis demonſtratum, prophetæ ſcopum non fuiſſe, ut gentes loquentes hic introduceret, quod denuò in ſequentibus patebit.

Quæro *Tertiò*. Quomodo v. 4. 5. 6. dicetur populus Iſraeliticus *portare dolores & morbos* aliorum, & ab aliorum *iniquitatibus atteri*, cum doctrina iſta fidei judaicæ contraria ſit? Duplex hic evadendi ratio à rabbinis excogitata. Primam perſpicuè proponit Kimchi, alteram Abarbenel. Priori modo voces iſtæ, *dolores noſtros, morbos noſtros iniquitates noſtras* ita exponuntur ut gentibus quæ lo-

quuntur, tribuantur *passivè & inhærenter*, quasi dicant: Nos quidem existimabamus, Israelem in exilio suo ob propria sua facinora ita à Deo percussum esse & afflictum, at nunc videmus, dolores nostros, &c. qui nobis incumbebant, ipsum portasse & pro nobis fuisse afflictum. Addit Kimchi: non quod res revera ita se habeat, i.e. quod Israel reverà in exilio portet iniquitates & morbos gentium, (hoc enim pugnaret cum justitia Dei) sed quod tale isto tempore gentium de se & Israele, quando magnificam ejus redemptionem aspicient, futurum sit judicium, licet per se falsum. Ad hoc *Respond.* 1. Miseret me stolidissimorum hominum dementiæ, qui ineptiendi nec metam nec modum sibi ponunt, & ad absurdissima quæque dilabi malunt, quam manus dare veritati, nihil tam insipidum quod ipsis non sapiat, modò causę Christianorum obstitisse videantur, quocunque tandem modo illud fiat. Quod si interpres quidam Christianus tam oscitanter impingeret, ut prophetam aliquem versibus aliquot continuis rem falsissimā proponere diceret, cujus tamen falsitatis, in iis quæ præcedunt & sequuntur, ne levissimum quidem extet indicium, annon sannis ipsum exciperent? & meritò quidem, quis enim unquam scriptor gravis, nedum sacer rem falsam narravit, quin simul testatus fuerit, se illam pro falsa agnoscere, nisi forte sub specie veritatis ipsi fuerit impositum, vel ipse decepturus imponat aliis, quod à scriptore θεοπνεύστῳ alienum. Quapropter fustibus potius quam rationibus nugaces homines, rigidissimi cæteroquin minutissimarum rerum exactores, si pro merito cum ipsis agi deberet, excipiendi forent. 2. Sed & falsâ hypothesi nititur istud commentum, quo enim fundamento dicere potuit Kimchi, tale quondam fore gentium judicium, nisi existimasset, istam gentium esse doctrinam, nimirum, unam gentem ferre peccata al-

terius

terius & peccatorum pœnam, atque ita ostendit magnus ille doctor quam egregiè in Christianorum theologia fuerit versatus. Sciat itaq; nemini secundum doctrinam nostram, alterius peccatum & pœnam à Deo imputari & infligi, nisi aliqua inter utrumq; cõmunio sit, sive connexio, quæ triplex est, seu *voluntaria*, qualis est inter reum & fidejussorem, seu *Politica*, qualis est inter regem & subditos, seu *naturalis*, qualis est inter patrem & filium. Cum ergo per Dei gratiam inter Christianos & induratos judæos nulla talis sit connexio, quomodo Christianis in mentem venire poterit ut existiment, judæos sua peccata & morbos portasse? Cum enim istud in thesi ab eorum doctrina (quam hac in parte cum judæis, saltem Kimchio & ipsius assectis habent communem) sit alienum, nulla est ratio, cur talis ipsis affingatur hypothesis. Vel enim falsa est ista doctrina, hominem alterius hominis peccata & pœnam non portare nisi aliqua inter utrumque sit connexio, vel vera est. Si falsa, etiam judæorum falsa est, sic enim ipse Kimchi etiam docet, si vera est, quare ergo in judæorum Messiæ adventu illam mutarent Christiani? præsertim cum rabbinorum placitum sit, gentes tum etiam veritatis cognitionem susceperas, & majores suos falsum docuisse agnituras. An hoc est cognitionem veritatis suscipere, si doctrinam veram in falsam commutent? statuantque, judæos sua pecccata tulisse, quod majores ipsorum & quidem rectè, nonnullis judæorum magistris assentientibus, falsum esse judicabant. Vide quam absurdi & ridiculi sint homines illi, mentis cæcitate percussi. Cæterùm, Agnum, Dei beneficio habemus immaculatum, scil. fidejussorem nostrum Iesum Christum, cui soli in æternum acceptum feremus, quod peccata nostra & peccatorum pœnam tulerit, & nos liberatione æternâ liberaverit, cujus gloriæ partē vel

minimam, tantum abeſt ut impuris iſtis hominibus unquam tribuamus, ut potius illos velut miſerrima ſatanæ mancipia deteſtemur, & ſicut talem nobis nunc eſſe mentem non immeritò de nobis judicant, ſic & in illa, quamdiu ad Deum non fuerint converſi, conſtanter perſeverabimus. Videamus etiam an Abarbeneli qui alterius commenti patrocinium ſuſcipit, res felicius ſuccedat. Hic voces ſupradictas ita ſumit, ut illi, quibus res denotata tribuitur, erga eam ſe habeant *activè*, & hoc modo gentes ſe authores afflictionum, quas Iſrael in exilio ſuſtinet, agnoſcant. q.d. *dolores noſtros ipſe fert*, i.e. dolores à nobis & malitia noſtrâ ipſi inflictos; cujus confirmandi cauſa, tria ex ſcriptura affert exempla, quæ ſingula bifariam i. e. modò paſsivè modò activè diverſis in locis exponenda docet, ut *oratio tua*, ſumitur activè *audivi orationem tuam.* 1. Reg. 9. 3. is enim pronomine illo denotatur qui orat: at *oratio mea* ſumitur paſsivè *Domus orationis meæ.* Eſai. 56. 7. is enim denotatur qui adoratur, nimirum Deus. *Rex meus*, ſumitur activè, *unxi regem meum* Pſal. 2. 6. is enim denotatur qui creat regem, alibi tamen ſumitur paſsivè *tu es rex meus*, Pſal. 44. 5. is enim denotatur cui rex imperat. *Subverſio Dei* ſumitur activè. Eſai. 13. 19. is enim denotatur qui ſubvertit, at *ſubverſio Sodomæ* ſumitur paſsivè. Deut. 29. 23. ea enim civitas denotatur quæ ſubverſa eſt. Hinc concludit, per *morbos noſtros* &c. æquè denotari poſſe activè eos qui morbos inferunt, quàm paſſivè eos quibus inferuntur. *Reſp.* 1. κατὰ τὸ δίκαιον. Si agentis potius quam patientis perſona hiſce pronominibus denotatur, quid impediebat quominus idem ſupra ſtatueretur de voce לשמועתנו *prædicatio noſtra*? ubi junctis operis collaborabant, ut activam ſignificationem proprio ſuo loco moverent, quam hic intempeſtivè reſarcire conatur Abarbenel. Unde liquidò conſtat, homines

iſtos

istos morbo sibi familiari perpetuò laborare, sed alterius generis quàm de quo apud prophetam, morbus enim rabbinis familiaris is est, qui in continuo pervertendi & corrumpendi studio consistit. 2. Non sufficiebat ostendere voces istas activè exponi posse, sed ad fulciendum commentum, probandum erat ita exponi debere. 3. Imprimis autem notandum, peccare hominem *elencho parium*, imperitè enim confundit *actiones transitivas* cum *qualitatibus inhærentibus*. Exempla proposita de actionibus duntaxat transitivis affirmant quod præsupponitur, & licet in nomine *regis* minus explicitè conspiciatur actio, ex attributo tamen satis apertè colligitur, proindeque nihil concluditur, non enim negamus, ejusmodi vocum quæ actionem (transeuntem scil. nam voces quæ actionem notant immanentem, active tantum significant ut *ambulatio*, *prædicatio* &c.) continent, attributum, sive pronomē sit sive substantivum, huic ambiguitati esse obnoxium, ut pro diverso respectu & ratione loci, modo agentis modo patientis personā indigitent; at ubi qualitas aliqua inhærens sive corporalis sive spiritualis observatur (ut in contextu Esaiæ) eandem ambiguitatem usu venire pernegamus. Sic cū angelus mortis tempore Davidis tot millia hominum peste interimeret, percussio ista æque *percussio Dei* quam *percussio populi* dici poterit, siquidem *ipsa* vox tam ad agētis quam patientis personam anceps, actionem in qua uterque concurrit, includit; at pestem, qua populus interemptus est, æque commodè dici posse *pestem Dei*, quam *pestem populi*, negamus, notat enim qualitatem inhærentem cujus attributum non respicit nisi subjectum cui inhæret. Et licet forte talis aliqua locutio impropria alicubi reperiatur, ex circumstantia textus res dijudicanda foret, & cordis insigniter malevoli indicium esset, uno aut altero ἀνωμαλίας exemplo com-

minem & proprium loquendi usum velle subvertere. 4. Sed & ipse textus ubi dicitur: *Tumice ejus fit curatio nobis*, hominem confutat, cujus enim est curatio ejus necessario ante præstitam curationem dolor erat & morbus, si itaque gentes sibi curationem adscribunt, sequitur ut erga morbos & dolores præcedentes se habeant passivè. Evadere quidem conatur homo levis, dicens: gentes à doctoribus suis & theologis edoctas loqui, quotidie inculcantibus: *quò majores Israeli plagas inflixerimus, eo certior nostra pax erit & sanatio.* Sic autem non elabitur. Res eodem recidit, dum enim gentibus tribuitur sanatio, etiam in antecessum tribuendi sunt morbi & quocunque tandem se vertat, agnoscat necesse est, gentibus esse morbos quorum curationem morbis judæorum velut antidoto acceptum ferre teneantur, quod à Christianorum doctrina prorsus alienum esse, supra in responsione Kimchio factâ ostensum. Cæterum hoc figmentum, aliis figmentis sine fundamento superstructum, tam jejunum & frigidum, imo falsum est, ut nova refutatione, prioribus nondum dilutis, censeam indignum. *Instant.* At ipsæ gentes Israelem appellāt *virum dolorum & familiarem morbo* v. 3. Hic autē agnoscunt se dolorū Israelis esse causam, dicunt enim, *dolores nostros ipse fert*, loquuntur ergo de doloribus illatis. *Resp.* 1. *Fallacia est à non causa ut causa*, non minus enim juxta Kimchii & aliorum expositionē Israel *vir dolorū* à gentibus dici potuisset, si dixerint, dolores nostros nobis debitos & nobis incumbentes ipse fert, quam si de doloribus à se illatis, illas locutas esse intelligatur. 2. Imò quia Abarbenel per morbos Israeli familiares intelligi vult morbos propriè dictos (quam rectè, videbimus postea) malè statuit à gentibus illos inferri, quos Deus homini vel immediate, vel per naturam immittit, quales sunt febres, pestis &c.

Quæro

Quæro *quartò*. Qua veritate populo judaico tribui possint quæ continentur vers. 7. *Exigitur, & ipse affligitur. Os suum non aperit, ut parva pecus ad mactationem ducitur, & velut ovis coram tonsoribus suis obmutescens, neque aperit os suum.* Item vers. 9. *Violentiam non fecit & non est dolus in ipsius ore.* Quæ omnia à rabbinis ita exponuntur ut summam judæorum in perpetuis exilii afflictionibus innocentiam, integritatem, patientiam & animi promptitudinem ad sustinendas omnis generis injurias & mortem, iis contineri existiment. Ut autem lectori constet quam verè & juste ista dicantur, non inutilem me navaturum operam censeo, si historicum vitæ judaicæ post templi secundi eversionem, compendium, aliquot lineis ex probatis scriptoribus subtexam. Primum ovinæ suæ mansuetudinis specimen dederunt in Iesu Christo cujus vitæ perpetuas struxerunt insidias, nec quieverunt donec atrocibus lacessitum criminationibus & convitiis, tandemque ignominiosa crucis morte, falsis testibus contra ipsum in judicio excitatis affectum è medio tollerent. Ac deinceps crudeli isto odio contra Ecclesiam Christianam in posteros suos propagato, Euangelicam doctrinam strenuè semper oppugnaverunt, adeò ut apostolos & viros apostolicos non tantum è synagogis suis ejecisse, sed & publicè exosos reddidisse, gentium vires in illos ut in pacis publicæ perturbatores concitasse, occisos, lapidibus obrutos, virgis cæsos è terrarum finibus eliminasse, & omnium ludibrio exposuisse, summæ sibi laudi ducerent. Hæ scil. sunt innoxiæ istæ oves, quę violentiam non faciunt, & in quarum ore nō est dolus. Postquam vero in horrendâ & universali strage à Iesu Christo prædicta, à Tito Vespasiano editâ, & Hierosolymitano excidio, tot centenis millibus peste & gladio absumptis, in captivitatem abductis & in omnes orbis provincias dispersis, istorum flagitiorum

tiorum insigniter pœnas dederunt,an dociliores & mitiores facti ? Legere est apud *Xiphilinum in Dione*, eos sub Trajano imperatore circa annum Christi 114. arreptâ rebellandi occasione in Ægypto circa Cyrenem duce quodam Andreâ (Messiâ,nisi repressi fuissent,futuro) ducenta hominum millia trucidasse, tantaque furibundos crudelitate in Romanos pariter & Græcos sæviisse, ut ovina suâ pelle prorsus exutâ & leoninâ indutâ,alios bestiis discerpendos objicere, alios ferris à vertice ad imum usque discindere, aliis sociorum occisorum carnem devorandam, vi ad id coactis, tradere non dubitaverint. Si talia perpetrant oves,quidnon facerent lupi ? Similiter iisdem temporibus facta seditione in Cypro 240. hominum millia obtruncarunt, unde postmodum lex ab incolis lata, ne ullus unquam judæus sub pœna capitis pedem in insulam inferret. Eundem in modum in aliis orientalibus provinciis ubi post excidium remanserant, vel quietam sedem invenerant grassaturi erant, nisi Romanorum virtute domiti & graviter multati quiescere coacti fuissent. Donec temporibus Hadriani circa an. Chr. 120. novo suscitato Messiâ nomine *Barcochab* (i. e. stellæ filius, postea *Bencosba* à mendacio, quod promissam liberationem non præstitisset, dicto) immanem rebellionem per totam Palæstinam & regiones adjacentes excitarunt, quæ licet aliquoties, quantum fieri potuit repressa,ultra 16. annos duravit, Romanis interim multa damna intulerunt, primò judæam conventiculorum gratia multis in locis specubus subterraneis perviam reddiderunt, tum totum orientalem tractum tumultu & seditione impleverunt, Palestinam devastarunt, Lybiam usque adeo depopulati sunt, ut novas immittere colonias necesse fuerit, Christianos, quod contra Romanos opem ferre nollent, crudelibus suppliciis affecerunt. Tandem vero per *Iu-*

lium

lium Severum ſtrenuum ducem, primò fame macerati, quod aperto marte nimium potentes aggredi non auderet, deinde ingentibus edomiti cladibus, quingentis & octoginta ſuorum millibus diverſis præliis occiſis, omnibuſque urbibus & munitionibus dirutis, ſecundum hoc excidium, gravius primo, experti, victori imperatori ſe ſubmittere coacti ſunt. Abhinc pacifico ovium iſtarum ingenio perſpecto, prudentiores facti Romani ſolo patrio omnes fere exegerunt, reliquiis eorum in Hiſpaniam deportatis, nec ulli judæo niſi numerata pecunia quotannis ſemel duntaxat Hieroſolymam inviſere in poſterum licuit. Quique Diocæſareæ, Tiberiade, aliiſque in locis remanſerunt, poſtmodum circa an. Ch. 352. ſub Conſtantio, quod denuò facta conſpiratione Romanorum præſidiarios nocturno tempore interfeciſſent, per *Gallum Cæſarem* Conſtantini M. patruelem ingenti cæde multati ſunt, non tamen oppreſſi. Paulò poſt faventiore ſub Iuliano apoſtata aſpirante aurâ, Hieroſolymam publicis ſumptibus inſtaurandi facultas ipſis conceditur, quâ ferocientes, cædibus & incendiis in Chriſtianos eorumque templa per totam Paleſtinam graſſari cœperunt. Sed terræ motus & crebriores è terræ viſceribus prorumpentes ignes, quibus novæ urbis excitata fundamenta funditus everſa ſunt, iſti gaudio mox finem impoſuerunt. Denuò *circa* an. Chr. 414. ovinam pellem exuerunt Alexandriæ, ubi multos ex Chriſtianis nocturno prælio interfecerunt, unde meritò à *Cyrillo* Epiſcopo Alexandrino urbe tum ejecti ſunt. Simile facinus commiſerunt Cęſareę circa an. 556. Alibi in Paleſtinâ in Chriſtianæ religionis ludibrium, puerum Chriſtianum in crucem egerunt, multiſque verberibus miſerè excruciatum neci dederunt, quo etiam nomine furentes & inſanæ iſtæ oves non immerito pœnas dederunt. Poſtmodum circa an. 609. imperante

Phoca, seditionem Antiochiæ excitarunt ubi innumeros Christianos crudelissimè trucidarunt, & inter alios Anastasium patriarchā, cujus cadaver in foro publicè cremarunt. Nec diu post, an. 615. ope Persarum Palestinam invadentium, à quibus Christianorum facultates emerunt, ad nonaginta hominum millia circa Hierosolymam occiderunt. Et hæc quidem in Oriente gesta sunt. *Dices*, at forte in occidente Esaiæ vaticinium de hominum istorum patientia & mansuetudine complementum suum invenit. Verum quidem, illos in Hispania, Lusitania, Gallia, Germania, Italia, Anglia, inde à mille annis variis agitationibus fuisse obnoxios, sed si causas inquiramus, comperiemus, ut plurimum sceleribus suis & imprimis nefariis suis expilationibus illos exitium sibi parasse. In Hispania cum ex Oriente eò deportarentur, sedes reperiebant quietas & satis liberas, donec an. Chr. 694. ob initam unà cum judæis Africanis contra regem Egicam conspirationem, in servitutem redigerentur, & Christianis immiscerentur, tandemque A. 1492. & 1496. sub Ferdinando Castellæ & Emanuele Lusitaniæ regibus totâ Hispania & Lusitania, cum ob alia scelera, tum imprimis propter immodicam usuram expellerentur & in Ægyptum Turcicumque imperium confugerent. In Gallia aliquoties recepti & ejecti sunt: Ejecti ob varias causas. Primò, quod singulis annis in festo paschatis puerum Christianum mactare dicerentur, quod an verum sit non inquiro, saltem ejus rei exemplum extat in *annal. Arrag.* ad an. Chr. 1250. quod puerum septem annorum à judæo subreptum & judeis venditum, in Paschate cruci affixum, lancea in pectus contorta occiderint. Simile facinus ab ipsis commissum, detectum fuit diversis aliis in locis; Tridenti an. 1475. Bernæ in Helvetia 1287. Secundò quod anno. 1322. cum leprosis conspirantes, puteorum

inficiendorum artem eos edocuerint, quo nomine plurimi eorum in provincia Narbonenſi capti & flammis exuſti ſunt. Ejuſdem ſceleris convicti an. 1349. Argentorati, Baſileæ, Bernę, & Zophingę meritas pœnas dederunt nebulones. Tertiò, quod totam Galliam præcipuè circa an. 1182. omni fere pecunia uſuris ſuis emunxerint: Recepti autem denuo, partim quod multa pecunia commorandi facultatem ab aulicis redimerent, partim ut viciſſim emungerentur. *Inſtantia.* Atqui hoc modo impletur, quod propheta dicit verſ. 7. *Exigitur & ipſe affligitur*, cum Iſrael ſit inſtar *ovis* quæ tondetur à *tonſoribus ſuis.* *Reſp.* Vulgo quidem oves tonderi ſolent, non tondere, hoc autem ovium genus antequam tondeatur, tondet, & vices paſtoris agit, ſed non boni, ejus enim juxta regulam Tiberii, eſt tondere pecus non deglubere, at crudeles hæ oves non tam tondent, quàm, quantum poſſunt, deglubunt homines, unde admodum lanigeræ evadunt, nō ſua ſed alienâ Chriſtianis detonsâ lanâ onuſtæ, ne autem nimio pondere ſubſidant, reges & principes illas viciſſim tondere ſolent. Quapropter eò illud Eſaię minimè referri debet, utitur enim ille ſimilitudine à tali ovium genere petitâ quibus non aliena ſed propria lana detrahitur. *Obiectio.* At uſuram in peregrinos exercere, judæis in lege Moſis permiſſum eſt. Deut. 23. 20. *Extraneo iſti dabis in uſuram, fratri autem tuo ne dato in uſuram.* *Reſp. Triplex* circa hunc locum exoritur quæſtio. *Prima* agitatur inter Chriſtianos, quæ hujus loci non eſt, an ſcil. aliqua uſuræ ſpecies homini Chriſtiano jure divino permiſſa ſit? De qua materiâ vide doctiſſimè differentes, inter alios, Clariſſimos viros *Spanhemium* & *Willetum*, illum pro parte affirmativa in *dub. Euang.* part. 3. *dub.* 127. hunc pro parte negativa, *Comment. in Levit. c.* 25. *verſ.* 36. *Secunda*, Quandoquidem judæis concedendum, aliquam

ipsis usuræ speciem in lege permissam fuisse, quinam propriè sint isti *peregrini*, in quos illam permittit lex? Rabbini in hoc subjecto more solito non satis bene conveniunt. Verum quidem est, vocem נכרי generalem esse, & omnem peregrinum, carnali Israelis reipublicę non innatum (licet forte illatum) denotare posse; verum quia *fratri* in usuram dare prohibitum, magis soliciti sunt, quis nomine *fratris* designetur, quo enim latius nomen אח extenditur, eo majorem, vocem נכרי restrictionem pati necesse est. Dicit *R. Bechai.* דרשו ר"ל ולאחיך לא תשיך שעושה מעשה אחיך וזה לרבות את הגרים שאסור לך להלוותן בריבית *Iuxta sententiam veterum, fratris nomine intelligendos eos omnes quos scriptura appellat fratres, adeoque magnum fore peregrinorum numerum in quos usuram exercere vetitum.* Si ita se habet, etiam Christiani pro fratribus habendi sunt, dicunt enim illos esse ex posteris Esau (quo jure, supra prolixe disputavimus) fuit enim Esau frater Jacobi, & vocatur frater Israelis Num. 20. 14. Et hinc forte est quod talmudici vocem נכרי exponunt per כותי, Cuthæi autem vulgo sunt Samaritani, quos ita vocare solent rabbini, vid. *Eliam in Thisbi.* Nisi ergo isti homines insigniter nomina gentium confundant iisque abutantur, Christiani non sunt ex peregrinis illis, in quos usuram exercere lex permittit. Idem confirmatur definitione *Majemonidis*, qui in principio *Mischnæ*, inter præcepta affirmativa referens illa *Extraneo dabis in usuram*, (quo nomine flagellator ejus R. *Abraham Ben David* ipsum carpit, quod verba *Siphre*, cujus libri authoritate nitebatur, non rectè intellexerit, cum ibi non pro præcepto affirmante habeatur *extraneo dabis in usurum*, sed tantum ex occasione præcepti negativi, *fratri non dabis in usuram*, de extraneo concedat, quod de fratre prohibet) extraneum definit per עובד כוכבים ומזלות, *qui astris cultum religiosum exhibet*, quod sane Christiani non faci-

unt, licèt rabbini ſub iſto nomine omnes omninò gentes comprehendere ſatagant, vide inf. ad loc. Dan. 10. 13. Adde hic reſponſionem ſecundam quam pro uſuræ defenſione affert *Abarbenel, comment. in leg.* ad hunc locum, quæ ita habet אפילו שנודה שהרבית מצד עצמו מגונה הנה לא התירו השם ית' כי אם בנכרי שהוא מז' אומות ואין הנכרי נקרא כל איש אשר לא מזרע היהודים הוא ואמנם לו רע אדום לא יאמר נכבי כי הוא נקרא אח שנאמר לא תתעב אדומי כי אחיך הוא ונכלל בלא תשיך לאחיך וכן ישמיעאל ושאר האומות לא נקראו בשם נברי ו לנברי שהוא מז' אומות אנו מגונה לקחת רבית ממנו ולעשות לו שלא בהוגן כ כיון שהוא עשה שלא כהוגן וגו' *Etſi concedamus, uſuram per ſe rem eſſe turpem, ecce non permittit illam Deus niſi in extraneum, qui ſit ex ſeptem nationibus, extranei enim nomine non intelligi debet omnis qui non eſt ex ſemine judæorum, nec impius Edom dici debet extraneus, quia vocatur frater;* Ne abominare Edomæum nam frater tuus eſt. Deut. 23. 7. (eod. ſcil. capite quo prohibetur uſura in fratrem) *propterea que comprehenditur in præcepto: fratri tuo non dabis in uſuram. Sic nec Iſmael aliæque gentes dicendæ ſunt extraneæ. At extraneo qui fuerit de ſeptem nationibus in uſuram dare non eſt probroſum, quia enim ipſi agunt quæ turpia ſunt, etiam turpiter cum ipſis agere licet.* Ex ipſa ergo judæorum deciſione conſtat, Chriſtianos, quos ipſi Idumæos vocant, à caninis judæorum morſibus (נשך enim *uſura* à mordendo dicitur) debere eſſe liberos, quod ſi autem ita mordent fratres ſuos, quid tandem facient peregrinis? Sed *R. Bechai* nobis privilegium hoc eripit & ex fratrum ordine nos exturbat; hanc enim ſententiam fert contra Idumæos ולהוציא זרעו של עשו שנאף על פי שכתוב בו כה אמר אחיך ישראל אחרי כן הותר שכן הזכיר הנביא ביום עמדך מנגד ביום שבות זרים חילו ונכרים באו ש שעריו ועל ירושלם ידו גורל גם אתה כאחד מהם למדך שכבר נתבטלה האחוה ויצאה מכללה והרי הוא כשאר האומות חוץ שהרי הרגית לא נאסר לישראל *Excipienda eſt poſteritas Eſavi, licet enim ad ipſum ſcriptum ſit* ſic dicit frater tuus Iſrael, *poſtmodum tamen derelictus eſt, ejus enim recordatur propheta, ipſi dicens:* Eo die ſtas ex adverſo,

verſo, quo die extranei captivas abducunt copias ejus (Iſraelis) quumque alienigenæ ingreſſi portas ejus, ſuper Ieruſchalaima projiciunt ſortem, tu quoque ut unus illorum es. Obad. verſ. 11. *Hinc diſcis, fraternitatem illam ab eo tempore ceſſare, nec illos amplius in fratrum numero comprehendi, ſed eſſe inſtar aliarum extranearum gentium, quibus in uſuram dare non prohibitum.* Quia itaque nunc miſeri judæorum gratia & fraternitate excidimus, caninos dentes in nos velut in proſcriptos & bona noſtra impunè defigere ipſis licet. Sed, an lex à Moſe lata tam liberè, uti hodie videmus, in extraneos expilationibus ſuis ad infamiam uſque graſſari permiſit judæis, ut nullum iſti voracitati modum poſuerit? Hęc *tertia* quæſtio eſt, quam inconſultis rabbinis, ſcriptura decidit, collatis inter ſe locis Deut. 23. 20. *Extraneo dabis in uſuram* Levit. 25. 36. *Cum attenuatus fuerit frater tuus apud te, &c. Tum confirmabis illum, etiam peregrinum aut inquilinum ut vivat tecum, non accipies ab eo uſuram aut fœnus* &c. Ezech. 18. 17. *A paupere retrahat manum ſuam, uſuram aut fœnus non accipiat.* Pſal. 15. 5. *Domine, quis commoraturus eſt in tentorio tuo?* &c. *Qui pecuniam ſuam non exponit fœnori.* Habent hæc dicta aliquod ἐναντιοφανὲς, quo uſura loco Deut. permiſſa, poſtmodum videtur proſcripta. Conciliationem hoc modo inſtituit D. Kimchi ad Pſal. 15.

ודוד ויחוקיל לא אסרו אלא מה שאסרה תורה והתורה לא אסרה אלא לישראל אבל לנכרי מותר כמו שנאמר לנכרי תשיך ולא נאמר כן בגזילה וגניבה ובאבדה ובאונאה כי אפילו לנכרי אסור להונותו או לגזלו או לגנוב ממונו אבל הנשך ש שהוא לוקח ממנו ברצונו ובדיעתו מותר כי ישראל חייב לעשות חסד עם ישראל חבירו וההלואה בלא נשך הוא חסד וטובה ויותר טובה במקומות כן המתנה כי הרבה אנשים יבושו לקחת המתנה ולא יבושו לקרית ההלואה ולא כן ישראל עם הגוי כי אינו חייב לעשות עמו הסר וההלוות לו ממונו בחנם כי נרוב הם שונאים ישראל אבל בוודאי אם יעשה הגוי חסד וטובה עם ישראל חייב לעשות ישראל גם כן עמו חסד והטיב לו. והרחבתי לך בזה כדי שתמצא בו תשובה לנוצרים שאומרים כי דוד לא הפריש בין ישראל לגוי אלא כל רבית אסור

זה

וזה לא יתכן בו כי דור אסר מה שהתיר משה רבינו על פי האל *Nec David nec Ezechiel aliud prohibent, quam id quod lex prohibuit, nec lex prohibet nisi de Israele, de extraneo autem permittit, dicitur enim: extraneo dabis in usuram; quod de rapina, furto, damno seu oppressione dici nequit, cum etiam extraneum opprimere vel bona ipsius diripere sit prohibitum, sed usuram, quæ ipso consentiente & volente recipitur, in ipsum exercere licet. At Israelita benignitatem erga socium suum Israelitam exercere tenetur, mutuò autem dare absque usura, hæc benignitas est & gratuitas, imò majus aliquando bonum quam munus, quippe multi munus accipere erubescunt, sed non erubescunt accipere mutuò. Sed inter Israelitam & gentilem res ita se non habet, non tenetur Israelita exercere benignitatem erga gentilem, unde nec pecuniam suam ipsi mutuò dare pro nihilo, nimio enim odio gentes prosequuntur Israelem. Veruntamen in confesso est, si gentilis aliquis exercuerit benignitatem erga Israelitam, tenetur vicissim Israelita benignè se gerere erga ipsum, ipsique benefacere. Et sic viam tibi patefeci, ut respondere possis Christianis, qui objiciunt, dicentes, Davidem non distinguere inter Israelem & gentilem, sed in genere prohibere usuram. Hoc falsum esse, constat ex lege, non enim prohibebit David, quod Moses ex ore Dei loquens permisit.* Putat, se Christianis satis feciſſe, quod Davidem usuram in Israelitas duntaxat prohibere dixerit. Sed minimè satisfeciſſe, & hunc conciliandi modum esse ἀπόσκοπον, tribus rationibus probamus. 1. *A contextu Psalmi*, ubi restrictio rei præhibitæ ad certam gentem aut populũ non habet locum, nec absque violentia psalti affingi potest, cum quicquid ibi prohibetur, prohibeatur generaliter & absolutè omni genti. Et si à præcepto negativo de non exercendâ usurâ Iudęi eximendi sunt, eximantur eodem jure à præceptis de obtractatione linguæ, oppressione proximi, opprobrio in propinqu-

um

um,juramento damnoſo,de quib ibid. ut ſenſus ſit,licere quidem Iudæo lingua ſuà obtrectare gentilem aliquem, opprobrio afficere &c. ſed non Iudæum; quæ mens pſalti abſque blasphemia tribui nequit.II. *A teſtimonio ſcripturæ* Si pſaltes uſuram abſque reſtrictione ad certam gentem, prohibeat, ſententiam legi Deut. 23. contrariam ferre, minimé dicendus eſt, ſiquidem ipſa lex Ex. 25. 36. lata eidem ſententiæ ſubſcribit. Primò itaque lex concilianda erit cum lege, & ſic judaicam iſtam reſtrictionem à mente Pſaltis alienam eſſe patebit. III. *A Talmudica authoritate*, nam in מככת מכות verba pſaltis exponuntur כספו לא נתן בנשך אפילו רבית דגוי *Qui argentum ſuum in uſuram non expoſuerit, nequidem gentili.* Dogma hoc vindicant *R. Bechai & Abarbenel*, dicentes, שהוא לתאר החסיד המופלג שיעלה בהר י' ובמקום קדשו שיעשה חסד וצדקה אפילו עם הנכרים לא שיהיה הריבית דבר בלתי ראוי והגון בפני עצמו כי ענין החסידות בלתי ענין היושר והמשפט ודוד דבר שמה ממדת החסידות לעשות דבר לפני מהשורה ולא מהמשפט הישר ומהצדק הגמור. *Talmudicos ita duntaxat loqui ad definiendum hominem perfectè & in ſummo gradu juſtum & beneficum, cum ſcil. qui ad ſupremum illum felicitatis gradum, ad montem Domini & locum ſanctitatis ejus quem David proponit, aſpirat. Iſte non tantum non poſtulabit uſuram pro pecunia expoſita à judæo, ſed ne quidem à gentili. Non quod uſura per ſe res fœda ſit & illicita, ſed quod aliud ſit eſſe in ſummo gradu beneficum, aliud, facere id quod juſtum & rectum eſt, loquaturque ibi David duntaxat de menſura ſeu quolitate beneficentiæ, ſi quis rem facere velit extra lineam & ordinem, non quod jus & æquum violaverit, ſi ſecus faciens communem ordinem ſecutus fuerit, ſed ut hoc perfectionis gradu ad ſupremum felicitatis gradum à pſalte propoſitum perveniat.* Summa huc redit,fore opus ſuperogationis, ad quod minimè teneatur,qui ab uſura in gentilem ſibi caverit, illudque opus hic urgeri à Davide, non abſolutè, quaſi ſecus faciendo ſervari non poſſit

possit sed ut ad summum gradum perveniat, & esse hoc, ut alibi distinguunt pontificii, non *præcepti* sed *consilii*. *Respondeo.* Sive ista dogmatis talmudici mens sit, sive non sit, mihi perinde, saltem dico, si sit, esse stultissimam. Si enim consilii tantum est & non præcepti, non exigere usuram à gentili, etiam consilii tantum erit & non præcepti, non obtrectare lingua sua proximum suum, & similia capita à Psalte prohibita. Estque ineptissimum rabbinorum figmentum, Davidem per *tentorium Dei & montem sanctitatis*, superiorem aliquem felicitatis in cœlo gradum intelligere, ad quem non perveniant nisi qui præter opera præcepti, fecerint opera consilii i. e. supererogationis; hoc enim si verum esset, omnia opera in Psalmo proposita, deberent esse opera consilii & non præcepti, adeo ut qui illa fecerit, ad summum illum gradum perveniat, qui vero non fecerit, in inferiori aliquo gradu subsistere teneatur. Sic si verum est qui usuram non exegerit à gentili, fore in summo gradu beatum, qui autem exegerit, posse quidem esse beatum, sed in gradu inferiori: eodem modo verum erit, qui lingua sua non detractaverit proximum suum, fore in summo gradu beatum, qui verò detractaverit, posse quidem esse beatum sed in gradu inferiori. Vide quam egregiè homines isti subtilibus suis conceptibus consulant sanctitati S. Scripturæ. Riliquum itaque est, ut dicamus, usuram non ratione *objecti* sed *modi* à Psalte imò ab ipsa lege esse proscriptam, & vicissim eadem ratione à lege in extraneos esse permissam: probèque cum Doctissimo *Spanhemio* distinguendum esse inter usuram *compensatoriam* & usuram *expilatoriam*, usuram *juvantem* & usuram *rodentem* vel *mordentem*, usuram *moderatam* & *immoderatam*. Illam judæis Deut. 23. in extraneos esse permissam, hanc, quam hodie sordidi isti expilatores, orbi Christiano graves, lucrum suum in alterius

damnum perpetuò captantes, cum infamibus trapezitis exercent, à Pſalte, Ezechiele, & Moſe *Levit.* 25. (qui ſic optimè conveniunt) eſſe prohibitam, cum nihil aliud ſit quam pauperem omni auxilio deſtitutum, ſub ſpecie auxilii, crudeli morſu opprimere. Eant nunc exactores nequiſſimi & privilegium ſuum à Moſe conceſſum nobis obiiciant, eoque in æternum ſuum dedecus abutantur, malitiæ ſuæ luculentum teſtimonium nobis prodentes, quod veram legis mentem agnoſcere, & uſuræ modum ab ipſa lege & prophetis ſibi præſcribi non ſuſtineant. Sed & Chriſtiani magiſtratus non immerito culpandi, quod perniciosiſſimam iſtam peſtem & voracem gangrænam tolerent in republicâ.

Quęro *quintò*. Quo ſenſu judæi *ſeipſos in mortem profundere* dici poſſint verſ. 12.? Propheram iſtis verbis animi promptitudinem ad ſubeundam mortem ſignificare non eſt dubium, ſed iſta animi promptitudo diverſimodè ſumi poſſit, vel pro eâ qua quis ſibi ipſi mortem conſciſcit, vel quâ mortem ab hoſtibus illatam non generoſé duntaxat & intrepidè, ſed & voluntariè ſuſtinet. Si priori modo ſumatur, fateor non deeſſe iſtius judaicæ promptitudinis & præcipitatæ in *mortem profuſionis* exempla. Imprimis memorandum eſt illud quod refert *Ioſephus lib. 7. de bello jud.* cap. 28. De judæis *Maſſadæ* caſtello, à Romanis obſeſſo, incluſis, qui animadvertentes, ſe obſidentium impetu repellendo fore impares, horrendo conſilio, impulſore quodam Eleaſaro, qui gravē de contemptu mortis, & animarum immortalitate ad ipſos orationem habuit, omnes accelerata amicis manibus morte, ne hoſtium violentiam experiri neceſſe haberent, mori decreverunt. Inhumanum facinus aggreſſi, viri primùm maritali & paterno affectu animis prorſus excuſſo in uxorum & liberorum viſcera ſtrictis gladiis crudeliter graſſati ſunt.

Dein-

Deinde decem è numero suo qui reliquis omnibus mortem inferrent, sorte elegerunt. Hi officio impositio defuncti, similiter unum è suis designarunt, cui sociorum carnificum cædes imperata fuit, qui tandem solus superstes, circumspiciens an adhuc aliquis esset qui ad inveniendam mortem ope sua indigeret, videnſque neminem superesse, cruēto ferro in proprium pectus validè transacto suus etiam carnifex exstitit, & miserando spectaculo, quo mille fere homines mutuâ cęde perempti sunt, finem imposuit. Hoc exemplum secuti sunt judæi quadraginta, Vitriaci in Gallia circa an. 1322. quod inficiendis puteis operam dedissent, captivi, qui ut debitum supplicium anteverterent, duobus ex suis se trucidandos exposuerunt, qui mandato obsequentes, non destiterunt donec soli superstites essent, initoq; pacto junior majorem cultro confoderet; hic autem ultimo ex Massadanis superstiti haudquaquam similis, sociorum suorum loculis excussis, quicquid auri & argenti apud ipsos reperire potuit, extracto, contortoque ex linteis fune, cui per fenestram se commisit, evadere conatus est: Sed fato contigit, ut fune disrupto in imam carceris fossam decideret, fractaque tibia comprehensus, justissimam pœnam, quam majorem facinore comperto meritus erat, non effugeret. Eadem generositas ipsis immortale nomen paravit Eboraci in Anglia, tempore Richardi regis an. 1190. ubi quinquenti viri conjuges & liberos & postmodum se ipsos jugularunt, ne vivi in hostium manus inciderent. Sed ejusmodi profusionem in mortem hic à propheta non indigitari certum est; videmus enim ipsum laudi istud ducere ei cui actionem hanc tribuit, utpote excellentissimo præmio remunerandam. Verùm horrenda ista facinora, quibus homines ad desperationem redacti, crudeles manus uxoribus, liberis & siipsis inferunt, quocunque tandem

neceſsitatis telo humanitùs coacti illud faciant, laudi ducenda eſse, iiſque inſuper eximiam à Deo remunerationem deberi, non opinor ullum rabbinum tam fore dementem qui affirmet, ſiquidem divinæ legis de homicidio latæ oblitum, & ad Stoicorum & Cynicorum impietatem prolapſum eſſe oporteret, imo Ethnicis illis ſtupidiorem, qui, *nequis ìnjußu imperatoris, id eſt, Dei, de præſidio & ſtatione vitæ diſcedat*, ſanxerunt. Nec etiam puto aliquem eſſe judæum, cuï Numinis & legis reverentia obiter ſaltem cordi eſt, quem impię Eleazaris illius orationis non pudeat, qui ut infamem αὐτοχειρίαν Maſſadanis ſuis perſuaderet, Indorum, gentis barbaræ, veræ religionis ignaræ, qui immortalitatis deſiderio ſe flammis cremandos objiciūt, (quos iſto nomine ſapiētiæ profeſſores nuncupat) exemplum ipſis ob oculos ponere non erubuit. Neque *Simſonis*, Jud. 16. 30. ſibi & innumeris Philiſtæis mortem inferentis factum ab ullo prætexi debet, ſiquidē illud à Sp. S. inſtinctum, illuſtriq; miraculo coronatum, ἀμίμητον nunc eſse nemo non agnoſcit. Deſperatæ itaq; illius profuſionis, qua quis mortē ſibi ipſe conſciſcit, patrocinium, cum abſq; blaſphemiâ prophetæ tribui non poſſit, alteram neceſsariò ſpeciem hic intelligit, illam ſcil. animi promptitudinem qua quis mortem ab aliis illatam conſtāter ſubit. Sed & hic tollenda ambiguitas, alia enim eſt conſtantia & promptitudo ſceleratorum qui ob commiſsa ſcelera vel ad ſupplicia trahuntur, vel publicæ internecioni devoventur, ſæpeque diabolica quadam pertinacia, obtuſo pectore, Dei & conſcientiæ immemores in carnificum manus veluti mortem experituri, præcipites ruere videntur. Hoc autem mortis genus (cujus equidem laudem obſtinatis judæis inde à multis ſeculis deberi abſque invidia fatemur) eodem quo αὐτοφονία præmio dignum, à propheta hoc loco commendari, cogitare ne-

fas

fas eſt. Quapropter ut hebraiſmum rectè exponamus, talis conſtituenda hic eſt profuſio in mortem 1. A qua lex ſupremi legiſlatoris non abhorreat. 2. Quæ præmio à propheta promiſso digna ſit. Ad id autem requiritur. 1. Ut mors non ſit θάνατος αὐτοφόνιος. 2. Nec ἀξιότιμος, iſtæ enim ſpecies jam damnatæ ſunt, licet raram animi præſentiam & conſtantiam præ ſe ferre poſsint. 3. Nec αὐτομάτως ζητήμενος, *ultrò quæſita*, licet enim & hoc modo *profundendi* vocabulum ipſi conveniat, nullo tamen præmio digna eſt, ſed quam maxime culpanda, nam ad mortem depoſci debet, non ultrò (hoc enim ſtultorum eſt) ſe trucidandum offerre, qui præmium & gloriam ex iſta profuſione reportare deſiderat. 4. Nec ἀναγκαζὸς *coacta*, licet enim mortem ſubiens quàm maxime innocens ſit, ſi tamen raptatur invitus, non poteſt dici ſe ipſum in mortem *profundere*. Neque ſufficit, conſtantiam ſimulare fronte, ſed voluntariam animi diſpoſitionem vocabulum hoc deſignat, neque diſpoſitionem tantum, quam præcognita gignit neceſsitas, quæ nondum eſt *profuſio*. Nam licet voluntas propriè cogi non poſsit, duplici tamen modo conſideratur, aliud enim eſt *libera voluntatis determinatio*, aliud *voluntatis ſubmiſſio*. priori modo voluntas ſe habet *activè*, poſteriori, *paſsivè*. Priori modo agit quod imperat, poſteriori, agit quod imperatum eſt. Voluntatem determinantem nulla præcedit neceſsitas, ſed ſubmittentem ſe, præcedit, quam extrinſecus allatam meditatur ratio, quæ idcirco voluntatem ad obediendum diſponit; Et licet voluntas ita diſpoſita, agere, & quidem liberè agere dici poſsit, (aſſumpto enim obediendi habitu non amplius cogitur) ratione tamen voluntatis determinantis, agere, non quod imperat ſed quod imperatum eſt, non *profundere ſe*, ſed *profundi*, dicenda eſt. Sed loquitur propheta de voluntate, non *profuſa*, ſed ad *profuſionem* li-

berè ſe determinante, nulla præcedente neceſsitate. Prior communior eſt omnium Dei martyrum, qui ratione cœleſti lumine præditâ, & divinitus adjutâ, voluntatem naturaliter obluctantem & evadendi vias quærentem ad conſenſum adigunt, at poſterior hæc extra ordinem eſt & minimè vulgaris, unde etiam extraordinarium ei præmium decernitur. Tantum itaque abeſt, ut profuſio iſta in mortem, de qua propheta loquitur, impuro alicui judæo tribuenda ſit, ut ne quidem beatis martyribus pro Dei gloria fortiter occumbentibus competat. His expenſis facile eſt judicare, non magis quadrare in populum Iſraeliticum verba verſ. 10. *Si poſuerit animam ſuam pro reatu*, ſecundùm ſenſum quem iis tribuunt rabbini.

Quæro *ſextò* & ultimò. Quomodo Iſraeli conveniant? *Poſuit cum improbis ſepulcrum ipſius, & cum divite in morte ipſius, quia &c. verſ.* 9. Non loquor jam de incommodâ hebraiſmi expoſitione & applicatione, quem Rabbini quiſque ſuo modo miſerè torquent, non ut prophetæ mentem indagent ſed ut verba ejus ſuo conceptui accommodent, ſicut in paraphraſi ipſorum videre eſt; ſed tantum de particula על quæ utrumque hemiſtichium connectit. Hanc particulam ſequente negativâ לא *non*, non eſſe exponendam cum nonnullis per *etſi*, aut *quamvis*, ſed eſſe conjunctionem cauſalem, i. e. *cauſam* dicere rei quæ præcedit, aperte conſtat ex *Pſal.* 119. 136. *Rivi aquarum deſcendunt ex oculis meis*, על לא *propterea quod non obſervant homines legem tuam*, ubi videmus particulam על לא cauſam dicere rei quæ præcedit, nimirum, comtemptum legis eſſe cauſam lachrymarum Davidis. Eundem ſenſum cum & hic poſtulet, ut plerique rabbini agnoſcunt, videamus quam apte prius hemiſtichium applicetur Iſraeli. Gentes hic loqui, commune figmentum eſſe intelleximus, quas R. Salomo ſic introducit: *Poſuit*

cum

cum improbis sepulcrum suum. i. e. ad nostram voluntatem, qui impii sumus, se composuit Israel, & violentis nostris manibus se trucidandos permiserunt. *Et cum divite in morte ipsius.* i. e. voluntati divitum dominatorum ex gentibus ad mortem eos raptantium obtemperavit & se submisit. Sit ita, (ineptam enim expositionem particulæ בְּ *cum* quâ præter omnem rationem grammaticam, causam agentem denotari vult, nunc non urgeo) Sed quæ jam hujus hemistichii cum sequenti erit connexio? quid movet Israelem quod ponat sepulcrum suum cum improbis. i. e. gentium potestati se subjiciat? Resp. *Quia violentiam non fecit* &c. Absurde & ridiculè. Quis unquam mortalium exstitit, qui ideo se occidi permisit, quia innocens erat? i. e. ut intuitu innocentiæ suæ se submiserit, quod aliàs non feciſſet, adeò ut innocentiæ conscientia statuatur causa spontaneę submissionis; imò contra, innocentiæ sensus istam submissionem dissuadet, & contra injustitiam protestatur, & vim sibi inferri clamat, nec immeritò, quis enim innocens libenter & tacitè subit mortem, ac si sceleris alicujus esset convictus? Quod itaque se submittat, causa non est, quia violentiam non fecit, sed quia violentia ipsi infertur, cui se submittere cogitur unde insulsum foret, si talem ratiocinationem propheta gentibus tribueret, quam ipsę gentes agnoscunt ridiculam, & rationi contrariam. Kimchi & Abarbenel multo ineptiores sunt, qui particulam אֵת bis positam diversimodè sumunt, & primò reddunt per præpositionem *cum*, secundò ut notam accusativi, eo fine ut conceptui suo eam accommodent, quæ vis adeò manifesta est, ut refutatione non indigeat. Cæterum quomodo utrumque hemistichium optimè cohæreat, & causa prioris exponatur in posteriori, in Christianâ hujus versus paraphrasi perspicuè ostenditur. Et hæc quidem ad convellendam

rab-

rabbinorum de populo Iſraelitico expoſitionem dicta ſufficiant. Præcipuam autem confutationis rationem, *imputationem peccati & pro eo ad animarum liberationem ſatiſfactionem*, quam propheta manifeſtè docet, quæque Iſraeli nullo modo tribui poteſt, nondum attingo; ſiquidem illa ad ſequentem hujus diſputationis partem magis ſpectat.

QUÆSTIO V.

AN DE MESSIA, IN THESI?

AFfirmant Chriſtiani, *negant* recentiores rabbini. Chriſtianorum argumenta *proſagogica* duplicis ſunt generis. Alia petuntur ab *authoritate* veterum Rabbinorum, Ionathanis,& Talmudicorum,de Meſſiâ vaticinium hoc intelligentium, quibus ex recentioribus calculum ſuum adjicit R. Alſchech,uti liquet ex paraphraſi prima, licet in denſis tenebris verſantes, à prophetæ ſcopo ſæpè aberraverint. Alia à *ratione generali* quæ hęc eſt. Quod vaticinium exactè prædicit illa omnia quæ verè & propriè officium, ſtatum & conditionem Meſſiæ ſpectant, illud etiam de Meſſia eſt intelligendum & ad alios non detorquendum. Atqui vaticinium hoc tale eſt. Ergo &c.

Iudæi & nominatim Abarbenel argumenta habent. 1. *Apogogica*, quibus vaticinium hoc à Meſſia amoliuntur ſimpliciter. 2. Ανασκευαστικὰ, quibus argumenta Chriſtianorum ſtudent evertere.

Apagogica ducta ſunt ab *abſurdo*, unde ſic argumentatur Abarbenel: Si Meſſię competeret hoc vaticinium, vel illud competeret *Meßiæ Ben Ioſeph*,vel *Meſsiæ Ben David*: at neutri competit. E. Non *Meſsiæ Ben Ioſeph*, שימות בתחלת ענינו ומלחמותיו אי אפשר שיאמר יום ונשא וגבה מאד כי הוא לא יגיע לאותה המעלה הרמה ולא יתמיר בה גם אומרו משחת מאיש מראהו נבזה וחדל אישים איש מ מכאובות וירוע חולי זה כולו דבר שלא זכרו החכמים ז"ל בענינו כי למה זרז היה

היה משחת מאיש מראהו ויהיה נבזה וידוע החליים ומכאובות גם אומרו ואת ע עשיר במותיו לא נדע ענינו . ועוד כי איך יאמר עליו יראה זרע יאריך ימים אם ימות בתחלת ענינו *hic enim in initio bellorum suorum morietur, adeò ut* 1. *Ipsi appropriari non possint verba illa*: Extolletur, elevabitur & altus erit valdè, *quandoquidem ad excelsam istam dignitatem non perveniet, nec in ea, ad quam perveniet, perseverabit.* 2. *Tum illa*: Corruptus præ quolibet aspectus ejus, contemptus & abjectissimus virorum, vir dolorum & familiaris morbo, *à nemine veterum ad ipsum relata sunt, & sane nulla est ratio quare aspectus ejus præ omnibus debeat esse corruptus, quare debeat esse vir dolorum & familiaris morbis.* 3. *Præterea ubi dicitur*: Cum divite in morte sua, *quid hoc sibi velit nescimus, si ad ipsum pertineat.* 4. *Vti nec illud*: videbit semen & prolongabit dies, *si, cum primum agere incipiet, exstinguendus sit.* Nec *Messiæ Ben David* כי יקשה כן אמרו משחת מאיש מראהו ותארו מכני אדם לא תאר לו ולא הדר כי הנה ישיעיהו אמר הנה עבדי אתמוך בו בחירי רצתה נפשי נתתי רוחי עליו ו ובמקום אחר קראו חוטר מגזע ישי ואמר ונחה עליו רוח ה' וגו' אליו גוים ידדשו וג' לא שיחיה נבזה וחדל אישים איש מכאובות וידוע חולי ויעוד כי איך יאמר ע עליו אכן חלינו הוא נשא ומכאובינו כנלם ואנחנו חשבנוהו נגוע מוכה אלקים ו ומיענה כי הוא יהיה מלך צדיק ולא יהיה נגוע ומוכה כי אם צדיק ונושע ואיך אם יאמר עליו וחבורתו נרפא לנו וה' הפניע בו את עון כלנו ושאר הפסוקים שכורים שהוא יקבל ייסורין ומיתה בעבור ישראל וגם יקשה לפרש עליו מיעוד ו וממשפט לוקח ואת דורו מי ישוחח כי נגזר מארץ חיים כי משיח בן דוד יהיה בידו העוצר והמשפט אבל לא ילקח ממנו וגם לא יהיה נגזר מארץ חיים כי שם ימלוך ויקשה גם כן אמרו מפשע עמי נגע למו שהיה ראוי לומר נגע לו בלשון יחיד ועוד יקשה אמרו ויתן את רשעים קברו ואת עשיר במותיו כי הנה הנביא אמר וה תה מנוחתו כבוד שהוא כותר לזה. *nam* 1. *illa* Corruptus præ quolibet aspectus ejus & forma ejus præ filiis hominum, non est forma ei neque decor, *in ipsum non quadrant, ipse enim Esaias de ipso effert*: En servus meus quem sustento, electus meus quem benigne accipit anima mea, indam spiritum meum ipsi. Esai. 42. 1. *Et alio in loco ipsum vocat* virgulam è trunco Isai. Esai. 11. 1. *addit*, super ipso quiescere spiritum Dei. v. 2. *Item*, Gentes ipsum quæsituras. vers.

10. *Quod sane indicium non est ipsum fore contemptum & desertum à viris, virum dolorum & familiarem morbo.* 2. *Quomodo de ipso dici potest & illud*: verum morbos nostros ipse tulit & dolores nostros bajulavit, nos reputavimus ipsum plaga affectum, percussum à Deo & afflictum. *Erit enim rex justus, non percussus aut affectus plaga, sed justus & præditus salute.* 3. *Præterea nec illud ipsi convenit*: Tumice ejus fit curatio nobis, Dominus incurrere in ipsum facit peccatum omnium nostrum, *aliique versus qui castigationibus & supplicio illum, de quo loquuntur, obnoxium faciunt propter Israelem.* 4. *Quis & illa;* Ab imperio & judicio sublatus est, generationem ejus quis enarrabit, excisus est è terra viventium, *de Messia Davidis filio exponat? Vtpote qui imperium & judicium in manu suâ habebit, quod ab ipso non auferetur, neque è terra viventium (Israelis) excidetur, ibi enim regnaturus est.* 5. *Adde & illud, non posse dici de ipso*: Ex defectione populi mei plaga est למו ipsis, *dicendum enim potius fuisset in numero singulari*, לו ipsi. 6. *Postremò, verba hæc*: Et dedit cum improbis sepulcrum ejus, & cum divite in morte ejus, *ipsum spectare nequeunt, dicit enim propheta de ipso*: Et erit requies ejus gloriosa Esai. 11. 10. *Quod illis planè contrarium foret.*

Resp. breviter I. Distinctionem inter Messiam Ben Joseph, & Messiam Ben David ἄγνοφον esse, & præter scripturam (quæ non nisi de Messiâ Ben David loquitur) à rabbinis confictam, imò corruptam judæorum fidem κατελέγχοντα. Vid. pag. 37. 38. 39. hujus operis. II. Totum vaticinium tribui Mesiæ Ben David, à statu ejus non esse alienum, nec ulli antilogiæ obnoxium, ex vindiciis rationis generalis liquidò constabit.

Sequuntur argumenta judæorum ἀναστευαστικὰ, quibus evertere student 1. *Authoritatem* veterum. 2. *Rationem generalem*, utramque à Christianis allegatam. Authoritatem vete-

veterum primo loco vindicandam assumemus, non quod tanti illam faciamus, veritas enim absque isto fulcro facile subsistit, sed quod ad convictionem judæorum non parum faciat. Hanc itaque nobis eripere satagit Abarbenel, non quod neget vereres exposuisse vaticinium hoc de Messia, (nimis ènim hoc est manifestum) sed quod rabbinica distinctione veterum mentem eludat, ut ita authoritatem eorum nobis reddat inutilem. Videamus successum. פירוש יונתן ומה שנמשכו ח"ל בדעת לא יעלה על הדעת שהוא פיר' אמתי כדרך הפשט כי הנה טבע הכתובים לא יסבלנו אבל היה ענינם בדרך הדרש או אסמכתא ולכן סמכו מה שהיה מקובל בידיהם בעניני המשיח לכתובים האלה לא שיחשבו שתהיה כן הכוונה האמתית בנבואה כי גם חכמים ז"ל עם היות שפירשו פסוק הנה ישכיל עבדי על המלך המשיח הנה שאר פסוקי הפרשה לא פירשו כי אם על ישראל וגם יונתן כן עשה שפ' הפסוקים הראשונים על מלך המשיח ושאר פסוקי הנבואה על בחירי צדיקיא כ"ש שגם חכמים ז"ל דרשו לכן אחלק לו ב ברבים על מר"עה שמת על דור המרבר ולא מפני זה נאמר שכל הפרשה נאמר עליו הר"מבן עם היות שפירשה על מלך המשיח כתב שלדעתו לא נאמרה כ"א על עדת ישראל. *Non existimandum est, Ionathanis & sapientum qui in hanc sententiam attrahuntur, expositionem, esse genuinam & secundum sensum simplicem. siquidem contextus eam non fert, sed mystica duntaxat est & superfunctoria seu levioris probationis ergo adducta, qua ex scripturis istis leviter tantùm illustrant, quæ de Messia traditione acceperant, non autem quod putarent veram prophetiæ mentem esse talem. Hoc inde constat, quia videmus, sapientes illos, licet verba* Prosperabitur servus meus &c. *de Messia exponant, alios nihilominus vaticinii versus applicare ad populum Israeliticum. Idem fecit Ionathan, qui priores quidem versiculos exponit de Rege Messia, sequentes autem de iustis electis. Et quod plus est, sapientes verba hæc vers.* 12. Partem dabo ipsi pro multis &c. *de Mose m. n. b. m. Qui pro generatione deserti mortuus est, exponere videmus, unde tamen non sequitur, integram sectionem ad ipsum spectare. Etiam R. Nachmanides, licet de Messia prophetiam exponat, scribit tamen, eam juxta sententiam*

ſuam, non intelligi niſi de cœtu Iſraelis. Sic quoque R. Lipman. יעוד נדרש הפרשה על משיח ולפרש פשוטו באתי *Exponitur etiam ſectio hac ſuper Meſſia, at ego ſenſum ejus ſimplicem duntaxat tradidi.* Et quia inter omnes veterum de Meſſiâ expoſitiones maxime conſpicua eſt illa quæ extat in *Medraſch Tanchuma* רבה ישכיל עבדי זה מלך המשיח ירום ונשא וגבה מאברהם נשא ממשה גבה ממלאכי השרת Ecce proſperabitur ſervus meus, *hic rex Meſſias eſt;* extolletur & altus erit valdè; *Extolletur ſupra Abrahamum, elevabitur ſupra Moſen, & altus erit ſupra angelos miniſteri:* de mente hujus traditionis cujus authoritate valde premuntur, ſolioiti ſunt, eamque ita exponere conantur, ne Chriſtiani quicquam in ea ſubſidii reperiant diſputandi contra Iudæos pro divinitate Meſſiæ. Sed ſenſu non conveniunt. *R. Alſchech* ſtatuit, Meſſiam à veteribus dici 1. Majorem Abrahamo *ratione imperii in gentes* (Imperium autem quod Abrahamus olim habuit in gentes admodum ſubtiliter excudunt talmudici ex loco Gen. 14. 17. *Obviam egreſſus eſt rex Sodomi Abrahamo ad vallem Schavæ, quæ vallis regis.* עמק שוה שהוא כי חשוו כל תאומות שבעולם להמליך יעליהם את אברהם ויעשו לו בימה גדולה והושבוהו עליה ואמרו ואכרו לפניו אתה מלכנו. *Dicitur vellis* שוה planitici, *quia in illa* הושוו *applanatæ ſeu humiliatæ ſunt omnes gentes mundi* (quarum reges tum devicerat Abraham) *ut Abrahamo ſublime ſolium erigerent, eique in eo collocato acclamarent omnes: Tu es rex noſter.*) Hinc veteres dixiſſe, Meſsiam majorem fore Abrahamo. q. d. Licet Abraham ad tam ſublime imperium tum fuerit evectus, tamen ſupra ipſum extolletur Meſsias. 2. Majorem Moſe *ratione imperii in aſtra.* Moſis autem imperium in aſtra & cœleſtes regiones colligitur (ſcilicet) ex loco Exod. 9. 22. *Extende manum tuam verſus cœlum ut ſit grando in tota terra.* Fore itaque Meſsiam ſuperiorem Moſe, non ratione ſapientiæ & prophetiæ (ſic enim nemo cum Moſe compa-

randus) ſed hujus imperii duntaxat reſpectu. Idque non ita intelligendum, quaſi tempore Meſſiæ, Moſes non ſit abſolutè & in omnibus major futurus ipſo Meſsiâ, ſed quod Meſsias quando venerit majus imperium in aſtra habiturus ſit, quam habuit Moſes ſuo tempore. 3. Majorem angelis miniſterii, *ratione placidæ acquieſcentiæ*, quod dicitur de angelis כי גובה להם *quod altitudo ipſis ſit* Ezech. 1. 18. Et quia tam alti ſunt, minus ſibi convenire putant ut aliquid petant à Domino creatore ſuo, ſicut juſtus aliquis qui humiliter coram Deo delicias agendo & complacendo, inſtar filii dilectiſsimi coram patre ſuo מתחטא *ſuaviter & delicatè ſe gerentis*, ſuaviter etiam & delicatè ab ipſo habetur, & impetrat quicquid petit. Hoc reſpectu Meſsiam גובה *altiorem* eſſe ipſis angelis quibus tanta גובה *altitudo* eſt. Sic ſuaviter & delicatè nugatur *R. Alſchech.* Sed aliter *Abarbenel*, qui Meſsiam majorem Abrahamo dictum contendit *ratione cultus divini.* Licet enim Abraham admodum fuerit pius & Dei timens, adeò ut dixerit הרימותי את ידי *Extuli manum meam* Gen. 14. 22. cum partæ victoriæ gloriam Deo tribueret, tamen Meſsias erit ירום ממנו *altior ipſe* i. e. majori adhuc pietate præditus, & magis manus ſuas attollens, cum dicatur de ipſo: *Super quo quieſcit ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ* &c. Eſai. 11. 2. 2. Majorem Moſe, non ratione prophetiæ, legiſlationis, aliorumque graduum quibus ſupra omnes homines excelluit princeps ille prophetarum, ſed *ratione eductionis ex captivitate*, licet enim & Moſes eduxerit populum ex Ægypto, Meſsiæ tamen eductio erit glorioſior, ſiquidem ille duntaxat ex Ægypto eduxit, hic verò ex omnibus mundi regionibus. 3. Majorem angelis miniſterii *ratione victoriæ ſuæ contra gentes* א"עפ ששריהם העליונים ישפיעו עליהם טובות הנה תגבר יד מלך המשיח עד שיבוטלו מלפניו ה המערכות העליונות וכן אמרו ז"ל אין הק"בה נפרע מן האומה עד שנפרע מ מאלהיה

מאלהיה ויהיה מלך המשיח בקרב עמו כאחד מצבא המרום והשרים הנשפעים על כל אומה ואומה כי .כמו שהשרים העליונים מקבלים השפע מעלותיהם וישפיעו על אומותם וכחם ילחם עם כח השרים המנגדים אליהם כמו שבא בדברי דניאל כבה מלך המשיח יקבל השפע מהסבה הראשונה וישפיע על אומתו הצלחה וכבוד ושלוה רבה ובזה יבוטלו כחות השרים המנגדים ולכן עשו יחם ויערך מכלך המשיח לכלאכי השרת ר"ל שרי האומות בשאלו ואלו מקבלים השפע מהבורא ית' אבל תגדל מלך המשיח עליהם בשני דברים הראשונא בשהשפע הכניע למשיח יהוה מכנו ית' מגלי אמצעים מה שאין כן בשפע המניע לשרי מעלה שהוא כשתלשל באמצעים רבים והשנית שכחותיהם יתבטלו בזמן ההוא ולא יוכילו לאומותיהם לפי שאז יפסר חוט החסד עליהם מלמעלה *Licet enim principes earum ſuperni eximiam ipſis potentiam inſtillent, prævalebit tamen manus Meſſiæ, donec ſupernæ acies coram ipſo deficiant. Et hoc eſt quod Rabb. b. m. dicunt; ultionem non ſumet Deus de gentibus, donec ultionem ſumat de diis ipſarum. Erit rex Meſſias in medio populi ſui velut unus ex exercitu excelſo, & ſtabunt principes ſuperni in ſingulas gentes influxum ſuum habentes. Sicut enim principes ſuperni influxum virtutum ſuarum habent aliunde, eumque gentibus ſuis inſtillant, & fortiter prælium ineunt cum principibus adverſariis, uti colligitur ex verbis Danielis, ſic rex Meſſias influxum aſſumet à cauſa prima, ſuæque genti inſtillabit proſperitatem, gloriam, & tranquillitatem magnam & tum deficiet robur principum oppugnantium. Hoc reſpectu dicunt rabbini, Meſſiam fore maiorem angelis Miniſterii. i. e. principibus gentium. Licet enim utrique influxum ſuum habeant à Deo creatore, prævalebit tamen virtus regis Meſſiæ, primò quod ipſe influxum ſuum habeat à Deo immediate, principibus autem roboris immittatur multis mediis; ſecundò quod virtus eorum tempore iſto deficiet adeò ut gentibus ſuis prodeſſe non poſſint, nam filum gratuitatis, quæ ſuperne ipſis infundebatur, præcidetur.* Figmentum hoc, quod veterum *Manichæorum* ſordes redolet, ulteriori expoſitione indiget. Legere eſt apud Danielem cap. 10. 13. *Princeps regni Perſiæ ſtetit coram me uno & viginti diebus, quum ecce Michael primus è prin-*

è principibus primariis veniſſet ad adjuvandum me. Et verſ. 20. *Nunc revertor ad pugnandum contra principem Perſiæ.* Et verſ. 21. *Ne unus quidem eſt qui ſe confirmet mecum ad iſta, niſi Michael princeps veſter.* In hæc verba (quæ angeli Gabrielis eſſe videntur, Dan. 9. 21.) idem Abarbenel in *Majene hajeſchuah* hoc modo commentatur

הרא"ב ע' בפי' בינין השרים האלה שהם הכוכבים והמזלות כי יש לכל אומה ולשון ולכל עיר ועיר מזל מושל לו כשפיע עליו כפי ההשגה הכוללת. ויותר נראה דעת הר"מבן בפי' התורה שהשרים האלה הם שכלים נבדלים נקראים מלאכים ורוחניים המניעים את הגלגלים ומשפיעים עליהם ולכן בהיות לכל אומה מזל וכוכב בשמים היה לו שר למעלה משפיע לכלם וממשלת הגוי והממלכה כפי מערכת הכוכבים נמשכת ומושפעת דק האומה ישראלית אין לה מזל וככב הוא נחלת ה' ית' וכמאמר מר"עה ופן תשא עינך השמימה וגו' אשר חלק ה' אלהיך אותם לכל העמים ואתכם לקח ה' ואכרו מיכאל שרכם אינו סותר לזה שאין זה כמו שר פרס שר יון כי לכך לא נאמר שר ישראל. ואמר אחר זה ובעת ההיא יעמוד מיכאל השר הגדול וכו' כי לפי שהיה מיכאל עוזר לגבריאל בהיותו עיקר ההלצרה ואין אחד מתחזק עמי על אלה כי אם מיכאל שרכם העוזר אתכם *Aben Eſra per Principes hos intelligit ſtellas & ſidera; habet enim quævis gens, natio & urbs ſuum peculiare ſidus quod ipſi imperat, & in eā juxta generalem perceptionem influxum ſuum habet. Sed magis mihi placet ſententia R. Nachmanidis in expoſitione legis, qui per principes illos intelligit intelligentias ſeparatas ſeu angelos quibus cura cæleſtes ſphæras rotandi demandata eſt, & qui influxum ſuum in illas habent. Prout itaque unaquæque gens ſuum peculiare ſidus habet in cœlo, ſic etiam ſuum principem angelum habet, qui eam regit, quandoquidem omnium gentium regna pendent à diſpoſitione ſiderum, quæ ab angelis illis ita moventur & influxum habent: Sola gente judaica exceptâ, quæ nullum habet ſidus nec ſtellam, eſt enim hæreditas Dei benedicti, juxta illud Moſis:* Deut. 4. 19. Ne ſublatis oculis in cœlum aſpiciens ſolem, lunam aut ſtellas, incurves te illis &c quæ impertitus eſt Dominus Deus tuus reliquis omnibus populis ſub univerſo cœlo, ſed vos aſſumpſit Deus &c. *Neque huïc contrariatur illud, quod dicitur;*

dicitur; Michael Principes veſter; *Non enim hoc eſt ſicut illud*: Princeps Perſiæ, Princeps Græciæ, *ſic Michael non dicitur Princeps Iſraelis, ſed quia poſtmodum dicit*: Tempore illo adſtabit Michael princeps ille Maximus, qui ſtat à partibus popularium tuorum. Dan. 12. 1. *Iſto reſpectu, quod Michael ſit adjutor Gabrielis interceſſoris pro Iſraele, ideo Gabriel, qui interceſſionis fundamentum erat, dicit*: Ne unus eſt qui ſe confirmet ad iſta mecum niſi Michael princeps veſter, i.e. *qui vobis fuit auxilio.* Cum eo tamen non planè convenit *Don Ioſeph Iachiades* in eundem locum: הע' אומות יש להם בשמים ע' שרים וכן לישראל יש שר אחד והוא מיכאל ואמנם יתחלף שר ישראל בהנהגת עמו מהנהגת שאר השרים לאומותיהם כי שרי העמים הם אלהיהם ויפעלו בהם כאלוהות ולא יושגחו מזולת שריהם ואמנם ישראל הם מושגחים מה' ואם מיכאל יביעל בם יהיה במצות קונו ולא יעשה קטנה או גדולה בלי רשות. *Septuaginta populi habent in cælo ſeptuaginta principes, & ſic Iſrael ſuum principem habet Michaelem. Sed differentia eſt inter principem Iſraelis in gubernatione populi ſui à gubernatione principum aliorum in ſuos populos. Principes enim aliorum populorum ſunt etiam dii eorum, & inſtar deorum in eos operantur, nec reguntur quam à principibus ſuis. Sed Iſrael regitur à providentia Dei, & licet Michael ipſis dominetur, fit tamē hoc juxta præſcriptum ſui creatoris, abſq; cujus permiſſu rem nec parvam nec magnā unquam tentat.* Etad v. 21. הנה ישראל יש להם מול קשה בשמים אשר נוגר ההשפלה והעוני *Iſrael infeſtum ſidus habet in cælis, quod contra eum depreſsionem decernit.* Summa huc redit: Deum eſse inſtar regis, qui tot provincias regendas habet ut omnibus curandis ſufficiens non ſit, ſive eſſe nolit, ideoque unicam tantum ſibi adminiſtrandam ſervet, omnium aliarum cura prorſus depoſita, & in totidem principes ipſis præfectos conjectâ, cum abſoluto in eas imperio, uſque adeò etiam ut non curet quocunque modo eas regant, nec moleſte ferat, ſi iſtarum provinciarum in-

colæ

colæ ſuos principes ſibi præfectos, neglecto rege, pro ſupremis ſuis legiſlatoribus & magiſtratibus agnoſcant, nec ullum honorem aut reverentiam ſuo regi amplius deferant. Sic ſolam judæorum Synagogam eſſe Dei provinciam, in eâquo exornandâ Deum tam mirificè ſibi placere (riſum quæſo cohibete amici) ut omnium aliorum populorum curam abjecerit, & abſolutum in eos imperium angelis ſuis ſiderum rotatoribus conceſſerit, & per ſiderum influentias pro arbitrio ſuo eos regere permiſerit. Et licet etiam Deus in ſua judaicâ, quam ſoalm regendam aſſumpſit, aliquem præfectum (Michaelem) conſtituerit, eſſe tamen illum inſtar principis ſubalterni duntaxat, qui mandata non det, ſed à ſuperiore legiſlatore data exequatur, eique exactam ſuæ adminiſtrationis rationem reddere teneatur. Et hinc contingere, cùm quiſque aulam ſuam, in qua ſe jactet, habeat, ut non rarò exoriantur rixæ inter Jovem & Neptunum, uno alterius limites invadente, unde Gabriel ſupremus Iudæorum legatus & orator apud Deum, de periculo monere, & cum auxiliaribus Michaelis præfecti copiis, cum Perſiæ aliarumq; judæis infeſtarum gentium angelis prælium inire neceſſe habeat. O ſublimem theologiam! tam acutis doctoribus verè dignam. Nititur illa loco Deut. 4. 19. ſupra ab Abarbenele citato, cujus tamen ſenſus (ut & hoc obiter dicam) nullatenus eſt, quod Deus ſolem & aſtra omnibus gentibus impertitus ſit, ut earum dii eſſent; nec verbi חלק ſcopus hic eſt, ut regnorum mundi per ſidera cœli diſtributionem notet (ineptire enim hoc eſt non exponere) ſed quod ea ut creaturas miniſtrantes non judæorum duntaxat ſed & aliarum gentium uſui conceſſerit; unde argumentum ducitur, non ea ſed eorum dominum eſſe colendum, juxta illud Chriſti Mat. 5. 45. *Facit exoriri ſolem ſuum ſuper improbos & bonos, & pluit ſuper juſtos*

ſtos & injuſtos. Hanc mentem aſſecutus eſt *R. Salomo*, qui dicit, ſidera etiam gentibus conceſsa eſse להאיר להם *ut luceant ipſis*; Licèt paulò poſt, mutato ſenſu, ſimili modo ineptire incipiat. Sed ad inſtitutum revertamur. Foret itaque Meſſias, juxta mentem Abarbenelis, *angelis miniſterii* ſuperior, quod ipſe Michaelis, judæorum principis, & Gabrielis, judæorum legati apud Deum, commilito, contra aliarum gentium (Chriſtianorum imprimis) principes angelos, earumque ſidera judæis infeſta gladium ſtringens, ea debellaturus ſit. Tam ſubtiliter autem *R. Lipmanno* philoſophari non licuit. Iſte enim torquens ſe, quo ſenſu veteres Meſſiam angelis miniſterii majorem dixerint, tandem ad ſententiam & expoſitionem *R. Moſis Haccozi* confugit quam omnibus aliis præfert. Hæc autem ita habet השלם והצדיק בכל עדיף ממלאכי השרת, כי המלאכים ש שלימים מפני שאין להם יצר הרע אבל מי שיש לו יצר הרע ואינ"פב הוא שלם בכל טוב מהם. ואם תאמר אין יהיה שלימות אדם דומה לשלמות מלאך. שהרי גבי יהושע נאמר אני שר צבא ה' עתה באתי ופי' ר"ל עתה באתי אבל משה רבך לא היה חפץ בו שנא' אם אין פניך הולכים אל תעלנו מזה ופירשו ר"ל שמשוז הרי הוא נובה מלאכי השרת. *Homo omni modo perfectus & juſtus, præſtantior eſt angelis miniſterii, angeli enim dicuntur perfecti, quod careant cogitatione mala, ſed homo perfectè juſtus, licèt cogitatione malâ non careat, in omni tamen bono opere angelis eſt perfectior. Si quis dicat, quomodo perfectio hominis comparari poteſt cum perfectione angelorum? Ecce Joſuæ dicitur*, Joſ. 5. 14. Ego princeps militiæ Domini modò veni. *Hoc* modò veni *exponunt rabb. b. m. Sed Moſes Magiſter tuus in ipſo non acquievit, dixit enim ipſe* Exod. 33. 15. Si facies tua non præcedet, ne jubeto nos hinc diſcedere. *Vnde rabb. b. m. colligunt, etiam Moſen angelis miniſterii fuiſſe majorem.* Non ergo mirum, Meſſiam angelis miniſterii eſſe majorem, quia etiam quivis perfectè juſtus iis major eſſe poteſt. Illuſtrat autem hoc exemplo Joſuæ & Moſis.

Mosis. Apparuit Iosuæ angelus Domini, exercitum Israeliticum in terram Canaan ducturus, cui Iosua se incurvavit. Sed quia angelus iste dicebat, *modò veni*, q. d. nunc demum veni; hinc sapientissimos suos rabbinos colligere dicit, eundem angelum etiam tempore Mosis à Deo missum ut exercitum duceret, Mosen autem istum angeli conductum, velut non satis tutum repudiasse, sed voluisse ut ipsius Dei facies præiret, alioquin populum isthinc non discessurum; & hanc esse causam, quod angelus iste opem suam usque in tempora Iosuæ distulerit: indeque eos concludere, ait, etiam Mosen angelis ministerii fuisse majorem. Nunquid egregiè? Utrum autem ista irrisione an verò commiseratione digniora sint nescio. Quis quæso ad horrendam illam stupiditatem non obstupescat? *Alii* aliam evadendi viam invenerunt, qui præfixum *Mem* in ממלאכי, ממשה, מאברהם volunt sumi non *privativè* uti hactenus, sed *causaliter*, ad indicandum, tres fore perfectiones in Messia, primam *naturalem*, quam habiturus sit ab Abrahamo, secundam *acquisitam*, quam à Mose, in cujus lege exercitatissimus erit, tertiam *divinam*, qua Deus angelorum ministerio ipsum honorabit. Sed hanc glossam rejicit Abarbenel. Variæ hæ contradictiones & vanissima effugia (ulteriori refutatione indigna) evidens nobis exhibent documentum summę perversitatis & malitiæ istorum hominum, qui videntes, majorem quam vellent, prærogativam veteres concessisse Messię, & divinam ejus naturā agnovisse, (aliâ enim ratione angelis superior verè dici non poterat) istaq; authoritate (quam defugere nefas apud ipsos & capitale) Christianos mirificè muniri contra Iudæos, omnem movent lapidem ut eam nobis suis glossematis intervertant, idque tanto molimine ut etiam se ridiculos reddere cogantur. Non dico jam, viros istos talmudicos, dogmatis istius observatores,

divinam Meſſiæ naturam attribuiſſe (nam poſt Chriſtum manifeſtatum judæi in reprobum ſenſum præcipitati ab iſta doctrina prorſus defecerunt; Vide primam dialepſin hujus operis) ſed hoc tantum volo, dogma iſtud ab antiquiſſima quadam traditione, omni procul dubio originē duxiſſe (ſiquidē omnia ſe παραδόσεις accepiſſe dicunt) illis tritâ temporibus, quibus ſana de Meſſiâ doctrina adhuc obtinebat, quacunque tandem ratione ſe extricare ſtudeant noſtri rabbini.

Sufficiet itaque ad vindicandam contra judæos allegatam authoritatem, ut oſtendamus celebrem illam diſtinctionem inter פשט & דרש, per quam Abarbenel evadere conatur, quamque toties in ore habent rabbini, à mente veterum in traditione hac fuiſſe alienam: quod *ſex* rationibus probo. I. *A futilitate ſenſus* דרש *in theſi.* Duplicem in ſcriptura ſenſum admittendum eſſe non diffitemur, imò aperte docemus, unum *Literalem*, alterum *Myſticum.* Res autem per ſe certa eſt, humano cerebro pro lubitu ſuo in ſcripturis graſſari minimè permiſſum eſſe, proindeque ſenſum non eſſe *inferendum* ſcripturæ, ſed in ea *inveniendum*; alioquin ſcripturam per ſcripturam illuſtrare, allatiſque ex eodem fonte rationibus traditum ſenſum confirmare non foret neceſſe, ſed ſufficeret, interpretem ita intellexiſſe, adeoque tandem non ſcripturarum ſed hominum authoritate pugnaretur. Hoc ſi abſurdum (uti merito ab omnibus qui ſcripturę non hominum authoritate ſe niti profitentur, cenſeri debet) ſequitur inde, nullum in ſcriptura ſenſum eſſe admittendum, niſi qui de intentione ſpiritus S. eſſe, probari poſſit, ſive literalis ille ſit ſive myſticus. Literalis itaque erit, quem Spiritus S. intendit *primariò*; Myſticus, quem intendit *ſecundariò.* Diſtinctio autem inter primariam & ſecundariam Spiritus S. intentionem ita intelligenda eſt, ut iis

tantum

tantum locis locum habeat ubi uterque ſenſus conjungi poteſt, adeo ut res & ad literam vera ſit, & ſimul ita comparata ſit, ut myſterium aliquod includere poſſit. Aliàs enim non eſt dubium, quin plurimis in locis ſenſus myſticus intendatur primariò, ubi nimirum literalis i. e. quem litera præ ſe fert, à mente Spiritus S. eſt alienus, qualia plurima ſunt in cant. Salom. Unde multi ſenſum *illum* vocant literalem, κατάχρησικῶς, intelligentes per literalem, non illum quem habet litera, ſed quem Spiritus S. ſub literâ figuratè & metaphoricè ſumptâ, primariò ſeu unicè intendit. Ubi perinde eſt, quocunque modo ſumantur vocabula, modò de re conſtet, probeque notetur, myſticum ſenſum Spiritui S. tribuendum non eſſe, niſi triplici lege obſervatâ. 1. Ut litera textus exactam contineat ſimilitudinē, quæ myſticum illum ſenſum includat. 2. Ut omnes contextus circumſtantiæ tranſitioni à literali ad myſticum ſenſum ſaltem non repugnent ſinon jubeant. 3. Tertia quæ præcipua eſt, ut myſticus ille ſenſus qui elicitur, cum analogią fidei, quæ totam ſcripturā pro fundamento habet, optimè conveniat. Iſta reſtrictio neceſſaria eſt, aliàs enim impediri non poſſet, quominus ex quolibet quidlibet eruatur. His, quæ communia ſunt, in anteceſsum dictis, videamus nunc proprius judæorum in tradendo ſcripturæ ſenſu conſuetudinem, quidque in ea ſit probandum, quid improbandum. Tria ipſis ſunt vocabula, quibus ſenſum à ſenſu diſtinguunt. 1. משמע *Auditus*. 2. פשט *Simplicitas*. 3. דרש vel מדרש *Inquiſitio*. משמע ſenſus eſt, qui ſecundum literam proprie ſumptam auditur, ſivè de ſcopo & intentione Spiritus S. ſit ſive non. פשט ſenſus planus & ſimplex eſt, quem propriè Spiritus Sanctus intendit, ſive propriis ſive figuratis terminis proponatur. דרש ſenſus eſt allegoricus qui controverſiæ hujus objectum eſt. Hunc Sp. S. non intendit, (fatentur

enim שאין מקרא יוצא מידי פשוטו *ſcripturam non diſcedere à ſenſu ſuo ſimplici*) ſed ipſi rabbini immodico curioſitatis pruritui frænum laxantes eum fingunt, ſimiles apibus quæ per hortos & agros circumcirca ſtridentes, flores legunt, & in alvearia ſua comportant, ſic hi ingentia ſcripturarum ſpacia pervagantes, modò hic modò illic aliquid decerpunt, ubicunq; in vocibus & phraſibus (quamvis toto cœlo & ſenſu & ſitu à ſe invicē remotis) vel minimā ſimilitudinem ſeu analogiam ſive in ſono, ſive in ſignificatione, ſive in numero, ſeu numerorum juxta literarū poteſtatem æqualitate (quam imprimis attendunt cabbaliſtæ artis nugatoriæ ſupremi magiſtri) deprehendere poſsunt, eam ſtudioſè obſervant, totamque maſsam in rabbinicum ſcrinium congeſtant, ex quâ tum, rabbinico rore & ſale probè conditâ & humectatâ, mira & inaudita nobis myſteria ſtupendo acumine excoquunt, eaque putidiſſimis fabulis eodem fundamento ſubnixis fulciunt; in eo apibus immane quantum diſſimiles, quod hæ ex congeſtâ ſuâ maſſâ dulciſſimum mel conficiant, quod magno mortalibus eſt uſui, illi econtra venenum, quo miſeros ſuos ſectatores ineſcatos, in ſenſum reprobū & inextricabiles errores præcipitant, totamque S. ſcripturam in confuſiſſimum & inutile chaos, omnibus monſtris deformius, blaſphemè commutant; quod exemplis non paucis in hoc opere adductis demonſtravimus. Hic eſt ſenſus ille (ſi diis placet) myſticus, quem tantopere crepant rabbini, in quo immenſa illa & operoſa ineptiarum farrago & moles, quæ *Talmud* inſcribitur, & commentarii illi biblici, qui dicuntur *Rabboth*, aliique libri allegorici ad iſtam imitationem compoſiti, conſiſtunt; quem commentatores peſchutici, qui ſenſum ſcripturæ ſimplicem tradunt, ut R. Salomo, Aben Eſra, Kimchi &c. non raro etiam attingunt, quibus familiare hoc eſt (R. Salomoni imprimis,

ſenſus

ſenſus myſtici ſummè perito) ut, poſtquā ſenſum ſimplicem i.e. mentem S. Scripr. expoſuerunt, etiā, velut poſt epulas, ſecundas menſas & delicatiſſima bellaria appoſituri, de ſacro iſto & myſtico theſauro extremis aliquid labiis nobis deguſtandum porrigant; commeſſatoribus illis haud abſimiles, qui poſtquā ſtomachū ſanis cibis impleverunt, fiſtulis ori admotis cerebrum ſuū Indico fumo conſpergere aſſueti ſunt, ex quâ fiſtulatione neſcio quam voluptatis ſpeciem ſe percipere ſomniant, licet alium fructum non reportent, quam quod ſanitati ſuę officiant, ſtomachum debilitent, & bonæ digeſtionis facultatem corrumpant. Et miror nonnullos Chriſtianos, qui ſtatuunt, *rabbinorū ſcripta pauciorìbus fabulis quā vulgò creditur, maculata eſſe*, item, *multas fabulas talmudicas excuſari poſſe, & parabolicè explicari.* Cui quæſo bono ejuſmodi corollaria? Eſt ne, ut Iudęis complaceant & ineptam iſtam ratiocinationem probent? an verò, ut eo teſtatum faciant, ſe multum in talmudica lectione, quā Corinthum nō eſt cujuſvis adire, profeciſſe? Sed annon potius hoc eſt januā aperire Iudæis? ut magis audacter in poſterum nugentur, & nugas ſuas talmudicas eò majoris faciant, quando apud Chriſtianos etiam eas in pretio eſſe agnoverint. Nullus certè Chriſtianus eſt, qui bona conſciētia ullam talmudicam fabulam vel defendere poſſit vel excuſare, quodcunque tandem myſterium (etiam Chriſtianæ religioni, argumento ad hominem, confirmandæ fortè non inutile) præ ſe ferant; non enim hic quæritur, an aliqua ex iſtis fabulis ad ſubjectum aliquod morale vel aliud illuſtrandum commodè applicari poſſit; nam licèt hoc aliquibus in locis (quod valde rarum) quam maximè appoſitè fieri poſſit, nihilo tamen inde iſta ineptiarum moles nobis poteſt reddi commendabilior; ratio eſt evidens, nulla enim iſtarum fabularum eſt, quæ vel cum aliquo ſcripturæ

dicto

dicto ejuſque phraſibus & vocibus blaſphemè non ludat, eique ſenſum temerè affingat, à quo Spiritus S. abhorret, vel ſaltem putido aliquo & inſulſo commento, à Chriſtiana religione, quæ in rebus ſacris prudenter & caſtè allegoriſandum eſſe docet, alieno nitatur. Qui itaque ejuſmodi ineptias excuſare vult, etiam talem agendi modum ſimul probare vel ſaltem excuſare tenetur. Quapropter mallem, ut Chriſtiani à tali patrocinio abſtinerent, & judæis blaſphemas ſuas nugas defendendas relinquerent. Quod ſi fabularum patrocinium ſuſcipere vellem, Æſopicas eligerem, quæ à ſacris manum abſtinentes, eleganter & appoſitè bonos mores fingere docent, qui fructus à talmudicis illis exſpectandus non eſt, quo enim ſublimiora tractant ſubjecta eò magis ineptiunt, & poſtquam S. Scripturâ ejuſque vocibus & hebraiſmis, eam vexando torquendo & retorquendo, velut pila palmaria diu luſerint, ut plurimum re infecta diſcedunt, & lectorem intricatum relinquunt, qui quid iſti homines ſibi velint, quid tandem negent, quid affirment, neſcit; quod non mirum ſi homini Chriſtiano contingat, ipſis enim doctoribus geonim & modernis qui in explicandis talmudicis myſteriis ut fructum inde aliquem percipiant, admodum ſe torquent & ſudant, aqua hic hæret; ſæpè enim ſibi invicē contradicere, novaſq; ineptias, integris cōſcriptis voluminibus, ut antiquas illuſtrarent fingere neceſſe habuerunt, oleum ſuum & operam ludentes, ſiquidem ipſi nugatores quos exponere ſatagunt, horrendâ mentis cæcitate juſto Dei judicio percuſſi, quid ſibi vellent, neſciebant. *Roges* fortè, an ergo nullum doctrina talmudica habet uſum in Chriſtiana religione? *Reſp.* Nullum omninò, niſi ubi priſtinę fidei veſtigia ſuperſunt, quę ad judęorum convictionem facere poſſunt, qualis eſt locus ille quem præ manibus nunc habemus, & fruſtrà eſt qui amplius

quid

quid quod ad Chriſtianã Theologiam ſive firmandã ſive illuſtrandam faciat,ab iſta rapſodia exſpectat. Paganorum Græca & Latina ſcripta Chriſtianis longè utiliora ſunt, hi enim cum ratione & Iudicio ſcribunt, ſtatimq; dignoſces quid in uſum tuum probare quid improbare debeas. Sed fortè juris conſultis talmudica lectio magis commendanda, ſiquidē antiqui juris forenſis non pauca ibi rudera reperiuntur, cum judicio tamen & grano ſalis accipienda, multis enim fabulis & ineptiis per fœdum S. Scripturæ abuſum conſpurcata & obſcurata ſunt, & ſi antiquæ alicujus praxeos rationem, quam ſcriptura non indicat, inquiras, illi, quia ipſi eam neſciunt, commentitiis narrationibus & nugis mentem tibi paſcent, quibus ſi fidem adhibes,deceptus es & alios decipis. Vide ejus rei exemplum ſupra pag.277. de quadregenis plagis. Quapropter lynceis oculis præditum eſſe oportet, qui ex iſto ſtercore margaritas eruere velit. Ex hac itaque digreſſione colligimus,antiquos Iudæos cum hoc vaticinium ad Meſſiam referrent, nullam ejuſmodi מדרש ſeu myſticam expoſitionem in animo habuiſſe, idq; ob rei abſurditatem,prius enim in theſi defendendus erit iſte ſcripturas exponendi modus, antequam in hac hypotheſi eum tribuant veteribus; Siquidem nullus dubito, quin propoſitionem hanc, *rem per ſe abſurdam veteribus in mentem non veniſſe* nobis conceſſuri ſint. Dixi autem, per veteres me non intelligere talmudicos illos qui dogma hoc, ſcripto conſignatum poſteritati reliquerunt, ſed eos qui primi hujus traditionis authores exſtiterunt quicunque tandem illi fuerint; nullum enim eſt dubium, Eſaiæ vaticinium ab ipſis prophetis quondum ad Meſſiam fuiſſe relatum, iſtamque doctrinam oretenus ſic traditam fuiſſe,donec ad talmudicos illos perveniret, qui jam ineptire incipientes, ei fœtoris iſtius myſtici aliquid affricarunt, ne non acuminis ſui

experimentum in eâ feciſſe viderentur; ut quando excellentiam Meſſię ſupra angelos miniſterii illuſtrant ex loco Ez. 1. 18. *Abſidibus erat altitudo*, utrobique enim aliquid occurrit ex radice גבה, hic nomen ſubſtant. גובה *altitudo*, apud Eſai. ipſum verbum גבה *altus fuit*, ex quibus aliiſque ſimilibus locis factâ in rabbinico cranio mixtura ilico aliquid myſtici excoquitur. Quod cæteroquin homines iſti putaverint, in ſenſu planè myſtico & proprio vaticinium hoc à veteribus præter mentem Eſaiæ relatum fuiſſe ad Meſſiam, ex ſequentibus non ſit veriſimile, & licet putaverint, nihil attinet, non enim quæritur quid putaverint ſed quid putare debuerint, nam ipſorum erat, veterum doctrinam purè retinere, non verò ineptis gloſſis corrumpere. II. *A futilitate ſenſus* דרש *in hypotheſi.* Si in ſenſu myſtico veteres de Meſſia vaticinium expoſuerunt, dicant nobis, quis ſit iſte ſenſus myſticus & in quo conſiſtat? Hic autem aqua ipſis hæret. Vidimus enim quàm malè hic inter ipſos conveniat, & quam in hoc myſtico ſenſu nobis declarando ſint futiles & ridiculi. III. *A natura ſubjecti* etiam probatur, applicationem iſtam non fuiſſe myſticam, omnis enim ſenſus myſticus eſt compoſitus & vocatur myſticus ſive allegoricus, quia mens primò intuetur figuram, antequam ad myſticum ſenſum qui in ea abſconditur, tranſeat. Si autem nulla figura adſit, myſtico ſenſui non datur locus, quia caret fundamento. Etiam ad conſtituendum ſenſum illum myſticum, quem finguntrabbini, requiritur aliqua vocum, phraſium, rerum compoſitio & collatio unde myſtici quid eliciatur. Dicere autem, per *Servum* apud prophetam intelligi *Meſſiam*, quid hoc habet myſtici? cum ſit ſimplex declaratio, nomen ſervi eſſe epitheton Meſsiæ. Neque in voce *ſervi* latet myſterium quia Meſsias ſic vocatur ab officio ſuo, ſicut qui ſervum ſuum vocat ſub nomine

mine ſervi, omiſſo nomine ejus proprio, nullum ideo intendit myſterium, ſed oſtendit, hoc ejus eſſe officium. Sed ſit ita, ſub voce עבד *ſervi* aliquid myſtici latere, (nolo enim hominibus moroſis ſuper re tam parvi momenti movere litem) quid tum, an inde ſequitur, ſenſum illum non eſſe פשט i.e. non convenire cum mente prophetæ? Hoc ſanè non concedet Abarbenel, nam eodem jure myſticè, i.e. in ſenſu myſtico exponi debuiſſet illud Eſai. 42. 1. *En ſervus meus quem ſuſtento*, quem locum tam conſtanter in ſenſu פשט ſecundum intentionem prophetæ ad Meſſiam refert, ut cæcitate percuſſos dicat doctores illos (licèt inter eos etiam ſit R. Salomo magnum illud judæorum oraculum) qui ipſum de ſe ipſo vel *Cyro* ibi loqui ſentiunt. Quod ſi jam aliquis ex veteribus fuerit (uti fuiſſe mox conſtabit) qui æquè hunc locum atque illum quem præ manibus habemus, de Meſsia intellexerit, in quo ſenſu ſic intellexiſſe dicendus erit, in myſtico ne à mente prophetæ remoto? an in ſimplici? an verò in utroque? Si in myſtico, quare ergo Abarbenel exponit locum in ſenſu ſimplici? Si in ſimplici, dicat rationem quare cap. 52. ſenſus potius obtineat myſticus & veteres in iſto ſenſu potius locuti ſint, quàm cap. 42. ubi ſenſus ſimplex admittitur? cum epitheton idem ſit, & expreſsio poſterior effectum referat prioris, quia enim Deus *ſervum ſuum Meſſiam erat ſuſtentaturus*, cap. 42. ideo *proſperaturus erat* cap. 52. Si in utroque, dicat rationem, quare non æque hic in utroque, quam illic? Manifeſtiſſimum hic documentum habemus obſtinatæ iſtorum hominum malitiæ, quia enim videbant cap. 52 & 53. Meſſiam deſcribi, qualem eum credunt Chriſtiani, locum autem cap. 42. Iudaicæ fidei de Meſſiâ non tantopere contrariari, ideo huic genuinus ſenſus abſque præjudicii metu potuit relinqui, illi autem, quod ad rem Chriſtano-

rum faceret prorſus detorquendus erat, & veterum de eo expoſitio, Chriſtianis favens, ad ſtolidiſſimum aliquem ſenſum myſticum trahenda. IV. *A Simplicitate ſtyli Ionath: Chald.* Nihil ſtultius eſt quam dicere, Ionathanem in ſenſu myſtico à mente Eſaiæ remoto intellexiſſe vaticinium hoc de Meſsiâ, eodem enim jure totam ipſius paraphraſin dixeris myſticam & à mente ſcripturę alienam, imò planè ridiculus fuiſſet, qui eum in finem ſcripturam Hebraicam in dialectum Chaldaicam verbotenus ferè transfundebat, ut iſti dialecto aſſueti prophetarum mentem meliùs perciperent, ſi vero ſenſu præterito, ineptum & fictitium loco ejus ſuppoſuiſset. An iſte ſcribendi modus potuiſſet dici *Targum* ſeu *expoſitio paraphraſtica*? Sed accedamus propius. Nulla unquam vel ſpecies rationis fingi poteſt, quare hic magis ſenſus myſticus affingendus ſit Ionathani, quàm ad locum cap. 42. ſupra citatum, quem eod. planè modo ſimpliciter in ſenſu פשט juxta mentem prophetæ exponit de Meſsia, annotatque R. Salomo, licèt Ionathan ſtatuat illum locum de Meſsia intelligendum eſſe, ſe tamen in alia eſſe ſententia, quam ſententiam ipſe Abarbenel convellit, & Jonathanis expoſitioni ſubſcribit. Fruſtrà itaque hic ad ſenſum myſticum torquet Jonathanem, cum nullam ejus varietatis rationem reddere poſsit; & miror, quomodo hominem ſuæ futilitatis non puduerit. V. *A teſtimoniis libri peſikta* quem citat author *Afkat rochel*, & *Aggada Sam.* quæ ad ſenſum myſticum trahi non poſſunt, cùm afflictiones & dolores ibi expreſsis verbis tribuantur Meſsiæ, & in rei veritatem citatur vaticinium hoc Eſaię. Nec excipi poteſt, iſta pertinere ad Meſsiam Ben Ioſeph, hoc enim negant rabbini, & ſupra oſtendimus, Meſsiam Ben Joſeph nihil eſse quam ens rationis, & qua occaſione figmentum hoc apud judæos locum invenerit. VI. *A Teſtimonio R. Alſchech,*

schech, qui veteribus expositionem de Messia adscribens, nullum sensum mysticum ipsis affingit, sed simpliciter juxta scopum prophetæ, eos, sicut à majoribus acceperant, ita exposuisse, & se cum ipsis ita exponere declarat. *Instant. Abarb.* Non exponunt veteres integrum vaticinium de Mesia, sed primum duntaxat ejus versum, *prosperabitur servus meus* &c. Reliquos autem ad populum Israeliticum referunt, & speciatim vers. 12. c. 53. ad Mosen. Sic Ionathan priores tantum versus applicat Mesiæ, reliquos justis electis. Ergo sensus applicationis ad Messiam mysticus duntaxat est, non genuinus. *Resp.* 1. Κατὰ τὸ ῥῆτον. Vel in sensu simplici referunt reliquos versus ad populum Israeliticum, vel in mystico. Si in mystico, quare ergo rabbini in simplici? si in simplici, (quod procul dubio volunt rabbini) quidni & primum de Messiâ in simplici? quare hic magis ipsis mysticus fuisset quam reliqui? 2. *Neg. conseq.* Non sequitur: Aliter exposuerunt Talmudici versus reliquos, ergo primum mysticè tantum intellexerunt de Messia, nam desultorius & ineptus rabbinorum commentandi modus satis notus est, eadem enim facilitate ab objecto resiliunt, quàm ad id relabuntur, licèt nulla in textu subsit ratio, quare ita faciant, præsertim ubi causa Christianorum agi videtur, quibus si modò omnibus viribus resistant, peccare non possunt, etiamsi futiles sint, cùm perpetua dictatura scripturas pro arbitrio suo exponendi penes ipsos solùm sit, & non penes alios. Exemplo sit *R. Alschech*, qui postquam versus aliquot ingenuè de Messiâ exposuisset, vers. 2. cap. 53. quòd ibi judæorum causam periclitari videret, si cœptum sensum pertexeret, subitò ad aliud subjectum transvolat, sed ineptè & præter mentem aliorum rabbinorum, qui necessariam sensus cohærentiam & subjecti continuationem in versibus istis agnoscunt. Quæ tamen

viri levitas argumento nō eſt, ipſum priores verſus tantū myſticè & non in ſenſu ſimplici de Meſſiâ intellexiſſe, nam verba ipſius cōtrarium evincunt. Idem de veteribus judicium. Et ſane, aliquos talmudicos aliò detorſiſſe ſequentes verſus, non magis latuit Alſchechum quam Abarbenelem, ſiquidem in paraphraſi ſua dicit ſe veteribus adſtipulari, ut verſus ſecundus cap. 53. & ſequentes de *iuſto* in genere intelligantur. Inde tamen conſequentia iſta quam Abarbenel urget, apud ipſum locum non invenit, veteres ſcil. ideò verſum vaticinii primum minus in ſenſu ſimplici intellexiſſe de Meſsia, quod ſequentes aliter exponant. Quapropter antequam & nos iſtam conſequentiam concedamus, definiant nobis prius exactè rabbini, quid à veteribus in ſenſu ſimplici quid in myſtico pronunciatum ſit, & tollāt diſsidium quod inter ipſos eſt ſuper hâc re. 3. *Neg. Anteced. Primò* falſum eſt, veteres primum duntaxat vaticinii verſum expoſuiſse de Meſſia: Contrarium enim liquet ex lib. *Peſikta* in *aſkat rochel* citato, ubi Meſsiæ etiam tribuuntur dolores & morbi qui continentur verſ. 4. cap. 53. Contrarium etiam liquet in *Gem. Sanhed.* ubi rogantibus, quodnam nomen eſſet Meſsiæ; reſpondent, ipſum vocari חוורא *leproſum* & in hunc ſenſum expreſsis verbis allegatur locus Eſai. 53. 4. *Morbos noſtros ipſe tulit* &c. Vide *Expoſ. Cl. Ioh. Coch.* pag. 359. Leproſum autem vocant, quia dicitur נגוע *percuſſus*, quod de lepra dicitur Levit. 13. 3. Sic *Ibid.* pag. 323. *R. Alexandrinus* judicat Eſai. 11. 3. Meſſiæ Ben David (hunc enim iſto loco intelligit Abarbenel) tribui הריח *odoratum*, quod Deus ipſum præceptis & *pœnis* oneraverit inſtar lapidis molaris qui ריחים dicitur. Contrarium item ex *Rabboth in Ruth* cap. 2. v. 14. pag. 46. *Edit. Racov.* Ubi facta alluſione ad verba illa: *intingas buccam tuam in acetum iſtud*, additur, hoc dici de caſtigationibus Meſsiæ,

ſub-

subjiciturque ejus confirmatio ex Esai. 53. 5. *Atteritur à defectionibus nostris.* Ista testimonia vehementer faciunt contra Iudæos, nec habent quo se vertant, si refugio, quod in sensu mystico & Messia Ben Ioseph frustra quæritur, excludantur. Mentitur ergo Abarbenel, quod veteres non nisi versum vaticinii primum de Messia exposuisse dicat. *Secundò*, quod de Ionathane dicit, etiam splendidum est mendacium, tota enim ejus paraphrasis tendit ad Mesiam, ut ex contextu liquidò constat. Ni ergo putasset, neminem ex Christianis dialectum Chaldaicam intelligere, nescio an tam impudenter imponere ausus fuisset. Sed præcipuus error quem errat Ionathan, est quod totum vaticinium torqueat ad statum Mesiæ glorioſum, & activè exponat, quæ passivè de statu exinanitionis ejus prædicātur; unde liquet ipsum iis vixisse temporibus, quibus judæi scripturas à Messia detorquere nondum didicerant, verumtamen adventus Messiæ finem erant obliti. Pristinę tamen fidei vestigium ad vers. 12. cap. 53 adhuc exstare videtur, ubi de Messia affirmat Ionathan, ipsum traditurum animam suam in mortem, nisi de corporali liberatione hoc intelligat, cujus occasione Mesias prælium cum hostibus initurus, vitæ periculo se expositurus esset. Hactenus de authoritate veterum.

Sequuntur vindiciæ *Rationis generalis*, quæ à Mesiæ *officio* ducta totum Esaiæ vaticinium ad ipsum pertinere contendit, quod utrumque ejus statum, Humilitatis & Gloriæ eo expressis verbis contineatur. De statu Mesiæ glorioso nobis litem non movent judæi, utpote quem non rarò urgere solent. Sed alter ille, humilitatis status; qui præcipuè hic describitur, in causa est, quare quæ glorioſa hic de Messia prædicantur, ab ipso hac vice removeant, ne scil. & humilia ipsi adscribere cogan-

cogantur. Et quia humilitas Meſsiæ in ſuſtinendâ peccatorum noſtrorum pœnâ, & ſatisfactione pro iis, ut hoc medio ab eorum imputatione & æterna morte iis promeritâ liberemur conſiſtit, prout à propheta deſcribitur, doctrinam hanc impugnandum aſſumit Abarbenel qui liberiori brachio ferit quam *Sociniani* Iudæorum hac in parte ſectatores. Hi enim, quod tam illuſtrem prophetiam à Meſſia alienare non audeant, aliter elabi non poſſunt quam hebraiſmos, licet Iudæis linguæ proprietatis optime peritis, improbantibus, corrumpendo, vide *Crell. contr. Grot. pag.* 62. Hoc enim hominibus *illis* in more poſitum eſt, ut, cum non habeant unde horrenda ſua dogmata tueantur, argutiis ſuis & vanis diſtinctiunculis Spiritus S. mentem arrodere & vim ſcripturæ pervertere, quod diabolicum omninò eſt, ſtudeant. Sed judæi, ſenſu in aliud ſubjectum transfuſo nihil jam à linguæ proprietate ſibi metuentes, prophetiam in medio relinquunt, & noſtram de ſatisfactione doctrinam ex principiis judaicis in theſi adoriuntur, quæ idcircò diſputatio ad hoc vaticinium propriè & per ſe non ſpectat, ſed tamen quia hoc medio illud nobis intervertere ſtudent, argumenta Abarbenelis obiter excutere neceſsarium duximus.

Primum ſuum argumentum petit à *non neceſſario quoad peccatum Adami*, cum enim ſatisfactio pro peccato præſupponat pœnæ peccato promeritæ ſublationem vi ſatisfactionis ab alio præſtitæ, ſequitur ubi pœnæ ſublatio non habet locum, ibi nec iſtum tollendi modum, qui per ſatisfactionem alterius fit, habere locum. Conſequentia per ſe certa eſt, ad minoris confirmationem duplicem peccati pœnam nobiſcum conſiderant judęi, alteram corporis, alteram animæ, corporis pœnam, quæ in afflictionibus & corporali morte conſiſtit, non tolli per ſatisfa-

ctionem

ctionem alterius dicunt, quia homini infligitur, uti liquet in exemplo Adami, qui poſtquam peccavit, iſti pœnæ reipsâ fuit obnoxius: Animæ autem pœnam hominem ipſum ſua reſipiſcentia & voluntariis caſtigationibus tollere, & hoc procul dubio feciſſe Adamum, ſiquidem ei non fuit inflicta. Unde ſic argumentatur Abarbenel: Quæ ſatisfactio in primo homine non habet locum, illa in nemine locum habet. Non autem habuiſſe locum in Adamo, probat, quia corporalis pœna in maledictione hominis comprehenſa ab ipſo non fuit ſublata, animæ autem pœnā ipſi non fuiſſe propoſitā, dicit, multò minus inflictam, nec ex hiſtoria lapſus probari poſſe שניענש אדם הראשון בנגד חטאו ענש נפשי שתרד נפשו לגיהנ והשב שם תמיד ומה שהביאו ראיה יעל זה ממה שאמר הכתוב כי ביום אכלך ממנו מות תמות מ מפאת הכפל אינו ראיה כי הנה נתן אמר לדוד הבן הילוד לך מות ימות ואין ס ספק כי לא ענש הילד לגיהנם. *Adamum animæ pœnam propter peccatum ſuum ſuſtinuiſſe, & animā ipſius in infernum deſcendiſſe, ibique jugiter conſediſſe; & rationem, quæ petitur à duplicatione iſta* moriendo morieris, *quaſi duplex mors ea contineatur, corporis & animæ, nullam eſſe, ſiquidem & Nathan dixit Davidi de puero ſuo è Batſeba ſuſcepto, moriendo morietur, quod tamen de deſcenſu animæ in infernum minimè intelligitur. Reſp.* Adami animam in infernum deſcendiſſe & ibi jugiter conſediſſe, petit hoc à limbo pontificiorum ut ſic ſtatum quæſtionis corrumpat homo nequam. Non quæritur, an Adami anima deſcenderit in infernum? non quæritur, an in maledictione homini pronunciata, animæ mors comprehenſa ſit? non quęritur etiam an hebraiſmus iſte, *morte morieris*, utramque mortis ſpeciem apodicticè contineat? nemo eſt ex theologis Chriſtianis tā linguæ S. ignarus qui nudo hebraiſmo iſtam vim adſcribat. Omnes quidem mortis ſpecies iſta cōminatione intendi ſtatuimus, ſic enim triſtiſſimus evētus & peccati effectus

docuit, comprehendi autem vi ſolius hebraiſmi ſeu duplicationis vocis מות nemo eſt qui dicat. Poſito autem, Chriſtianos ex ſolo hebraiſmo pœnę graviratem,& vi duplicationis utramq;mortis ſpeciem ex iſta comminatione colligere, an abſurdiores eſſent talmudicis? quorum authoritatem citat *Nachmanides*, qui tres *exciſionis*,quā multis in locis Deus comminatur,ſpecies conſtituens, aliam, ait, ſolius eſſe corporis,aliam ſolius animæ, aliam eſſe corporis & animæ ſimul, & hanc ultimam, quæ graviſſima, duplicatione verbi & hebraiſmo portēdi, ubi dicitur הכרת יכרת *Excidendo excidetur*, utpote quem ſapientes hoc modo expoſuerint הכרת בעולם הזה תכרת לעולם הבא *Excidendo in ſeculo præſenti, excidetur in ſeculo futuro.* An abſurdiores eſſent *Menaſſe BenIſrael*, qui libro nuper ab ipſo de anima hebraicè edito. *pag* 11. verba *Deut.* 4. 9. השמר לך ושמור נפשך *cuſtoditor tibi* (i. e. cave tibi) *& cuſtodi animam tuam*, ubi verbum cuſtodiendi bis extat, hoc modo exponit השמר לך שלא תינגש גופך בעולם הזה ושמור את נפשך שלא תכרת בעולם הבא *Cave tibi, ne corpus tuum puniatur in ſeculo præſenti, & cuſtodi animam tuam ne excidatur in ſeculo futuro.* Vide quam iniqui & moroſi ſint iſti diſputatores qui in Chriſtianis (& per calumniam quidem) carpunt quod in ſuis improbare non audent. Sed non perinde ineptiunt Chriſtani, quam חכמי המחקר *Phyſici* apud judæos (de quibus *R. Bechai ſect. bereſchit.*)qui ex principiis naturalibis demōſtrare ſatagentes, Adamum licet non peccaſſet, morti tamē naturali (quod rabbini theologi negant) futurum obnoxium, verba cōminationis non de morte *naturali*, ſed *accidentali* tantum intelligunt, quaſi dixiſſet Deus,ſi comederitis ex iſta arbore, moriemini morte accidentali, quæ per vim ante tempus infertur,cum alioqui vitam uſque ad naturæ defectum protracturi ſitis. Et quo magis eſſent ridiculi, ex duplicatione מות תמות duplicem mortem accidentalem col-

colligunt, aliam quæ infertur plagis cœlitus immissis, ut morbi &c. aliam quæ accersitur manu, adducuntque locum. 1. Sam. 26. 10. *Deus plaga afficiet eum, aut dies ejus veniet, aut in bellum descendet ut moriatur*, ubi præter naturalem, duæ mortis accidentalis species exstant. Sed ad rem. Hic igitur verus quæstionis status est, annon Adam per peccatum, non corporis tantùm mortem (neminem enim judæorum, hominis immortalitatem sinon peccasset cū Socinianis negare, sed omnes eam sinon naturali saltem supernaturali dono, seu ex virtute arbori vitæ inhærente, adstruere video, quam doctrinam R. Bechai vocat עקר *fundamentalem*, siquidem à talmudicorum traditione profectam) sed & animæ æternam pœnam incurrerit, & si ei inflicta non fuit (hoc enim non quæritur) saltem eam meruerit & fuerit obnoxius? Hoc sanè nemo ex judæis negare ausus est, quicunque animarum immortalitatem, gravitatem maledictionis & creationem inferni, locum animarum pœnæ destinatum agnoscunt, vid. *Men. Ben Israel. de creat.* cap. 19. Vel si quis neget, rationem dicat quare multa alia Dei præcepta sub comminatione pœnæ proposita, de animarum in inferno pœnâ potius exponenda sint, quam comminatio facta Adamo, imprimis comminatio *excisionis* sæpius repetita in sacris, quam *Men. Ben Israel* citato loco *de animâ*. perpetuò de pœnâ animę in inferno vult intelligi, (quo jure, nunc non inquiro) & inter alia allegat locum ubi prohibetur fermentum *Exod.* 12. 19. *Septem dies ne reperitor fermentum in domibus vestris, nam quisquis comederit fermentatum, utique excindetur illa ipsa anima ex congregatione Israelis.* Dicat ergo nobis, quod peccatum gravius sit, comedere pomum prohibitum Adamo, an comedere fermentum prohibitum cuivis Israelitæ? Annon fatebitur nobiscum, gravius peccasse Adamum quo-

vis Iſraelita comedente fermentum? præterquam enim quod comeſtio fermenti ſeptē duntaxat anni diebus eſſet prohibita, fructus autem arboris vetitę in perpetuum, etiā Adam majoribus non peccandi viribus præditus erat quàm ullus ex ipſius poſteris. Inæqualis ergo fuiſset juſtitia, minimè tribuenda Deo, ſi pœnam duntaxat corporalem pronunciaſset Adamo comedenti pomum, pœnam verò animæ in inferno comedenti fermentum. Rectè autem obſervavit R. *Ioſeph Albo*, peccatis contra eſſentiam infinitam commiſſis infinitam deberi pœnam. Vid. ſup. p. 17. Et ſanè nullum tam juſtum eſſe quin aliquod peccatum commiſerit, liquet ex hiſtoria illa *R. Iochanan fil. Zachar.* qui licet piiſſimus & ſapientiſſimus, ab iſta tamen pœna ſibi metuebat, vid. *de creat*: *Ibid.* Imo quia Adamo pœnitentiam adſcribunt Rabbini, nullum alium iſtius pœnitentiæ fructum fingere poſsunt, quam liberationem à pœnâ animæ, cui per conſequens erat obnoxius, ſiquidem mortem corporis, aliaq; vitæ incommoda pœnitentiâ ſua nō evaſit. Non itaq; diſputare debebat Abarbenel an anima Adami deſcenderit in infernum (non enim deſcendiſſe ipſi aſſentimur) ſed annon deſcendere meruerit, itē de mediis quibus à reatu cui obnoxius erat, animam ſuam liberavit, & pœnam prævenit, utrum ſcil. ſolâ pœnitentiâ, an verò etiam fiduciâ ſuâ in ſatisfactionem Meſſiæ, quam prædicat Eſaias, id fecerit? Atque ita argumentum à non neceſsario hoc modo procedere debuiſset: Quod peccatum animæ pœnam non commeruit, vel quod per ſolam pœnitentiam fuit expiatum, illud alterius ſatisfactione non indigebat, atqui tale erat peccatum Adami &c. Hunc autem elenchum ignorare voluit, ut à ſubſtituta calumnia diſputationis initium faceret, & egregia aliquâ veritatis ſpecie dimidium facti haberet.

Seruā-

Secundum argumentum accersitur à *translatione peccati Adami*. Posito, Adami animam propter peccatum suum in infernum descendisse, quid hoc ad posteros ipsius attinet? מה עשו לש תחייבו גיהנם כי הם לא חטאו ונפש הבן לא תשא עון ה.ב כי ה הנה האדם בגופו הוא בן אביו אבל נפשו לא הולידתה ואם נפש אדם הרשיעה ליעשות נפש אברהם דבקה באלקים ועשתה בהפך ממעשה אדם איך המשפט האלהי יעניש שתיהן יחיד והיה כצדק כדשע בהיות כל אחת מהן במולדתה נקיה ושחורה מכל הלאה *Quid fecerunt quo infernalis pœnæ rei essent? siquidem ipsi non peccarunt, nec anima filii portabit iniquitatem patris sui, nam ecce homo ratione corporis sui duntaxat patris sui filius est, anima autem ab ipso generata non est, quod itaque anima Adami improbè egit, è contra verò anima Abrahami Deo adhæsit, & non fecit sicut Adam, an justitia Dei puniet utramque pariter, eritque ipsi justus & improbus perinde? siquidem utraque cum generaretur innocens erat, & munda ab omni spuma.* Argumentum tale est. Quod peccatum nec naturaliter nec imputativè transit in posteros, id alterius satisfactione in posteris non indiget. At peccatum Adami &c. Minorem probat 1. à natura & origine animæ quoad corruptionem à peccato Adami ortam. 2. A dicto Ezechielis, quoad ejus imputationem. *Resp.* I. Peccatur fallaciâ *à dicto secundum quid*, vel est *ignoratio elenchi* ut supra, non enim quæritur de solo peccato Adami ejusque effectis, sed de peccato in genere, quamvis enim concedamus (quod absit) peccatum Adami nec derivatione physica quoad corruptionem nec per imputationem transiisse ad posteros, an inde sequitur posteros non fuisse peccatores? Statuit autem *Menasse Ben Israel. lib de fragil. cap.* 9. multis rationibus & exemplis adductis, etiam illos, de quorum perfectione loquitur scriptura, fuisse peccatores. Et *cap.* 1. statuit cum *R. Ios. Iahia*, esse מכת תעמע *ex classe contradictoria*, hominem esse & nihilominus innocentem & sine peccato. Et *cap.* 30. dicit

communem opinionem esse, vel ut homo careat peccato (quod jam dixit impossibile esse) vel ut propter peccatum (si pœnitentiam non egerit) puniatur in altera vita. Impudens ergo est Abarbenel, ubi rogat, quid fecerint posteri Adami quo inferni pœnam commeruerint? Quamdiu itaque hoc principium manet, omnes homines actualiter peccatores esse, & per consequens animæ pœnæ obnoxios, manet etiam quæstio, an quis sola pœnitentiâ & sacrificiis pecudum se à peccatis quæ ipse commisit, (nullo habito respectu ad peccatum hominis primi) & ab æternæ mortis reatu liberare possit? Cujus affirmativam probare debebat Abarbenel. *Resp.* II. *ad minorem.* Et quidem primò ad *Membrum primum*, quo negatur *derivatio* peccati Adami ratione *corruptionis*, quæ *peccatum originale inhærens* dicitur. Rationes quibus Christiani peccatum originis adstruunt, quæ multæ sunt & variæ, in medium adferre supersedeo. Sufficiat nunc judæos cum judæis committere. Apertis enim verbis docet *Menasse Ben Israel de fragil. Cap.* 4. *&c.* humanam naturam per peccatum Adami *proclivem* evasisse ad peccandum, indeque usque adeò *debilem* & *languidum* hominis statum redditum esse, ut naturaliter peccatum evitare non possit, aut appetitus semper vinci. Sufficit agnoscere, per peccatum Adami proclivitatem ad omne vitium in humanam naturam esse introductam, nam hæc est illa ipsa *Originalis corruptio* à primo homine orta de qua loquimur. Nec jam disputo de corruptionis istius gradu & viribus liberi arbitrii, hoc enim præsens subjectum non spectat, siquidem vires arbitrii qualescunque ille fingantur esse in statu peccati, tollere non possunt proclivitatem istam ad peccandum, à peccato Adami contractam, cui nec ipse, utpote originali justitia præditus, nec posteri ipsius, utpo-

te ju-

re justitiæ istius hæredes, obnoxii fuissent si non peccasset. Quapropter recte considerat Menasse Ben Isr. Adamum ut caput & principium humanæ naturæ qui id quod perdidit, non sibi soli sed & posteris suis perdidit. Imò, siquidem posteri ejus sunt hæredes pœnarum corporalium (quod agnoscunt judæi) quas peccato suo incurrit, quare non essent perinde hæredes corruptionis, quæ ipsius naturam ilicò post peccatum primum est ingressa? *Ratio*, quam in contrarium affert Abarbenel, ab animæ origine petita, nihil ad rem facit: Præsupponit commune Iudæorum dogma, animas longo ante infusionem tempore à Deo creatas esse, quod negamus, statuimus enim eas eod. momento & creari & infundi. Sed sit ita, eas jam dudum apud Deum antequam infunderentur creatas exstitisse, puras etiam & mundas infundi ultrò damus, tales autem infundi qualis fuit anima Adami, i. e. originali justitia, quæ ipsi naturalis. præditas, negamus, quod enim Adamus amisit, id posteris ejus ex justo Dei judicio non restituitur, siquidem non sibi soli sed & ipsis amisit, quod experientia docet, apparet enim in homine à teneris unguiculis, antequam actualiter peccet, ad malum proclivitas, quæ privationis justitiæ originalis indicium est, quandoquidem in ipsius locum successit, unde fit ut anima partim quod adminiculo isto, quo natura Adami fulta erat, privata sit, partim quod corpori ab impuris parētibus progenito infundatur, mediante ista cōjunctione, naturam constituat corruptam. Et si aperte fateremur, nos modum istius corruptionis ignorare, an ideo S. scripturę veritas in dubium vocanda? quæ eam luculenter adstruit, ut inter alia Psal. 51. 7. *In iniquitate formatus sum & in peccato fovit me mater mea*, ubi *Aben Esra* exponit כי ה תאוה נטועה בלב האדם כאלו בעון חולל *Concupiscentiam cordi hominis infixam esse ac si in iniquitate formatus esset.* Et sensum

ejus

ejus esse dicit *Kimchi* כי בשעת הלידה היצר הרע נטוע *Quod quam-primum homo nascitur, concupiscentia mala cordi ejus modo inhæreat.* Ipse autem ejus rei rationem reddit באדם שורש ג גרעינה מרה שאילן והפרי כרים בטבע *Sicut qui seminat baccam amaram, illa amaritudo arbori & fructui redditur naturalis*, sic quoque hominem ab homine nasci docet. Alios etiam hinc colligere dicit, Evam non concepisse nisi post peccatum primum. Nugatur tamen ex sententia patris sui, Davidem sic locutum esse לסלק ולהקל מעל ו את העון *Vt à se citius removeret peccatum suum illud quasi extenuando.* Ac si dixisset: Condona mihi peccatum hoc כי כדרך זה העון ש שעשיתי נבראתי *nam secundum consuetudinem istius iniquitatis quam commisi, creatus sum.* Et hinc fingit, hominem qui adulterium committit non adeò graviter peccare, & facilius impetrare condonationem, quam qui furatur vel occidit: ratio, כי זה דרך טבעו וממנו הוא נוצר וזה אינו טבעו *Quia illud Peccatum ipsi naturalius est, siquidem secundum illud formatus est, hoc autem ipsi non est naturale.* v. d. Quia in carnali concupiscentia conceptus est, ideò etiam ad concupiscentiam malam natura ipsius pronior est, unde fit ut isti peccato minus possit resistere. Ista loci restrictio ad solam carnis concupiscentiam, cùm de quavis proclivitate in genere intelligendus sit, licet planè frivola sit, (aliter enim David resipiscens de peccato suo sentiebat, quam ut illud extenuare studeret, uti ex toto psalmi contextu liquet) luculenter tamen originalem corruptionem adstruit, quam talmudica traditio quoque docet *Cod. Sanh. fol.* 91. יצר הרע אימתי שולט באדם משעת יצירה אמר לו משעת יצירה *Concupiscentia mala, à quo tempore obtinet dominium in homine, an à tempore nativitatis, an verò à tempore formationis? Respondet Rabbi, à tempore formationis.* Cum ergo peccatum Adami derivetur in posteros quoad *corruptionem*, etiam derivari quoad *imputationem*, ratione

pœnæ

pœnæ neceſſarium eſt. Hoc in *ſecundo membro* negat Abarbenel, ſed fruſtrà, nam 1. in theſi, peccati parentum in liberis imputationem agnoſcere tenentur omnes judæi, ſiquidem in ſecundo decalogi præcepto apertè ſtatuitur, & variis ſcripturæ exemplis comprobata eſt, ut in Amalekitis &c. 2. In hypotheſi, concedere tenentur peccatum Adami imputari omnibus poſteris ſaltem quoad pœnas corporales. Liquidò hoc conſtat ex verbis *Chald. Paraphr.* in *Eccleſ.* 7. 29. Ubi de Adamo & Eva dicit, גרמו לאסתקפא עלוהי ולכל דיירי ארעא מותא *Accerſiverunt mortem ſibi & omnibus terræ incolis.* Et ſanè, ſi infantes à corruptione originali, uti dicunt, ſunt immunes, quare moriuntur? Si Abraham uſque adeò juſtus fuit, ut eum fingit Abarbenel, quare mortuus eſt? annon ex imputatione peccati primi? ſiquidem alias iſtius pœnæ cauſas tollunt. 3. Negare non poſſunt imputationem peccati Adami etiam quoad pœnam ſpiritualem quâ anima percutitur, quæ in juſtitiæ originalis, & feliciſſimæ hominis cum Deo converſationis privatione conſiſtit, cuï omnes Adami poſteri ſunt obnoxii. Inepti autem ſunt qui excipiunt, iſta omnia nunc non *pœnæ* ſed *naturalis propagationis* tantùm rationem habere, & ſicut leproſus generat leproſum, ſic hominem mortalem generare hominem mortalem & corruptum, nam à corruptionis naturalis poſitione ad negationem imputationis non valet conſequentia, utraque enim in cauſa peccati originalis eſt conjungenda, & comparatio iſta nihil ad rem facit, ſiquidem alia eſt corruptio *phyſica* alia *moralis*, neque ſequitur, ſi illa ſe habet merè naturaliter, ergo & hæc. Et ſanè res per ſe manifeſta eſt, quod enim rationen habet pœnæ in Adamo, id etiam rationem pœnæ habet in ipſius poſteris, mortem autem corporalem & juſtitiæ originalis privationem habere rationem pœnæ in Adamo, fatentur

judæi, quia ſtatuunt, Adamum, ſi non peccaſſet, iſta animæ & corporis beneficia fuiſſe conſervaturum, & in poſteros propagaturum. Iſtis itaque beneficiis amiſſis, eorum loco propagavit pœnam quam peccato ſuo incurrit, & hæc pœna nititur ejuſdem peccati imputatione, quam ſi tollas, nulla jam amplius ratio eſt, quare poſteri Adami iiſdem incommodis ſunt obnoxii; nam ſi peccatum Adami non imputatur poſteris, quare juſtitia originalis & corporum immortalitas ipſis non reſtituitur? ut iſta beneficia conſervent qui voluerint (ſicut Adam ea conſervare potuiſſet) vel amittant, qui ad imitationem Adami, peccato ſe inquinaverint. Hæc cum ita ſe habeant, non eſt neceſſe ut diſputemus, an Adami peccatum etiam imputetur poſteris quoad animæ pœnam poſt mortem, iſta enim privationem juſtitiæ originalis (quam per conjunctionē animæ cū corpore excipit corruptio & ad peccandum proclivitas) ſequitur, ſicut umbra ſequitur corpus & eodem torrente quo vehitur prora, rapitur & puppis, omnis enim anima originali juſtitia privata, quamdiu eâ remanet privata, beato Dei conſpectu privatur, coram quo nihil, quod immundiciem ſive originaliter ſive actualiter contraxit, ſubſiſtere poteſt. Imo ipſa imputationis ratio hoc requirit, quæ in eo conſiſtit, ut uterque & qui peccavit & cui peccatum imputatur, eodem loco habeatur; quia ergo Adam pœnam animę quod reatum incurrit (quod ſupra probatum) ſequitur ut ipſius poſteri vi imputationis eidem conditioni ſint obnoxii. Quapropter qui hoc cum juſtitia Dei pugnare contendit, prius ipſam imputationem cum eâ pugnare dicat neceſſe eſt, hâc enim conceſſâ concedendum etiam eſt quicquid ab ea dependet. Ad Locum, quem Abarbenel obiicit, ex *Ezech.* 18.20. *Filius non portabit iniquitatem patris. Reſp.* Illum non pugnare cum doctrina de imputatione peccati

cati primi, quin prius eam evertat in thesi, proindeque non minus contra judæos, qui eam agnoscunt, faceret, quam contra nos. Et sic non magis nobis, quam Iudæis labor iste incumbit, ut locus Ezech. concilietur cum comminatione facta ad 2^dum^ præceptum : *Visitabo peccata parentum in liberis* &c. *Triplex* autem conciliationis *modus* hic affertur. Singuli examinandi sunt, ut videamus an aliquid in hoc loco sit, quod nostræ hypothesi officiat. *Primus* est nonnullorum qui dicunt, loqui Ezechielem de judice civili duntaxat, quasi dicat Deus : peccata patrum visitare in filiis non est vestrum, sed meum, vos enim constitui ut cuique jus administretis secundum delicta propria non aliena, jus autem peccata patrum imputandi filiis egomet mihi soli reservo. Hic conciliandi modus doctrinam nostram ex dicto Ezechielis non evertit, sed adstruit potius. Sed locum non invenit, non enim docet ibi propheta quid judex civilis facere debeat, sed quid ipse Deus facturus sit. *Secundus* est Rabbinorum *Vid. Menas: concil. quæst.* 33. qui utrumque locum hâc restrictione limitant, ut utrobique filiorum in peccata parentum actualis successio præsupponatur. q. d. *Visitabo peccata patrum in filiis*, iis nempe filiis qui patrum peccatorum vestigiis incedunt. *Filius non portabit iniquitatem patris*, si nempe filius à patris iniquitate sibi caverit, & sanctitati vitæ, justitiæque operibus dederit operam Sed neque hic modus doctrinæ huic obstat. Vel enim dicendum est, filium, si patris peccatoris vestigiis incesserit, puniri tum propter peccata propria & non patris, vel dicendum, ipsum puniri propter peccata propria & patris simul. Si prius, nulla est conciliatio, & nullatenus satisfit comminationi ad præceptum secundum, ubi expressis verbis docetur visitatio peccati parentum in liberis, i. e. liberos non propter propria tantum, sed & parentum

peccata puniri. Si posterius, doctrina nostra non tollitur sed adstruitur. Non tamen dissimulandum est,si imputationi peccati parentum in filiis non datur locus, nisi ubi filius in peccatum patris actualiter succesſerit,hoc modo lædi doctrinam de imputatione peccati primi, nec infantibus dum tales sunt, imputari peccatum Adami donec actu peccaverint, cum tamen per se constet, ad istam imputationem sufficere successionem in *naturam*,nec requiri successionem in *peccatum actuale* ex istâ naturâ emanans. Sed *primò* ab ista solicitudine nos liberat Abarbenel *comment. in Ezech.* 18.20. Facta promissione v. 19. patres ob scelera sua pœnas daturos nec illas redundaturas in filios, objicit populus : *Nonne fert filius etiam iniquitatem patris?* Sic enim in lege didicerant, Deum visitaturum peccata parentum in liberis, quapropter vanam judicabant istam promissionem, utpote factam contra consuetum Dei judicium. Respondet propheta : *Quum filius jus & justitiam exercet* &c. *Omninò vivet*, i. e. peccatis patris sui non implicabitur. Hæc ita concipit Abarbenel, quasi populus in facta promissione de non imputando liberis peccato patrum (iis nempè liberis qui jam grandes justitiæ operibus dant operam) acquiescens, scrupulum moverit מעגין הבנים הקטנים שאין כפק שימותו בעון אביה' כמו שיחיו ו ויגדלו בזכותם כי אין לקטנים זכיות ולא עונות לשנאמר שעליה' יחיו ויגליה' ימותו. *De infantibus, de quibus nullum est dubium, illos mori propter peccata parentum suorum, quemadmodum propter eorum meritum vivunt & crescunt. Siquidem parvulis illis nulla sunt propria merita propter quæ vivant, nec propria peccata propter quæ moriantur.* Ad hanc de infantibus objectionem respondet populo propheta juxta mentem Abarbenelis אמת אמרתם בבנים הקטנים שמתים בעון אביה' אבל הבן הגדול שחוא מעצמו מ משפט וצדקה עשה את כל חקותי שמר הרי זה בבר יצא מכלל בן והוא שלם ו ולכן יחיה כי כמו שהבנים הקטנים ניזוקין בעון אביה' וייטב להם בזכותם ב

כבת

בכה הגדולי' אם הם רשעים לא תועלם זכות אבותיו ואם הם צדיקים אל יזיק עונות אבותיה' *Verè dicitis de parvulis, illos mori propter peccata patrũ suorum, sed filius jam grandior, qui sponte justitiam exercet & statuta Dei custodit, non amplius pro filio (paternæ iniquitatis hærede) habetur, siquidem integer est, & ideo vivendo vivet. Nam sicut parvulis damnum infertur ex iniquitatibus parentum, & bene est ipsis ex eorum meritis, sic grandioribus, si improbi fuerint, non proderit meritum patrum suorum, si justi, non nocebit eorum iniquitas.* Ex inepta hâc glossa hoc collegisse sufficiat; Si infantibus, licet actualiter non peccaverint, paterna tamen imputatur iniquitas, à loco Ezechielis non esse alienum, si quis idem doceat in hypothesi, de imputatione peccati primi. *Deinde* apertè statuimus istum conciliationis modum, nimirum, imputationem peccati alieni, non habere locum, nisi sub conditione imitationis licet multi Christiani Doctores ei subscribant, non esse legitimũ. 1. Quia comminationi ad 2^dum^ præc. decal. non satisfacit, si enim sensus esset Deum visitaturum peccata patrũ in filiis qui peccata patrum imitãtur, alias non, imputaturum periit vis comminationis, quæ pavorem incutere voluit parentibus, ut diligentius sibi caverent ab idololatriâ, quare? quia peccatum istud non tantum in ipsis sed & in liberis visitandum erat, si verò conditio ista subintelligenda est, si liberi etiam fuerint idololatræ, non erat necessarium istam comminationem addere, neq; pavor inde major efficiebatur, anteà enim satis noverant parentes, si liberi sui idololatræ exstiterint, peccatum istud in ipsis esse puniendum, innuit ergo comminatio, idololatriæ pœnam, non soli subjecto cui hoc peccatum actualiter inest, sed & semini ejus fataliter adhæsuram. Nec quicquam valet confirmatio quæ pro conditione ista affertur ex verbis comminationi annexis, *eorum qui oderunt me*, quasi dixerit, eorum libero-

rum qui oderunt me,ut ſic prius ſint oſoresDei ad imitationē parētum,antequam peccatum idololatriæ ipſis imputetur; iſtud enim *qui oderunt me* ad parentes ſpectat non ad liberos, quod ex comminarionis extenſione conſtat quæ tantum ad tertiam aut quartam progeniem protrahitur, quod omninò abſurdum foret, ſi per Dei oſores intelligantur liberi, ſic enim comminatio non in tertiam tantum ſed in omnes progenies extendenda fuiſſet. 2. Contrarium liquet ex exemplo Davidis,cujus peccatum, quod populum numerari juſſiſſet, toti multitudini fuit imputatum, ſiquidem 70. millia ea de cauſa ceciderunt, qui tamen omnes ab iſto peccato plane erant immunes, ſicut ipſe David agnoſcit: *Ecce ego peccavi, & ego iniquè egi, iſti autem ſunt oves, quid fecerunt?* 2. Sam. 24. 17. Nec objici hic poteſt,omnes tamen fuiſse peccatores,hoc enim non latebat Davidem, qui eos declarat innocentes, non quod non eſſent peccatores, ſed quod crimen propter quod occidebantur, non commiſiſsent. 3. Iſta conditione perit ſenſus phraſeos, *viſitare peccata parentum in liberis*. Si enim liberi prius conſtituendi ſunt imitatores parentum antequam fiat iſta viſitatio, ſequitur jam non viſitari peccata parentum in liberis, ſed liberorum in liberis. Verùm in ejuſmodi viſitationibus non reſpicit Deus peccatum liberorum, uti conſtat exemplo Amaleeitarum. 1. Sam. 15. in quibus Deus ſe viſitaturum dicit peccatum non proprium, ſed illud quod majores eorum commiſerant contra Iſraelem in deſerto. Quapropter concludimus, imputationem illam non eſſe limitandam conditione aliquâ quâ Deus non tenetur, & ad quam in peccati imputatione non reſpicit. Nec dicendum, imputationem præſupponere imitationem, cum contrarium potius verum ſit, imitationem ſcil. præſupponere imputationem, quando enim videmus liberos pravos parentum

tum mores imitari, indicium est, maledictionem parentum incumbere liberis, nam eo ipso quo imitantur, imputatur ipsis peccatum parentum, quos, si ead. pœna ipsis destinata non esset, non sequerentur. Et hæc sunt secreta Dei judicia. Non dicendum etiam, Deum hoc nomine postulari posse injustitiæ, sufficit enim probasse secundum scripturam, conditionem imitationis non posse subsistere cum natura imputationis; quod autem scriptura Deo tribuit, illud necessariò justum est. Deinde notandum, licet imputatio non fundetur in imitatione, eam tamen non carere fundamento, quod est *dependentia*, seu *vinculum connexionis*, quod copulat eum cui imputatur peccatum, cum eo qui illud commisit, illudque est vel *voluntarium*, quale inter reum & fidejussorem, vel *politicum*, quale inter regem & populum, vel *naturale*, quale inter patrem & filium. Hinc jam facile liquet, sicut imitationis conditio non invenit locum in comminatione divinâ, sic non-imitationis conditionem non invenire locum in promissione factâ apud Ezechielem, contraria enim contrariorum sunt consequentia. Quapropter præstaret, ut orthodoxi ab ista conciliationis via abstinerent. Et sanè, si in eum finem est inventa, ut justitiæ Dei, ne dicatur innocentes punire, aliquatenus consulatur, omninò inepta est, & favet causæ Socinianorum, qui ex isto principio negant Satisfactionem Christi, quod Deus innocentem non puniat pro nocente. vid. infra. *Tertius* itaque & solidior conciliandi modus hic est, ut distinctio fiat inter diversas judiciorum divinorum œconomias. Alia est œconomia *fœderis legalis*, alia œconomia *fœderis gratiæ*, quâ distinctione etiam rabbini uti consueverunt, qui illam vocant שורת הדין, hanc שורת החסד, simodò illam rectè applicare didicissent. Quando Deus agit secundum rigorem fœderis legalis, visitat peccata patrum in filiis,

ve-

verùm in fœdere gratiæ ſic adminiſtrantur omnia ut parentum delicta non imputentur filiis, ſed quiſque proprii peccati reatu tantummodo ſe obſtrictum ſentiat. De poſteriori fœdere pronunciat Deus apud Ezech. idque vel imprimis quia judæi conquerebantur, ſe portare iniquitates patrum ſuorum, iſto dicto; *Patres noſtri ederunt omphacem, & dentes noſtri obſtupuerunt*, ac ſi ob ſolum parentum culpam punirentur, ipſi verò nullam haberent, duo ipſis oſtendere voluit Deus, primum, ſe jam non punire eos propter parentum ſed propter propria delicta, ſecundum, ſi reſipuerint, ſe in poſterum ſecundum œconomiam fœderis gratiæ cum ipſis acturum, i. e. reatum à patrum delictis ipſis incumbentem ablaturum, quemque ob propria duntaxat peccata puniturum, imò ſi ad thronum gratiæ confugerint, ea condonaturum. Et quod non minus hic notandum, eſt, quod comminatio viſitationis peccati patrum in liberis, non tantum intelligatur de reali inflictione pœnæ, ſed & negatione gratiæ, quâ in liberis per imputationem continuatâ, neceſſariò parentum peccata imitantur, & ſic iiſdem cum animæ tum corporis pœnis implicantur. Promittit itaque in euangelica promiſſione gratiæ apud Ezech. ſe non amplius imputaturum liberis culpam patrum, quoad gratiæ negationem ſed eam liberaliter conceſsurum, ut, ſi fortè iiſdem pœnis corporalibus & temporalibus propter delicta parentum involvantur (hæc enim imputationis ſpecies ob connexionis & cohabitationis vinculum ſæpe non tollitur) ab animæ tamen pœnis ſint immunes. Hoc modo uterque locus non tantum optimè conciliatur, verùm etiam nihil poſteriori ineſse videmus, quod doctrinæ de imputatione peccati alieni adverſetur. Neque magis ei metuendum à dicto *Gen.* 18. 23. &c. *An perimes juſtum cum injuſto* &c. Siquidem in poſteris Adami nemo eſt qui ju-

ſtus

ſtus ſit coram Deo,& ſupra Menaſſe Ben Iſrael confeſſus eſt, etiam illos peccatores eſse qui juſti vocantur in ſcriptura, utpote ſic tantum dicti, quod juſtitiæ operibus quantum per carnis infirmitatem licet,dant operam Hos autem eidem temporali exitio unà cum impiis ſæpe involvi, liquet ex dicto *Ezech.* 21.8. *Exſcindam ex te juſtum & improbum.* Non itaque exiſtimandum, Abrahamum regulam divinæ juſtitiæ de non perdendo juſto cum injuſto voluiſse præſcribere, quam non patitur, uti ex jam dicto loco conſtat, ſed tantum interceſſionem & deprecationem inſtituiſse, *abſit ut perdas.* i. e. ne quæſo perdas, à rigore ſummi tui juris hac vice remitte. Sic ſanè exponenda ſunt verba Abrahami,qui cum Deo committendus non eſt, quaſi injuſtitiæ ipſum inſimulaturus, ſi aliter fecerit, aliter enim ſæpe feciſſe conſtat. Et mero charitatis judicio hoc tribuendum, quæ Dei juſtitiæ non præſcribit, quid ut juſtus judex facere debeat, ſed oſtendit tantum quid ut miſericors pater facere poſſit. Quapropter peccati alieni imputatio tot teſtimoniis comprobata non ideo neganda, licet fortè aliquid in eâ ſit, quod tum temporis Abrahami ſecundùm præſcriptam ſibi charitatis regulam judicantis ſenſum ſuperaverit.

Tertium argumentum eſt ab *abſurdo quoad ſatisfactionem abſolutè* שאף שנודה שהיה זה העונש נפשיי ושנמשך לזרע אדם הנה ברצות השם יתי לכפר ולסלוח הקצור קצרה ידו כפי כחו הב"בת מהושיע עד שנאבר ש שהוצרך להתלכש בשר ולקבל יסורין על עצמו *Conceßo, pœnam hanc animam concernere, & in poſteros derivari, tamen cum in animo habebat Deus placari & condonare, an ullo modo manus ipſius cujus potentia infinita eſt brevior facta eſt quam ut redimat?* (ex Eſai. 50.2.) *adeò ut propterea neceſſe habuerit carne veſtiri & ſibi ipſi caſtigationes imponere.* Quàm argutè iſta proponit, doctrinam, quam oppugnat, neceſſariò abſurdiſſimam eſse, ex ſolis illis verbis colligeres. Argumen-

mentum in formâ tale foret: Quo medio Deus carere poteſt ad noſtram ſecum reconciliationem perficiendam, & peccata noſtra condonanda, ejus neceſſitatem non eſt noſtrum fingere. At medio ſatisfactionis (multo magis alienæ nedum propriæ) Deus carere poteſt ad noſtram reconciliationem. E. Minor probatur, quia potentia Dei infinita eſt, & videretur manus Dei brevior facta ad redimendum, ſi iſto medio carere non poſſet. *Reſp. Neg. conſeq.* Non quæritur an Deus iſto medio carere poſſit, ſed an carere velit. Et hinc patet reſtrictio minoris: Abſolutam in Deo potentiam eſſe, verum eſt; talis autem potentia quæ cum ipſius naturâ & veritate pugnat, qualis hic ipſi adſcribitur, in ipſo non eſt, ſiquidem propriè non eſt potentia, ſed καθ᾽χρῆσιν tantum ita vocatur, & econtra maximę impotentiæ ſignum eſt. Poſſe ſervare abſque ſatisfactione pugnat cum ipſius naturâ, quia pugnat cum ipſius juſtitia. Servare abſque ſatisfactione, pugnat cum ipſius veritate, quia pugnat cum ipſius voluntate revelatâ; & quia mentiri pugnat cum Dei naturâ, iterum ab actu ad poſſe agere commoda ducitur conſequentia. i. e. quia ſic ſe non acturum eloquutus eſt, etiam ſequitur, ordine iſto ſecundum Divinæ naturæ legem jam conſtituto & hominibus revelato, ipſum ſic agere, ratione antecedentis non poſſe, quia non poteſt ſalva ſua veritate & immutabilitate. Et ſanè ex innumeris ſacrificiis ſibi in lege injunctis hoc diſcere debebant. Unde ineptè alluditur ad locum Eſai. Non enim ideo manus Dei brevior ad liberandum facta eſt, quod non poſſit agere id quod cum ipſius natura pugnat, & quod ideo ſe non acturum eloquutus eſt. Imo ipſum ſatisfactionis myſterium argumento eſt, manum ejus ad liberandum fuiſſe potentiſſimam. Magno molimine argumentum hoc interpolarunt judæorum ſocii *Sociniſtæ*,

peccati

peccati remissionem absq; satisfactione, cum Dei justitiâ pugnare negantes. Et in eum finem contendunt, Deum hic non considerandum esse ut *legislatorem* vel *judicem* sed ut *partem offensam* & *creditorem pœnæ*, qui de suo jure remittere possit quantum velit. Et quia regeritur, Deum omninò considerandum hic esse, non ut partem offensam (licet & hoc reverâ sit) sed ut judicem, cùm agatur de pœnę inflictione seu remissione, quod judicis & legislatoris est quâ talis, & non quâ pars offensa; respondent, cùm Deus sit judex non subalternus & alienæ legis custos, sed supremus & absolutus & simul etiam pars offensa liberrima & nullius potestati subjecta, ipsum etiam de proprio suo jure posse disponere & de eo, quantum libet, remittere, & hoc ipsum agere ut partem offensam. Multis id exequitur verbosus *Crellius* contra *Grot. Cap.* 2. non tam argumentis quam inanium verborum plaustris obruens lectorem, qui, si secundum artem disputare ausus esset, citius causâ cecidisset, & veritati manus dare coactus fuisset. Argumentum nostrum tale est. Qui partes agit judicis, is de jure suo absque justitiæ violatione remittere non potest, atqui Deus partes agit judicis. E. Respondet ad majorem, eam negando de judice supremo, qualis est Deus, qui de suo jure agens non alieno, de eo remittere potest quantum vult. Dicimus, non quæri an possit remittere, sed an hoc facere possit absque legis suæ violatione. Certum est, supremum aliquem legislatorem inter homines, ubi ad clementiam pronior fuerit, de jure suo impune posse remittere, sed dum remittit, violat legem suam; Deum autem propriam suam legem violare absque blasphemia dici non potest, non enim homo est ut muret aut mutetur. Hoc animadvertentes homines versuti, aggrediuntur minorem, clamitantque, Deum partes non agere judicis, sed partis offensæ, potest autem

pars offensâ de jure suo remittere & condonare quantum vult, non enim illa fert legem nec custodit legem, quod facit judex, sed de injuria sibi illatâ disponit pro lubitu suo, vel à judice petendo vindictam, vel eam remittendo absque legis violatione. Hoc jam ut probent, abyssum argutiarum suarum exhauriunt, sed frustra tam subtiles sunt & inanem locant operam, quoscunq; enim quærant circuitus tamen ad eundem iterum lapidem impingendum est, nimirum, Deum, quocunque modo ipsum consideres, de jure suo absque legis suæ violatione remittere non posse, nunquam enim ita considerari potest ut pars offensa, quin etiam simul sit judex & divinæ *suæ legis* supremus custos, quæ duo cùm in humanâ natura sint separabilia, in istam separationem (vel separabilitatem ut ita loquar) stolidi homines aciem mentis suæ unicè defigunt, & hinc putant, se Deo injuriam non feciſſe, si ut partem offensam & non ut judicem ipsum consideraverint, quasi verò qui judex est & pars offensa simul & inseparabiliter, ipsissimo illo actu, quo de jure suo remisit ut pars offensa, etiam legem suam non violaverit ut judex. Et sic operosa illa & vanissima verborum, argutiarum, distinctionum & contradistinctionum moles subversa jacet. Lex autem Dei hæc est, *Quo die comederis, morte morieris.* Ab hâc pœna peccator liberari non potest, quam vel per satisfactionem sufficientem, vel per omnimodam legis infractionem absque satisfactione. Qui prius negat, ei posterius probandum incumbit, & ostendendum divinæ legis abrogationem cum Dei justitia non pugnare. Neque hic dicendum, sanctionem legalem, novâ sanctione Euangelica introducta, fuisse abrogatam, uti docet Crellius ad *cap.* 3. non enim respicit sanctio euangelica nisi credentes, nec in ipsis abrogatur legalis, nisi mediante fidei objecto, in quo justitiæ Dei quoad satisfactionem

ctionem. sit prospectum. Interim manet thesis hæc inconcussa: Legem pœnalem à Deo latam non posse salva Dei justitia abrogari absque satisfactione. Sed hæc obiter.

Quartum argumentum est *ab absurdo quoad satisfactionem alienam* והנה הנפש החוטאת היא תמות ותינצל לא שיהיה משורת הדין שמי שחטאו נגדו יקבל היונש ולא החוטא *Nam ecce anima quæ peccavit, morietur*, *Ezech.* 18.4. *& punietur, neque ex ordine judicii est, ut cui peccatum ob oculos versatur* (i. e. qui dolet se peccasse) *pœna afficiatur, & non qui peccat.* Directè quidem hic reprehendit doctrinam pontificiam de satisfactionibus humanis, ubi pœnitentia peccatoris ob peccata sua dolentis, illaque castigationibus susceptis expiantis, in alterius commodum verti, & non pro se tantum sed & pro aliis satisfaciendi vim habere, blasphemè creditur. Viderint papistæ quid respondeant. Sed & viderit Abarbenel, quibus istud objiciat, non enim Christianos tantum sic oppugnat, sed & magistros suos. Siquidem videmus Alschechum complures vaticinii Esaiæ versus exponere de justo pro generationis suæ peccatis castigationibus affecti, illudque ex doctrina talmudicâ comprobare. Frustra ergo oppugnat hanc doctrinam Abarbenel in quantum apud ipsum valet suorum authoritas. Verùm rationes tantum quibus id agit, attendimus. Unicum profert locum ex *Ezech.* 18.4. *Anima quæ peccavit morietur*, quo totam de satisfactione aliena doctrinam videtur voluisse convellere. Triplici autem illa nititur assertione in vera Christiana theologia. 1. Non esse alienum à Dei justitia ob peccata alterius aliquem puniri. 2. Nec alienum ab eadem justitia ut quis innocens puniatur ob peccata aliena. 3. Nec alienum etiam, ut innocens peccatorum loco pœnam ferendo, eos ab illa liberet. Et hæc est satisfactio, quam credimus, quæ nullius est

mortalium præter Meſſiam. Omnibus illis aſſertionibus in ſpeciem adverſari videtur citatus locus ex Ezech. Nam ſi ipſa anima quæ peccavit morietur, videtur pœnam ad aliud ſubjectum transferri non poſſe, ſed manere in illo ipſo ſubjecto quod peccato ſuo ſe ei reddidit obnoxium, multò minus ut transferatur ad ſubjectum innocens, nedum ut fiat ſubſtitutio innocentis in locum nocentis, illiuſque pœnâ huic concilietur liberatio à pœna. Verùm *primam* noſtram aſsertionem quod attinet, ſatis illam conciliavimus cum dicto Ezechielis ſupra ad argumentum ſecundum ubi egimus de imputatione *peccati*, ſiquidem propheta ibidem dicit, filium non portaturum iniquitatem patris quod eodem recidit, oſtendimuſque quomodo iſte locus conciliandus ſit cum comminatione factâ ad præceptum 2^dum^ decalogi, ubi iſta imputatio tam clarè docetur, ut ne quidem Sociniani eam negare audeant, imò etiam judæi, licet Abarbenel *iſtum* locum nobis objiciat, coguntur ſubſcribere. Sed in *ſecundâ* aſſertione planè à nobis recedunt, quam tamen ex præcedenti doctrina neceſſariò fluere ſtatuimus, unde locus Ezechielis ipſi non magis contrarius eſſe *poteſt* quam præcedenti, & ſupra vidimus quam ſit ineptum, velle adſtringere imputationem ad conditionem imitationis, quâ aliquis prius ipſe conſtituēdus ſit peccator & per conſequens non innocens, antequam ei alterius peccatum imputetur. Pone autem iſtam conditionem requiri, cui tamen Deus nullo modo adſtringi poteſt, pone liberos actu peccata parentum imitantes, an ideo minus ſunt innocentes, quando parentum peccata ipſis imputantur? Non loquor de innocentia quæ ipſis inſit à parte ſui, ſed de innocentia quam habent à parte imputationis, ſi enim tollis innocentiam, etiam tollis imputationem, ſiquidem nunquam alicui peccatum alienum

poteſt

poteſt imputari, quin reſpectu iſtius peccati ſit innocens, quia illud non commiſit, & ſi pœna fundatur in proprio peccato, jam non ampliùs eſt imputatio ſed proprii peccati punitio. Hæc veritas manet immota nec ulla ſophiſticandi arte poteſt everti, quocunque tandem ſe vertat *Crellius*, qui poſtquam variis & frivolis adhibitis diſtinctiunculis oſtendiſſet, quomodo per accidens fieri poteſt ut aliquis puniatur ob peccatum alterius, tandem concedit vi ſcripturæ coactus, non ideo periclitari juſtitiam Dei, ſi idem facere dicatur, ſed nova diſtinctione hoc limitat, diſtinguit enim inter cauſam *meritoriam* & cauſam *impulſivam*, quâ diſtinctione hoc ſibi vult, non eſſe conſiderandum peccatum alterius tanquam cauſam meritoriam, quâ qui peccavit meruerit ut non ipſe tantum ſed & alter qui iſtud peccatum non commiſit, cum ipſo puniatur; ſed eſſe conſiderandum ut cauſam impulſivam quæ Deum impellat non tantum ad puniendum illum qui peccatum primò commiſit, ſed etiam illum qui ipſum imitatus ſit, à quo ultimo pœnam iſtam tum exigat non propter meritum prioris ſed propter meritum proprium, at prioris meritum ipſum ad exigendum impellat, quod fortè aliàs non feciſſet, ſed pœnam remiſiſſet. Quæ hæc eſt ſtultitia? An hoc eſt punire aliquem ob peccata alterius? An ſic filius portat iniquitatem patris, & Deus viſitat peccata patrum in liberis? ſi patris iniquitas tantum cauſa impulſiva ſit, ut filius puniatur ob iniquitatem, non patris ſed propriam. Certè peccatum patris conſiderari etiam poſſe ut cauſam impulſivam puniendi filium, nemini dubium, ſed ita eſse cauſam impulſivam ut filius puniatur ob peccata propria, & non patris, quando peccatum patris ferre dicitur, hoc equidem falſiſſimum eſt, ſi enim propriam iniquitatem portat, non portat iniquitatem patris, & ſi utramque ſimul portare

dicas,

dicas, innocens tamen consiederari debet quâ portat iniquitatem patris. Peccatum *Guehazi* 2. Reg. 5. 27. fuit quidem causa impulsiva quâ etiam posteris ipsius adhæreret lepra, inde tamen non sequitur ipsis adhæsisse lepram ob peccatum proprium & non patris, hoc enim scripturæ contrariatur, quæ dicit: *Idcircò lepra Nahamanis adhæreat tibi & semini tuo in seculum*, ubi vox *idcircò* constituit transgressionem Guehasi, non suæ tantum sed & posterorum lepræ causam, qui ea ab ineunte ætate, antequam patris delictum imitarentur, percussi, paterni delicti pœnam portabant, & non sui, siquidem pœna non solet præcedere delictum sed sequi. Sic Deut. 23. 2. prohibentur spurii ingredi congregationem usque ad decimam generationem. Quis hic tam ineptus erit ut dicat decem istas spurii generationes ista pœnâ affici non propter delictum patris sed proprium? siquidem delictum patris non imitabantur, quia legitimo matrimonio procreabantur. Quàm igitur sunt futiles ejusmodi distinctiunculæ. Præterea quam frivola ista Crellii argutiola sit, ex ipsius verbis liquet. Dicit peccatum patris habere in filio rationem causæ impulsivæ, ut pœnam exigat à filio propter peccata propria, *quam pœnam alias non fuisset exacturus aut multùm de ea remissurus, sed propter patris peccata eam exigat, aut severius exigat, quamquam non ultra proprium ipsius meritum.* Respondeo, ista implicare contradictionem. Si enim meritum filii totam exactionis severitatem exhaurit & fortè majorem exhauriret; quomodo propter delictum patris severiùs puniri dici potest? i. e. quomodo isti severitati aliquis ineſſe potest gradus qui sit aliunde quàm à merito filii? Vel itaque totum severitatis pondus nititur delicto filii, vel non, si nititur, non ergo punitur severius propter delictum patris, sed si à delicto patris aliquid ponderis accedit severitati, necessariò

sequi-

sequitur illud jam esse præter meritum filii; & eatenus saltem eum considerari debere ut innocentem. Et licet dicas, istam ponderis partem quæ est à delicto patris ita comparatam esse ut etiam simul nitatur delicto filii, non tamen tollitur ista assertio, eatenus enim quatenus est ab alio, non potest imponi nisi innocenti. Nihil itaque juvant ejusmodi effugia. Nec definire necesse est, utrum peccatum alienum imputatum rationem habeat causæ impulsivæ, an verò meritoriæ sed sufficit dicere, habere rationem judicii Dei & quidem justissimi, quod enim homines à jure humano & forensi non alienum esse existimant ut ex multarum gentium historiis constat, id à justitia ejus cui supremum in omnes creaturas est imperium, alienum dici non debet, præsertim cum S. scriptura ipsi hoc tribuat. Hinc jam à thesi ad hypothesin facilis est transitus. Nimirum, non alienum esse à justitia Dei, Christo innocenti peccatorum nostrorum pondus incubuisse. Neque hic valet exceptio, Christum etiam sui ipsius respectu fuisse innocentem, jam enim probatum fuit, imputationem peccati alieni pendere à judicio imputantis, sive meritum personæ cui imputatur concurrat sive non concurrat, quod nihil ad rem facit, unde liquet, si alienum esset à justitia Dei, punire nostri causa Christum innocentem in quo non concurrit delictum proprium, etiam alienum fore ab eadem Dei justitia punire filium ob delictum patris in quo non concurrit delictum proprium, at posterius falsum est, ergo & prius. Ratio consequentiæ ex antedictis constat., nisi enim innocentiæ habeatur ratio, non datur locus imputationi, ex parte autem filius est innocens, quatenus scil. peccatum patris portat, si verò innocentem alterius nomine punire absolutè injustum est, æquè à Dei justitia foret alienum, punire eum qui ex parte tantum sit innocens, quàm qui

absolutè, ut Christus, nulla enim vel minima injustitiæ species Deo tribuenda est. Si jam dicas, si non proprio merito, aliquo tamen fundamento niti debere alieni peccati imputationem, ut ab injustitiæ notâ absolvatur. *Respondeo*: Eodem illa nititur fundamento in jure Divino, quo in jure humano. Inter gentes obtinuit, ut liberi propter parentum delicta unà cum ipsis proscriberentur & iisdem pœnis involverentur absque ullo respectu ad delicta propria, qui mos usque adeo invaluit apud multos, ut eum publici & legitimi juris esse existiment, idque solo arctissimæ conjunctionis respectu, quæ inter parentes & liberos, maritos & uxores, regem & subditos &c. consistit, qua efficitur ut sicut unus alterius fruitur commodo, sic & patiatur incommodum. Non jam disquiro quàm bene aut malè hoc fiat inter homines, quibus ob communem naturam secundum regulam charitatis potius vivendum esset. Sed hoc tantum inde colligo, si forum humanum hoc sibi jus vendicat, ut solius conjunctionis intuitu absque injustitiæ nota se hoc modo procedere posse judicet, quis idem jus deneget Deo? cui absolutum in mortales imperium est, ut eodem subnixus fundamento circa alieni peccati imputationem ab injustitiæ notâ absolvatur. Si denuò quæras, cum talis conjunctio inter nos & Christum non sit, quo fundamento nitatur imputatio? *Resp.* Fundamento fidejussionis, quæ etiam in humano jure locum habet. Et hinc jam emergit *tertia* nostra assertio de substitutione, qua Christus pœnam pro nobis ferendo, nos ab ea liberavit, sicut in fidejussionibus, ubi vades plectitur pro reo, eumq; à pœnâ liberat fieri solet. Neq; hæc actio dicto Ezechielis loco adversatur: *Anima quæ peccavit, morietur.* Sicut enim lex humana eam admittit dispensationem, quæ in substitutione consistit absque violatione justitiæ, sic divinæ legis dispen-

pensatio, scripturâ eam docente à Dei justitiâ aliena dici non debet ; siquidem satisfactio ibi statuitur, sive illa fiat secundum legis ordinem sive ejus dispensationem, ubi autem locum habet satisfactio legitima, ibi justitia manet sarta & tecta, quæ non violatur per legis dispensationem sed per ejus infractionem. *Object.* Hæc quidem dispensatio locum habet in pœnis pecuniariis, ut vades solvat pro reo, non verò in corporalibus, corporalem enim pœnam alium pro alio luere injustitia est. Licet enim ob unius noxam plures corporaliter puniti sæpe fuerint, aliquem tamen loco alterius corporali pœnâ affici, ita ut qui culpam commisit, liber sit, id nulla lege aut consuetudine unquam fuit receptum. Et licet exemplis demonstrari possit, vadem capitali supplicio fuisse affectum loco rei, (quod tamen absque injustitia fieri non potuit) non tamen demonstratur publicâ lege fuisse sancitum, ut hoc medio reus liber evaderet, siquidem hoc per ejus absentiam factum, qui postea deprehensus, idem supplicium subire tenebatur. *Resp.* Mirum non est, ejusmodi dispensationem quæ Deo in causa nostra tribuitur, in jure humano locum non invenire, cum talis casus in naturâ humana nec unquam occurrerit nec occurrere possit. Sed pone. 1. Si innocens aliquis pro innumera reorum multitudine se vadem pro iis mortem subiturus ultrò & non coactus obtulerit. 2. Si dignitas ejus tanta sit ut lytrum morte sua persolvere possit sufficientissimum & legi adæquatum. 3. Si certissima sua & judicis præcognitione hac vadimonium susceperit, se viribus suis facta satisfactione è morte eluctaturum & ad summos honores evehendum esse. Rogo, annon quivis judex, etiam exactissimus legis suæ vindex, cœterùm ad clementiam erga reos pronus, talem legis dispensationem, ejusmodi casu oblato, salva sua justitia admissurus sit? Ut jam taceam

premum Dei dominium quod in omnes creaturas habet, quo salva sua justitia de lege sua absolutè disponere potest, quod foro humano, cujus leges divinam legem sibi latam pro norma habere debent, non conceditur. Hæc quidem, non tam contra judæos quam Socinianos judaicorum argumentorum interpolatores.

Quintum argumentum, *ab absurdo, quoad satisfactionem ab ipso Deo peractam.* ואם אמרו שאחד ומיוחד מאישי המין יקבל העונש כדי לכפר על כולו הנה אם כן היה ראוי שאדם כאחד ממנו נביא או חכם יקבל אותו עונש ואותם הייסורין לא הסבה הראשונה יתב' שגם אם היה אמת שנתלבש בשר לא היה אדם כאחד ממנו, *Et si dicant, singularem aliquem virum ex humano genere hanc pœnam portare debuisse, ut pro omnibus satisfaceret, saltem conveniens fuisset, ut quidam ex nobis, sapiens aliquis seu propheta pœnam & castigationes suscepisset, non verò ipse Deus. Et posito verum esse ipsum carnem induisse, non tamen erat sicut unus ex nobis.* Argumentum tale est. Satisfactio præstita ab eo qui non est ejusdem naturæ cum iis pro quibus satisfacit, est absurda. Atqui talem credunt Christiani. E. Major est certissima, ut & Christiani agnoscunt. Minor probatur, quia credunt Deum satisfeciſse, & licet dicant, ipsum induisse carnem, non tamen est ejusdem nobiscum naturæ. *Resp.* Argumentum hoc non multum habet ponderis. Minor falsissima est, scil. Christianos talem credere satisfactorem qui non sit ejusdem nobiscum naturæ. Probatio tum demum locùm haberet, si talem crederemus, qui tantum sit Deus & non simul verus homo. Ratiuncula quæ in phrasi *induere carnem* latere videtur, quasi inde sequatur, ipsum non veram nec integram habuisse humanitatem, admodum, jejuna est, sensus enim phraseos non est, Deum alteram humanitatis partem scil. corpus sua divinitate animasse & vicem animæ impleviſse, sicut judæi corpus לבוש הנפש *vestimentum animæ* appellare solent, sed ea de-

nota-

notatur unio divinæ & humanæ naturæ in eandem perſonam. Quamvis itaque fuerit Deus, hoc tamen non impedit, quominus veram habuerit humanitatem, ſiquidem anima & corpore, omnibuſque utriuſque partis facultatibus præditus erat, ſicut etiam experientia comprobatum reddidit. Et hoc tam diu verum eſt, donec judæi contrarium evicerint. Si autem dicere velit Abarbenel, ſolam humanam naturam ad præſtandam ſatisfactionem ſufficere potuiſſe. Reſpondemus non potuiſſe ſufficere, idque ob difficultatem & dignitatem præſtandæ ſatisfactionis. Et hoc etiam tamdiu verum erit, donec ſufficienter probaverint contrarium. Quod autem Abarbenel addit. Deum non potuiſſe ſuſtinere caſtigationes, & in eum finem in principio hujus diſputationis nobis tribuit ineptam loci prophetici Eſai. 53.4. מכה אלהים *Percuſſum à Deo* &c. interpretationem, quaſi dicamus שהוא היה אלהים ונגוע *ipſum eſſe Deum percuſſum. Reſpond.* Rem eſſe veriſſimam, in perſona veri Meſſiæ, Deum verè dici poſſe, *Deum percuſſum*, idque per κοινωνίαν ἰδιωμάτων, quam Abarbenel non intellexit. Velle autem eam ex phraſi prophetica elicere, res foret abſurdiſſima, ſiquidem ibi in forma conſtructâ, Deus proponitur ut agens non ut patiens. Quapropter illud calumniosè nobis aſſingit homo mendax & cum ipſo R. Lipman, ſiquidem nemo unquam Chriſtianus de ejuſmodi expoſitione vel minimùm cogitavit, niſi qui hebraiſmum tractare nunquam didicerit. Multò minus ut quis dixerit, Deitatem fuiſſe percuſſam; totum enim ſatisfactionis & paſſionis negotium humanæ naturæ ſed à Diuinâ ſuſtentatæ unicè adſcribimus. Amplius impræſentiarū de hâc materia dicere neceſſe non eſt, donec non calumnias ſed rationes nobis propinet Abarbenel. Non autē reticenda hic oſcitantia Menaſsis Ben Iſr. qui in nova commentariorum Abarbenelis in prophetas

editione Amſterdami adornata, ad hunc verſum turpiter impegit, punctavit enim vocem נכה per *ſægol*, quem errorem (ſi modò typographicus eſt) eo ſtudioſius cavere debuiſſet, quod in eo utpote Chriſtianis affecto, magiſtri ſui calumnia fundata ſit.

Sextum & ultimum argumentum *ab impoſſibilitate hypoſtaticæ duarum naturarum unionis ad ſatisfactionem requiſitæ* הרבר הזה נמנע בעצמו והוא מכלל הנמנעות אשר להם טבע קיים שגשים השם ית' את עצמו לפי שאלהות הטבה הראשונה שהוא כח בב"ע אי אפשר שיתלבש בשר ויעמוד בנושא בעל הכלית ושיבטל עונש אדם הנפשי שלא נזכר בכתוב על עמדם יעמודו *Res hæc omninò impoſſibilis eſt & ex genere contradictoriorum, prout ipſa rerum natura docet, Deum ſcil. ſe ipſum facere corporeum, ſiquidem Deitas cauſa prima eſt & potentia infinita, non itaque fieri poteſt, ut carne induta velut ens finitum conſiſtat, & tollat pœnam hominis ſpiritualem, de qua nihil in ſcriptura.* Hoc dicere vult. Non entis non ſunt accidentia, atqui Deum fieri corporeum, & ens infinitum fieri finitum, eſt non ens, ergo nihil de eo poteſt prædicari. *Reſp.* Totum argumentum hoc modo conceptum, verum eſt, ſed doctrina Chriſtiana non eſt, Deum factum eſſe corporeum & finitum, licet fortè in N. T. ejuſmodi loquendi formulæ occurrant quæ per κοινωνίαν ἰδιωμάτων, qua perſonalis unio confirmatur, intelligendæ ſunt, ut cùm dicitur: *Verbum caro factum eſt. Ioh.* 1. Aliæ tamen extant loquendi modi, qui doctrinam hanc propius explicant, ut cum *ſemen Abrahæ aſſumſiſſe Hebr.* 2. dicitur. Unde ſatis apertè colligitur, Naturam divinam ſalvâ ſuâ infinitate & reliquis divinis attributis cum humanâ non tantum uniri potuiſſe ſed & reverâ unitam fuiſſe. Iſta Chriſtianis trita ſunt, ſed ad hoc argumentum obſervari debent, quia novi judæos pro innatâ ſua malitia ejuſmodi locutiones in reprobum ſenſum torquere ſolitos eſse. Quod addit, non docere ſcripturam, Deum,

(aut

(aut hominem, qui ſimul Deus ſit) pœnam peccati laturum, eſt petitio principii, hoc enim docet celebre Eſaiæ, de quo agimus, vaticinium, quod fruſtra judæi nobis ſtudent intervertere. Et licet expreſſis verbis non dicat propheta, eum, de quo loquitur, ſimul eſse Deum, modò tamen concedant illud in ſolidum de Meſſia intelligendum eſse, reliqua facilè ex aliis ſcripturæ locis cum eo collatis conficiemus. Hactenus de Meſſia in theſi. Sequitur

QUÆSTIO VI.

AN DE JESU NAZARENO IN HYPOTHESI?

HAnc litem nobis movent R. Lipman & Abarbenel, & ex parte Aben Eſra, qui rationibus ſe munitos eſse putant, ob quas de Jeſu Chriſto vaticinium hoc intelligi non debeat. Sed causâ ſuâ jam modò ceciderunt, cū enim invictè demonſtratum ſit, ad neminem ex omnibus quibus illud affingunt Rabbini, ſpectare poſſe, ſequitur, vel intelligendum eſse de Jeſu Chriſto vel de aliom quodam præter illos à Rabbinis nominatos, atqui præter illos neminem habent. E. Videamus tamen paucis quid in allatis rationibus ſit momenti.

Prima eſt *Aben Eſræ* argumentantis ex v. 13. c. 52. & in ſpecie ad vocem *proſperabitur*, quam ad Jeſum Chriſtum ſpectare non poſſe contendit, idque ex Chriſtianorum (quam ipſis affingit) hypotheſi, ſiquidem dicant, Chriſtum eſſe Deum & quidem ita, ut ſub veſtimento carnis in hominis forma appareat, Deum autem in textu alloqui Chriſtum, ipſumque vocare *ſervum ſuum*, ſed non alloqui ipſum quâ Deum (Deus enim non alloquitur ſeipſum neque ſeipſum vocat ſervum ſuum) ſed qua forma

ma hominis indutum i. e. alloqui ſuum corpus quod aſsumpſit. Sic autem ipſi non competere dicit, quæ verſu iſto continentur, כי הגוף לא ישכיל *quia nudum corpus proſperari non poteſt.* Eandem rationem ab Aben Eſra mutuantur & exornant Abarbenel & R. Lipman. *Reſp.* Figmentum hoc non minus malitioſum eſt quam frivolum, nititur enim duplici pertinaci errore. 1. S. Trinitatis myſterii negatione, quod aliis ſcripturæ locis aſſeritur. 2. Aſſicta Chriſtianis hypotheſi ab antiqua *Apollinariorum* hæreſi mutuata, Chriſtum non aſſumpſiſſe integram naturam humanam, ſed nudum corpus, illudque animare, quaſi natura divina corporis forma ſit & vicem animæ ſuppleat, quod falſiſſimum. Vide ſuprà ad argumentum quintum. Quapropter ratio hæc indigna eſt, quæ pluribus confutetur.

Secunda eſt *Abarbenelis* ex eadem voce ישכיל, quam dupliciter exponi poſſe dicit, vel per *intelliget*, vel per *proſperabitur.* Neutro autem modo tribui poſſe Chriſto, nec qua Deus eſt, nec qua homo ſecundum Chriſtianorum hypotheſin. Non qua Deus, quia Deus nunquam non intelligit, & proſperandi vocabulum in ejus naturam non cadit. Non qua homo, quia finis vitæ ejus oſtendit, ipſum non egiſse proſperè. *Reſp.* Quæ verſu iſto imò toto hoc vaticinio continentur, nec ſimpliciter ad humanam ejus naturam, nec ſimpliciter ad divinam referimus omnia, ſed ad naturam humanam quod humanum eſt, ad divinam quod divinum eſt, ad utramque quod utrique convenire poteſt, omnia denique ſimul ad Chriſtum θεάνθρωπον *Deum hominem* ſive Divina ſint ſive humana. Fruſtrà itaque ſunt rabbini & incaſſum laborant, quod iſtis anguſtiis nos conſtringere ſtudeant. Frivolum etiam eſt quod de fine vitæ ejus dicunt, fuit enim ille talis, qualem hìc repræſentat propheta. Et ſanè, niſi talem habuiſſet finem,

nec

nec prosperè nec intelligenter agere potuisset. Siquidem in hunc mundum ingressus non erat ut prosperè ageret secundum carnem seu carnale regnum erigeret, sed prosperè secundum spiritum & ultimum eventum, sicut etiam propheta ostendit, & ex doctrina de satisfactione ejus luculentissimè evincitur. Non autem hic prætereundum acumen R. Lipmanni, qui ut ad absurditatem nos redigat, duplicem nobis laqueum tendit, & inter Scyllam & Charybdin collocatos ad alterutram miseros allidere satagit, utramque enim evadere putat impossibile. Hoc itaque dilemmate nos stringit; Vel epitheton *Servi* tribuunt Christo quâ Deus est vel quâ homo. Si quâ Deus, frustra docent, tres tantum esse in Deitate personas, Patrem scil. Filium & Spiritum S. כי אם לפיעמים עשאוהו לעבד ולפעמים עשאוהו לבן הרי היה מרובע ולא משולש *Si enim modò in ea fingunt filium modò servum, non erit numerus ternarius sed quaternarius.* Si, qua homo, (sicut facere tenentur כי גנאי להם שיקרא עבד *filio enim ignominiosum esse dicunt, ut vocetur servus.*) יצטרכו ביעל כרחם לפרשו על גוף והבשר ומעתה טעות הוא לשון ישכיל על הגוף כי הבשר אינו משכיל אף באדם החי כאשר ידוע למשכילי כ"א השכל שבו הוא המשכיל *necessariò illud de corpore & carne intelligere debent. Iam autem res absurda est, vocem* ישכיל intelliget *tribuere corpori, caro enim non intelligit, etiamsi vivat, sed spiritus intelligens, qui in carne habitat, intelligit, sicut omnibus, qui intelligunt, notum est.* Habet autem secunda hujus dilemmatis pars pro fundamento hypothesin illam Christianis affictam de qua supra, corpus scil. Christi non aliter quam à natura divina animari, nec alium in eo habitare spiritum intelligentem quàm ipsam Deitatem. Et hinc ingeniosus noster Lipman novum exsculpit dilemma, quod non minus nos premere videtur quàm præcedens: Vel Christiani dicent ששכלו והוא שקוראים האב *intelli-*

gentiam illam (quâ Christi corpus animatur) *esse intelligentiam ejus quem vocant patrem*, vel dicent ששכל הבן דבר ב בפני עצמו מלבר השכל האב *esse intelligentiam filii, separatam ab intelligentia patris.* Posterius dicere non audent כי א"כ לא ה ה' אחר וכל אמונתם שהשלוש הוא אחר ולא שנים ולא שלשה *Sic enim non foret Deus unus, siquidem credunt, Trinitatem esse essentiam unam non verò duas aut tres.* Ergo prius,& sic ad primam absurditatem relabuntur שבעצמו אומר ישכיל עבדי *Deum de se ipso hoc dicere: servus meus intelliget.* O vos felices appellæ! qui tam acutum doctorem nacti sitis. Sed quàm etiam sit futilis, ex antedictis satis constat, quibus nihil necesse est addere.

Tertia Abarbenelis ex eodem versu. *extolletur, elevabitur & altus erit valdè.* Non potuit exaltari Christus, qua Deus, quia altitudinis gradus quem antea non habuerit, Deo accidere non potest. Nec exaltatus fuit qua homo, quia miserum habuit exitum. *Respondemus* ut antea. Adde, falsum esse, Deum non posse exaltari, non enim exaltari significat altitudinis gradum accipere, seu altum fieri, sed ut altum prædicari, ut Psal. 22. 47. *Exaltetur Deus rupis salutaris meæ.* Quemadmodum *sanctificari* dicitur Deus *Levit.* 10. 3. Non quod homines eum sanctiorem facere possint, quam antea fuerit, sed quod eum ut sanctum prædicent. Et miror quomodo Abarbenel in re tam clara tam iniquus & ineptus esse potuerit.

Quarta Lipmanni ex vers. seq. *Obstupuerint de te multi* Non dicitur עליו *de ipso*, quasi de Christo mentio sit, sed עלין *de te* sc. populo Israelitice, ad quem totum vaticinium spectat. *Resp.* Consequentia non valet, pone enim, verba illa continere digressionem ad aliud subjectum uti ex notis similitudinis colligi possit, ilico tamen redit ad personam tertiam de qua loq uiinceperat, *corruptus præ quolibet aspectus ejus.* Videatur paraphrasis Alschechi de Messia,

&

& Abarbenelis de Ioſia. Imò ex Kimchio, qui cum Lidmanno totum vaticinium refert ad Iſraelem, diſcitur, perſonarum hic mutationem non inferre mutationem ſubjecti, Ergo hæc ratio nulla eſt, ſic enim, ſive עלין dicat ſive עליו idem tamen ſervus ille, de quo antea, indigitatur, & hanc exponendi rationem in paraphraſi Chriſtiana ſecuti ſumus.

Quinta Abarbenelis ex eod. Verſ. *Corruptus præ quolibet aſpectus ejus* &c. item verſ. 2. cap. 52. *Non eſt forma ei neque decor* &c. & verſ. 3. *Doloribus affectus, familiaris morbo.* &c. Iſta oſtendunt, eum de quo hic ſermo eſt שהיה בטבעו עכור ומכוער שחוריי חלוש המוג רפה ההרכבה *eſſe hominem naturâ ſuâ fœdum, deformem, melancholicum, complexionis debilis, compoſitionis remißæ.* Talis autem non fuit Chriſtus, ſiquidem de eo perhibent שהיה בחור וטוב ונחמד למראה אף כי חכמיהם אמרו שהיה שוה המוג באביות האיזון *ipſum fuiſſe iuvenem pulcrum & aſpectu deſiderabilem, dicuntque eorum ſapientes ipſum optimæ complexionis fuiſſe, & qualitates habuiße convenientiſſimas. Reſp.* Non deſcribit propheta qualitates ejus corporales, naturæ inſitas & innatas, ſed conditionem contemptam, qua ut homo vilis & abjectæ ſortis habitus fuit apud ſuam gentem, aſpectumque deformem extrinſecus ipſi à carnificibus judæis illatum, cum Pōtius Pilatus ipſum probris & ignominia affectū aſpiciens, quaſi faſtidibunda commiſeratione ductus diceret; *Ecce homo*; Auditaque voce: *Ecce rex veſter*, omnes præ ſummo contemptu exclamarent; *Tolle, tolle, crucifige*, ſiquidem conditionem ejus nimis vilem & abjectam putabant ut ipſum pro rege ſuo agnoſcerent, regem enim quærebant ſplendidum & ſumma potentia præditum, & hæc forma illa erat atque decor quem in ipſo deſiderabant, propterea que pudebat judæos & nomini judaico ignominioſum ducebant, talem hominem ſalutari regem ju-

dæorum. Hunc esse genuinum horũ verborum sensum, ipsum Abarbenelem ex propria sua expositione fateri cogimus. Ubi enim illa Iosiæ applicat, de cujus complexione naturali & externa specie nihil ipsi innotuerat, de conditione miserâ cui obnoxius factus erat, ea exponit, formam illam decoremque in ipso desideratum ad privationem vitæ & regni refert, cum quo omnis splendor & gloria ab ipso abierat. Præterea nullam in eo fuisse speciem dicit, quod improbi Nechonis milites faciem ejus corrupissent, cum sanguine misere fœdatus Hierosolymam deveheretur. Quid, annon idem contigit Christo? Suo itaque telo hanc rationem confodit homo sui oblitus, adeo ut necesse non habeam de istorum hebraismorum usu ad rei confirmationem plura hic addere.

Sexta Ejusdem ex hebraismo vers. 3. חלי ידוע *familiaris morbo.* Christum autem aliquando ægrotasse, multò minus morbo fuisse familiarem, vel morbũ ipsi familiarem, nuspiam legitur, *Resp.* Voce morbi non tantum corporis sed & animi ægritudo & contritio imò omnis generis calamitates denotantur, sic Ier. 10. 19. Animi contritio vocatur morbus, ut nunc alia scripturæ loca præteream. Discat hoc à Kimchio, qui Israelem ideo morbo familiarem dici vult שהוא ידוע ורגיל לעבור עליו עול הגלות *quod assuetus sit perferre jugum exilii.* Discat ab Aben Esra qui similiter per morbum intelligit ציר הגלות *Angustiam exilii.*

Septima Ejusdem ex vers. 4. *Morbos nostros ipse tulit* &c. Non potest hoc intelligi de animarum pœna in inferno, quia per morbos talis pœna non designatur. Neque etiam per morbos intelligi possunt castigationes quas judæi in morte eius ipsi inflixerunt, non enim inflixerunr ipsi morbos. *Resp.* 1. Per Ne. g. vid. solut. præced. 2. Eod. modo ipsi morbos inflixerunt judæi, quo Abarbenel in

Para-

Paraphrasi sua dicit gentes fateri se morbos inflixisse Iudæis, quia enim per morbos intelligit infirmitates corporis non ab hominibus sed a Deo & natura immissas ut pestis, febris, lepra &c. sequitur, si tales Christo non infligere potuerunt judæi, etiam gentes eas non posse infligere judæis. Qua propter, si vera est expositio ejus, nomen morbi in latiore significatu sumi debet, nimirum pro doloribus ab hominibus immissis, quemadmodum intelligit afflictiones de quibus vers. 5. Sed in paraphrasium examine satis ostendimus, subjectum per affixa pronomina denotatū in persona agentis nō esse sumendum.

Octava Lipmanni ex eod. vers. voce נגוע *percussus* שוהו מכות השין quod *de plagis ulcerosis* intelligendum, sicut lepra vocatur נגע *plaga Levit.* 13. 3. Eaque de causa dicitur חרל אישים *ab hominibus desertus*, quod convenit leprosis. Tali autem plaga Christus non fuit affectus. *Resp.* Frivolum hoc est, vocem נגוע de sola lepræ percussione exponere, cum enim Psaltes Psal. 73. 14. se dicit נגוע כל היום *plagâ affectum quotidie*, non de lepra sed quavis afflictione illud intelligit. Neque *desertum à viris* esse, significat leprosum esse & ideo ab hominibus esse separatum, sed פחות שמבנ׳ אדם היה *pro vilissimo inter homines haberi*, ut Kimchi exponit. Et sane vbi ad Iudæos istud referūt dicūtque quemque ex iis esse חרל אישים שלא היו מתחברים עמו *desertum à viris, quia gentes cum judæo conversari volunt*, obtendi non potest, judæorum lepram in causa esse, cum isti plagæ Christianam potius quam suam gentem hodie obnoxiam esse profiteantur. Utinam autem corporis duntaxat & non mentis lepra percussi essent, huic dissidio facile finem inveniremus.

Nona Ejusdem ex vers. 8. *Exscinditur* מארץ חיים *è terrâ viventium*. Per terram viventium intelligitur terra Israelis. Ex ea autem Christus excisus nō fuit, proinde si de morte

ejus hoc intelligere voluiſſet propheta, verius dixiſſet נגזר מחיים *è viventibus exciſus eſt. Reſp.* Per terram viventium intelligendam eſſe terram Iſraelis nullo idoneo ſcripturæ loco probari poteſt, quem cum Kimchio ex Pſal. 116. 9. affert, ineptus eſt, nam per regiones viventium non intelligit ibi David terram Iſraelis ſed vitam humanam in terrâ, optime iſto hebraiſmo denotatam, ſiquidem dicit, ſe indeſinenter ambulaturum coram Domino, quod procul dubio non tantum in terra Iſraelis, ſed & alibi, ubi vitam agere contigiſſet, ſe facturum ſibi propoſuit. Iob cap. 28. 13. negat ſapientiam reperiri *in terra viventium*: Sane ſic hoc de ſola terra Iſraelis dixiſſet, ſequeretur, in omnibus mundi plagis reperiri poſſe ſapientiam & viros ſapientes, excepta terra Iſraelis, quod non facilè concedent rabbini. Vide ergo quam ridicula ſit iſta ratio, cujus vel hominem plebeum, qui aliquantulum ſapere didicerit, pudeat, qua tamen tantus rabbi trimphare non erubeſcit.

Decima Abarbenelis ex eod. verſ. *Ex defectione populi mei* plaga eſt למו *ipſis*. Quod ſi de Chriſto intelligendum, dicere debuiſſet in numero ſingul לו *ipſi*, non vero למו in plural. *Reſp.* De particula למו ejuſque conſequentiâ abunde egimus ſupra pag. 396. &c.

Undecima Ejuſdem ex verſ. 9. *Poſuit ſepulcrum ejus cum improbis*. Dicendum potius fuiſſet, ſi ad Chriſtum referri deberet, *poſuit cum improbis mortem ipſius*, non *ſepulcrum ipſius*, conſtat enim ex hiſtoria ejus, circa ſepulturam, nullam ipſi ignominiam fuiſſe illatam. Tum quod dicitur, *erit cum divite in morte ſua*, in ipſum non competit, fuit enim cum latronibus. *Reſp.* Senſus hujus verſiculi talis eſt, qualem in paraphraſi Chriſtiana eum exhibuimus, quæ prius convellenda erit, antequam ratio hæc locum invenire poſſit.

Duo-

Duodecima Lipmanni ex verſ. 10. *Dominus delectatus eſt conterere ipſum, morbo affecit; ſi poſuerit* &c. תמיה אין עינין לֹהם ולא יראו שנא' וה' חפץ וגו' ואיככה היתה טובתו על תנאי ואיככה שייך בו קבול שכר מי הוא המשונע שאמר דברים אלו יֹדע אדהות *Mirum eſt, illos habere oculos & non videre quod dicitur: Delectatus eſt &c. Quomodo gratia Dei ſub conditione ipſi promittitur, & quomodo mercedis receptio in ipſum quadrabit? Quis tam amens erit, ut iſta ad Deitatem referat?* Eandem rationem etiam agitat Abarbenel. *Reſp.* Iſta rhetoricatio rabbinica nihil ad rem facit. Videatur reſponſio ſupra ad rationem ſecundam.

Decima tertia Abarbenelis ex eod. verſ. *Delectatus eſt* &c. Chriſto pœnam recipienti, ut juſtos ab interitu liberaret,(uti ferunt)iſta tribui non non poſſunt, qui enim eum in finem plagis afficitur, de eo dici non debet: Delectatus eſt Deus ipſum plagis afficere. שאין לו סבה ידועה "וחם אל החפץ הפשוט לא מה שיעשה העושה לתכלית ידוע *nam cauſa certa ſimplici delectationi in agendo tribui non poteſt, nec ejus qui per delectationem agit, finis propter quem agat, notus eſt. Reſp.* Hæc objectio reſpōſione indigna eſt, eſt enim primò falſiſſima, eum ſcil. qui in actione ſua delectationem capere dicitur, nullum habere finem quare agat, plurimis enim ſcripturæ exemplis imó ipſâ experientiâ contrarium demonſtrari poteſt. Secundò in ipſo textu convellitur, ſiquidem poſterius verſus hemiſtichium finem contritionis expreſſis verbis exhibet, quem quia ut ſummè neceſſarium & humano generi utiliſſimum unice intendit Deus, ſumulque, quæ infinita & omnipotens ejus præſcientia eſt, felicem ejus ſucceſſum & complementum prævidit, in iſta actione quam Chriſtum ad ferendam pœnam deſtinando, agebat, ſummopere delectatus eſt. Melius itaque in hunc doctorem Lipmanni dicterium quadraret, mirum ſcil. eſſe, ipſum habuiſſe oculos &

hoc

hoc non animadvertisse.

Decima quarta Eiusdem ex eod. vers. *Si posuerit animam suam pro reatu.* איך יצדק המאמר הזה על האלוה וייוחס האשם לנפשו שהוא האלהות המוחלט *Quomodo hoc tribuetur Deo? Quomodo animæ ipsius, quæ ipsa Deitas est, appropriabitur reatus? Resp.* Nititur falsâ hypothesi, de qua supra ad rationem primam.

Decima quinta Aben Esræ, interpolata à Lipmanno & Abarbenele ex eod. vers. *Videbit semen*, quod intelligendum vel de humana ejus natura vel Divina, non de humana כי לא היה לו בן או בת sic enim semen non vidit, *nec filium nec filiam habuit.* Neque de Divina, quia illa non generat, neque ei competit verbum יראה *videbit*, in futuro, quasi tempus fuerit in quo non viderit, quod falsum, omnia enim præsentia, & præterita & futura Deus aspicit uno eodemque intuitu. Addit triumphator Lipman אם הנוצרי הוריע זרע הוליד להם הרבה אלהות *Si Nazarenus semen produxisset, multos ipsis Deos genera sset. Resp.* Neque de divina neque de humana natura separatim hoc intelligitur, sed de Christo Θεανθρώπῳ Neque per semen intelliguntur filii & filiæ naturales sed spirituales, qui ad imitationem naturalium per spiritum S. regenerantur, quam generationem variis locutionibus figuratis à prophetis prædictam, cum nesciret Nicodemus, eam didicit à Iesu Christo, cujus exemplum imitari deberent ejus successores rabbini, si quicquam, quod stupidum carnis sensum excedat, sapere vellent. *Instat Lipman* אין לפרשו על התלמידים כי לא חמצא בכל כ"ד כפרים שנקראו תלמידים רק בנים שני ולמדתם את בניכם וכתיב בני הנביאים אבל זרע הבן הנוצר מטפת זרעו בלי ספק *Per semen non sunt intelligendi discipuli, in tota enim scriptura non invenies discipulos alio denotari epitheto quam filiorum, juxta illud:* docebitis filios vestros. Deut. 11. 19. *Sic* filii prophetarū. 1. Reg. 2. 35. *Sed per semen procul dubio intelligitur filius qui formatus est ex gutta seminis ejus. Resp. Est ignoratio*

Elenchi

Elenchi Non enim per ſemen ſimpliciter intelligimus diſcipulos Chriſti qua tales, i. e. quoad externam Evangelii profeſſionē quos Abarb. vocat הנמשכים אחרי דתו *ad fidē ejus pertractos*, inter eos enim quamplurimi exſtant qui reverà ſemen Chriſti non ſunt. Sed ſemen ejus proprie illi ſunt qui per incorruptū verbi ſemen vi Spiritus S. ad vitam ſpiritualem regenerantur, quibus ob iſtum reſpectum nomen hoc quam optimè convenit. Non itaque omnes qui ſe profitentur diſcipulos Chriſti ſunt ſemen ejus ſed omnes qui per ſemen verbi ejus ſunt regeniti, etiam ejus diſcipuli ſunt. Hanc metaphoram confirmat epitheton filiorum quod agnoſcente Lipmanno tribuitur diſcipulis prophetarum,eodem enim jure & reſpectu quo quis vocatur filius alterius, eodem quoque jure & reſpectu vocatur ejus ſemen, & licet nomen ſeminis per ſe quidem pateat latius quam nomen filii,hoc tamen uſu ſunt ſynonyma, ſicut homo & animal ſunt ſynonyma quando nomen animalis ſtrictius ſumptum uſurpatur ad denotandum hominem, ſicut nomen ſeminis plerumque uſurpatur in ſcriptura ad denotandum filium. Nemo eſt rabbinorum qui hoc neget. Fruſtra itaque ſunt quod uſum vocis nobis diſputent, nam ſi ſpiritualem in Chriſto generationem admitterent, eandem metaphoricam locutionē in nomine ſeminis agnoſcerent,quam in nomine filii, quam nunc iſto præjudicio abrepti nullo jure ei denegant. Proindeque,ſi huic ſubjecto diutius inſiſtendum, in aliam deſcendendum foret arenam,quæ propriè hujus loci non eſt. *Inſtat Abarbenel*, verbum יראה *videbit* notat aſpectū qui homini conceditur בחייו ובימיו dūm adhuc vivit & ſuperſtes eſt, ſed Chriſtus dū viveret tantā filiorum copiam non vidit. *Reſp.* Nititur *falſa hypotheſi*, Chriſtum ſcil.non vivere. Imò vivit & vivet in æternum,ipſumque vivere jam per tot ſecula ſummo ſuo damno experti ſunt

judæi, & in ſecundo ejus adventu experientur.

Decimaſexta Aben Eſræ ex eod. verſ. יאריך ימים *Prolongabit dies.* Hoc de Chriſto verum non eſt, mortuus enim eſt in juventute ſua. *Reſp.* Vide quæ præcedunt, & paraphraſin Chriſtianam.

Decima ſeptima Abarbenelis ex verſ. 12. *Cum robuſtis partietur ſpolium.* Hoc in Chriſtum non competit, כי לא עשה מלחמות ולא שלל שלל ובזז בז *Nulla enim geſſit bella, nec ulla ſpolia ſpoliavit, nec ullam prædam prædatus eſt. Reſp.* Senſum iſtorum verborum tradidimus in paraphraſi noſtra, qui non vanis cavillis ſed firmis rationibus, ſi quid valet magnus ille doctor, erit enervandus, antequam ulterius cum ipſo agamus.

Hactenus de loco Eſajæ, & quidem ſatis prolixè, non tamen præter ſubjecti dignitatem, eſt enim celeberrimum totius propheticæ ſcripturæ vaticinium. Integram diſputationē ineptâ Abarbenelis applicatione non ineptè concludemus, ubi quatuor illas voces ישכיל *proſperabitur* (ſeu intelliget) ירום *extolletur*, נשא *elevabitur* גבה *altus erit*, de quatuor Iſraelis prærogativis in captivitate amiſſis, *Intelligentia, Regno, Prophetia & Præſentia Schechinæ ſeu divinæ Majeſtatis* exponens, de prima ſic loquitur המעלה הראשונה היא בחכמה וידיעה שבמקום שהיה נקרם עם חכם ונבון הנה בבואם בגלות אבדה חכמה חכמיו ובינת נבוניו נסתרה וכאשר המשורר מתרעם על זה ואין אתנו יודע עד מה ישראל בגלות הוא כעם סכל כיונה פותה אין לב *Prima prærogativa in ſapientia & cognitione conſiſtit, olim enim populus erat ſapiens & intelligens, at in captivitate perijt ſapientia ſapientum & intelligentia intelligentium abſcondita eſt, quemadmodum Pſaltes conqueritur* Pſ. 74. 9. Non eſt apud nos qui ſciat uſque quo. Et paulo poſt. *Iſrael in captivitate eſt ſicut populus ſtultus & ſicut columba fatua & amens.* Hoſ. 7. 11. Sanè rem ita ſe habere, inprimis in hac diſputatione experti ſumus, nec opinor hominem illum un-

unquam verius esse locutum. Quidni ergo tam luculentâ confessione edita, iisdem doctoribus illud quoque Psaltis Psal.. 94. 8. eodem jure applicare liceat ? *Animadvertite, O brutissimi in populo, & stultissimi, quando intelligentes eritis?*

(12) Diximus sup. pag. 317. ad not.(10) Traditionem de sex millenariis & septimo intermissionis ad librum secundum spectare, siquidem ibi author hanc materiam proponit. Quia tamen sub finem hujus sectionis tria scripturæ dicta ad septimum illum millenarium refert, operæ pretium erit, ut mentem traditionis paucis exponamus. Petita est ex *Gemara Sanh. cap. Heleck* ab authoritate cujusd. *R. Ketina*, cujus celebre affatum tale est שית אלפי שנה הוי עלמא וחד חריב *Sex annorum millibus subsistet mundus & uno vastatus erit.* Additur ibidem explicatio hujus effati: כשם שהשביעית משמטת שנה לשביעה שנים כך העולם משש אלף שנים לשביעת אלפים שנה *Quemadmodum septimus quisque annus, erat annus* שמטה intermissionis Exod. 21. 2. Deut. 15. 1. *Sic mundus ex septem annorum millenariis, septimo erit intermittens.* Ibidem schola R. *Eliæ* istos sex annorum millenarios in tres temporum periodos distribuit, duo millia assignat לתוהו *vastitati*, duo millia לתורה *legi*, duo item millia לימות המשיח *Diebus Messiæ*. Hanc traditionem ita exponit ibidem Glossator in בית ישראל ut duobus primis millenariis assignet totum illud tempus ab Adamo usque cum de Abrahamo dicitur את הנפש אשר עשו בחרן *Et animas quas acquisiverāt Charane*, quod *Onkelos Chaldæus* ita exponit ויית נפשתא דשעבידו לאוריתא בחרן *Et animas quas legi subjecerūt in Charan.* Constituit itaq; legis initium in eo tēpore quo Abrabam in Charā animas legi subjicere inceperat, cum antea non esset nisi vastitas ob ignorationem legis,& revera duo annorum millia effluxerant cum Abraham migraret Charane. Secundam periodum legi assignatā per-

ducit à tempore migrationis Abrahami uſque ad annum 172. poſt deſtructionem templi ſecundi. i.e. Chriſti 240 Ab eo tempore juxta iſtius Eliæ traditionem adeſſe debebat Meſſias. Hic jam in miris anguſtiis verſantur Rabbini. Utramque traditionem cum *Ketinæ* tum *Eliæ* ultra Thulen & glacialem oceanum vellent ablegatam. Effatum Eliæ quod attinet, huic quidem nodo cuneum invenerunt, dicit enim gloſſator duo annorum millia aſſignari legi non quod lex iis exactis ceſſatura ſit, ſed quod tum per adventum Meſſiæ ceſſatura ſit ſervitus Iſraelis, verum בשכיל עונותינו שרבו לא בא משיח לסוף ד׳ אלפים שיצאו מהן שיעריין היא מעוכב לבא שהיה דינן שיבא *Propter peccata noſtra*, dicit, *quæ multa ſunt, non venit Meſſias quarto millenario exacto quo ipſũ venire juſtum erat, & ab eo tẽpore tot modo anni effluxerunt, & adhuc retardatur ipſius adventus.* Sic traditio quæ tum temporis quo duo illa annorum millia ſub lege nondum abierant, ſummo erat ſolatio & gaudio, omnium animis in Meſſiæ brevi adfuturi adventum intentis, poſtmodum perpetui cordolii cauſa fuit, cui leniendo aliud remedium inveniri non potuit quam impœnitentia judæorum, de quo iſte Elias ne quidem cogitare potuit cum de Divina œcominia ex æqualitate temporum ferret judicium, ubi nulli obſtaculo datur locus, ſiquidem nullum novum impœnitentiæ obſtaculum incidere potuit, quam quod tum temporis cum hoc traderet incidiſſet, nec majores judęi peccatores poſt elapſos legis millenarios futuri erant quam ante fuiſſent; proindeque inſigniter fuit deceptus, iſtaque ſua traditione religionem Chriſtianam, (nam ad Chriſtum verum Meſſiam duo ultimi millenarii propriè ſpectant) non parum confirmavit, & quidem ita, ut quemadmodum vaſtitas duobus primis millenariis exactis ceſſavit juxta mentem Eliæ, ſic etiam lex ceſſaverit in fine quarti, & hoc modo

ſibi optimè conſtat traditio & reverà adimpleta eſt, quicquid pro cauſa ſua moliatur gloſſator. Maximum autem negotium ipſis faceſſit R. *Ketina*, cum enim ex ſex illis millenariis pauca duntaxat ſecula adhuc reſtent, quæ facile abibunt antequam Meſſias ille calceos ſuos induerit, & vaſtitatis ævum iliço incidens ſpe ſua fruſtrabit judæos, imprudenter admodū rebus conſuluit quod vaſtitatis millenarium nō in octavū rejecerit, & ſeptimum diebus Meſſiæ aſſignaverit, ſic enim magna adhuc ſpes ſupereſſet quæ jā propter anguſtiā tēporis penè collapſa eſt. Sed condonandū hoc eſt bono viro, neſciebat enim Meſſiam tam diu moraturum, qui ſi adhuc vireret, procul dubio ſententiam mutaret. Interim ne tanti doctoris authoritas periclitetur, maturè ei proſpexerunt recentiores rabbini à ſententia veterum recedentes, quam author אבקת רובל lib. 2. part. 3. his verbis proponit ש מן החכמים העושים את כל מלאכת הקדש שהתעוררו על העגינים וחורו שבל זה הוא נזה האלף הששי והורונו על העגינים שאמרו שית אלפי שני להוי עלמא וחד חרוב והשביעי יהיה שמטה לה' וכל העולם כולו שבת לה' ויש בני אדם שאומרים כאמרם ז"ל וחד חרוב שאומרים שכול היעולם כולו יחרב מאין אדם ואין יש ואין דבר ביעולם זולתי הוא יתב' לבדו שנאמר נשגב ה' לבדו ביום ההוא *Sunt aliqui ſapientes qui de hac materia ſcribentes totum ſanctetatis* (ſeu liberationis) *opus ad ſextum millenarium referant, dicuntque juxta illud: ſex millenariis durabit mundus & uno vaſtitas, ſeptimo fore interminſionem Domino & totum mundum ſabbathum Domino. Præterea ſunt ex filiis hominum, qui ſecundum illud ſapientum dictum, uno vaſtitas, ſtatuant, totum mundum vaſtatum iri, neque hominem neque rem ullam in eo exſtituram præter ſolum Deum quia dicitur*; Exaltatus erit Dominus ſolus Eſaj. 2. 11. Nec tantum inter filios hominum (per quos ſcriptores Chriſtianos intelligit) exſtant qui ita credant, ſed & *Men. Ben. Iſr. lib. 3. de reſur. cap. 4.* fatetur, ex talmudicis commentatoribus ali-

quos esse qui colligant ex celebri R. Ketinæ sententiâ sex annorum millibus absolutis mundum in pristinum chaos per mille annos convertendum esse, at in fine septimi millenarii mortuos omnes suscitandos esse & tum iterum mundum sex annorum millibus substiturum ut antea, istamque revolutionem septies renovatū iri, quod totum ex sex diebus creationis & septimo quietis, item ex magno jubilæo qui post septem septenarios i.e. anno quinquagesimo Levit. 25. 10. recurrebat, pulchre conficitur. Imò aliqui hinc coniiciunt, nonnullas fortè ex istis septenariorum periodis antequam præsens hic mundus createtur, excurrisse, & hanc nostram esse unam ex intermediis. Sic nugari solent homines qui præter scripturam se sapere profitentur. Hæc procul dubio mens fuit R. Ketinæ, sinon tot mundi revolutiones, saltem ejus vastationem absolutis hisce sex annorum millibus statuentis, & forte omnibus postmodum rabbinis non displicuisset, nisi necessitas eam mutare coegisset, idque ob rationem quam nō dissimulat *Men. Ben Isr.* & author Askat rochel his verbis aperte proponit חלילה חלילה להיות המשכיל' יודע חן בדעת הואת שאפ' לדבריה' כל הטוב העתיד לישר' באלף הששי הוא ובא המשיח קודם חורבן השביעי ובנה המקדש ויחיו המת' אם כן לדבריה' מעט קט תה"ה השמחה והשלוה כרגע הואיל ומותו מיד ומה תועלת בסובלינו הריעות והצרות בגלות הזה וגו' *Absit, Absit, esse sapientes qui ita credant, scil. omne Israelis bōum in hoc sexto millenario evenire debere, Messiam exspectandum, mortuos suscitandos, templum reædificandum ante vastationem septimi. Si enim res ita se habet, gaudium atque tranquillitas admodum brevis erit & ad momentum temporis tantum durabit, & quem tum percipiet fructum Israel, ex eo quod calamitates exilii tam diu sustinuit?* &c. Licet enim sup. p. 309. cum aliis liberationem in sexto millenario exspectare uideatur, initium tamen judaicæ felicitatis hic differt, siquidem ratio hæc

usque

uſque adeo prægnans eſt ut recentiores fere omnes à veterum ſententia receſſerint, omneſque nunc, Meſſiæ adventum, finem mundi, extremum judicium, mortuorum reſurrectionem in idem ferè tempus, ſcil. poſtquam ſex illa millia effluxerint reiiciant, uti ſupra pag. 139. & 175. dictum, & verbis R. Ketinæ חד חריב *uno deſtructio.* i. e. ſeptimo millenario erit vaſtatio, aliam mentem affingant ſuper quâ tamen non conveniunt, aliqui enim per *unum* intelligunt unicum diem quo orbibus cœlestibus ſuſpenſis & ſtantibus immotis, mundus videbitur quaſi deſtruendus, ſed ilico in meliorem ſtatum mutabitur, ubi ſcil. carnale Meſſiæ regnum poſt mortuorum reſurrectionem ſumpſerit initium, ſic *Men. Ben Iſr.* Author *afkat rochel* exiſtimat ſeptimum millenarium vaſtationis dici ob animarum pòpuli Iſraelitici ſub rege Meſſia collectionem, alii vaſtationem illam de regnorum gentium everſione, ut ſolum Iſraeliticum ſtabiliatur, exponunt, vide Abarbenel. in expoſ. dicti Eſaj. 51. 6. Quicquid ſit, quod ratio non potuit, lapſus temporum à contumaci gente obtinuit, ſcil. ut Chriſtianis aſſentiant, in mundi fine demum venturum Meſſiam. Sicut itaque nunc de tempore convenimus qui primus mentis illuminatæ gradus eſt, ſic etiam per Dei gratiam tandem aliquando diſcent, qualis ille adventus ſit futurus, i. e. non primum ſed ſecundum, non ad inſtaurandum regnum aliquod carnale in mundo renovato, ſed mundo deſtructo regnum beatorum in cælo, ut ita carnis ſenſum paulatim exuentes, authorem & fontem ſalutis æternæ Ieſum Chriſtum agnoſcant & venerentur. Hactenus de effato R. Ketinæ, cui illuſtrādo tria illa ſcripturæ loca hic citata ibid. in gemara adducuntur. Primus eſt *Eſaj.* 2. 17. *Exaltabitur Dominus ſolus eo die.* Non ſolum illū locū, ſed & totum caput ad Eccleſiæ Chriſtianæ œconomiam pertinere

nere, aperte liquet ex verſ. 2. & 3. quorum prophetiam per Evangelii prædicationem impletam eſſe conſtat. Imò rationem dicit Eſajas quare Deus faciem ſuam à Iudæis averſurus, ſevere in eos animadverſurus, & nomen ſuum gentibus manifeſtaturus eſſet, oſtenditque, ubi ita egerit, Iuſtitiam ſcil. ſuam contra judæos, miſericordiam erga gentes exercuerit, ipſum ſolum quoad divini ſui nominis exaltationem ea die fore editum. Tantum itaque abeſt ut locus iſte faciat pro regno Iudaico in fine mundi reſtaurando, ut nequidem ad ſecundum veri Meſſiæ adventum propriè ſpectare videatur.

(11) Alter locus petitur ex *Pſal.* 92. 1. *Pſalmus & canticum in diem ſabbathi*, quæ verba ad ſeptimum illum millenarium veluti magnum Dei Sabbathum referūtur, quo ſicut ſeptimo die ceſſavit à mundi creatione, ſic eo ceſſabit ab ejus conſervatione. Liquet inde Doctorem Ketina, non de mundi renovatione (ſicut hodie verba ejus pervertunt rabbini) ſed deſtructione ut propriè illa ſonant, eſſe locutum, alias enim inepte appellaſſet tempus illud *Diem quietis Domini* ſiquidem mundum renovando non quieſceret ſed novum laborem ſuſciperet. Cæterum ſtulta hæc allegatio aliter excuſari non poteſt quam ut ſenſus ei prætendatur myſticus talmudicis familiaris, nam in ſenſu ſimplici canticum ibi præſcribit Pſaltes, non in fine mundi (de quo ne quidem per ſomnium tum cogitavit) ſed quovis die ſabbathi decantandum. Sic Kimchi diſtinguit inter ſenſum ſimplicem & myſticum; Simplicem indicat ubi dicit ביום השבת היו אומרים זה המזמור בבית המקדש *Diebus Sabbathi Pſalmum hunc cantare ſolebant in Domo ſanctuarii.* At in ſenſu myſtico Doctorum conceptus ſuper Pſalmi hujus titulo nobis proponit, qui nimis ſunt elegantes quam ut omittam רו"ל פירשו שהוא על העתיד לבא לעולם שכולו שבת ומניחה והם ימי המשיח

ועוד

עור אמרו בדרש כי אדם הראשון אמר זה המזמור כשנברא בערב שבת וחטא ונתקלל ובשעה שתים עשרה מיום הששי נתגרש מגן ערן בא ליתן הק"בה איפופס"ך פי' גזר דין שימות ונכנס שבת ופנה אותו ובא אדם לומר הימנון בשבת פ"רוש הוראה לשבת שינצל מגזר דין בעבורו *Sapientes b. m. exponunt, canticum hoc decantandum esse in mundo futuro, qui totus erit sabbathum & quies, nimirum in diebus Messiæ. Præterea statuunt, Adamum primum hominem hunc Psalmum ceciniſſe cum creatus esset vespera ante sabbathum, postquam peccasset & maledictus esset. Nam horâ duodecimâ diei sextiex horto Edenis ejectus est, venitque Deus ut sententiã mortis contra ipsum latã exequeretur, verum quia tũ incidit sabbathum (quo quiescendum scil. erat ab opere) ab executione abstinuit. Ideo Adam canticum hoc ceciñit in laudem diei sabbathi, quod propter dignitatem istius diei sententiam mortis evasisset.* Hoc est mystice ineptire.

(14) Idem esto judicium de loco ex Psal. 90. 4. *Mille anni in oculis tuis sicut dies heſternus*, quæ verba sapientes juxta Kimchium ita exponunt, יומו של הק"בה הוא אלף *Dies Dei bened. sunt mille anni*, i. e. septimus ille annorum millenarius erit dies quietis Dei. Sic mysticè; quis autem verus & genuinus sensus sit, ipsa verba ostendunt.

מלחמות גוג ומגוג BELLA GOG ET MAGOG.

ואמרו רז"ל כי קודם לכן יבא משיח בן יוסף ויקבץ הגליות ואחר ו יהיו מלחמות גוג ומגוג ודרשינן בפ' הרואה והמתנשא לכל לראש והמתנשא לראש זו מלחמת גוג ומגוג שנא' הנני אליך גוג נשיא ראש משך ותובל ובפ' החליל דרשין מקרא משניהם בזכריה הנביא וספדה הארץ מ משפחות משפחות לבד וגו' יעל משיח בן יוסף שיהרג ובפ' קמא

Dicunt autem Rabbini b. m. prius venturũ Messiã Ben Ioseph ad colligendas captivitates, & tum fore bella Gog & Magog, prout exponunt cap. *Roeh, exaltatus super omnia in caput* (ex 1. *Par.* 29. 11) Exaltatus in caput, hæc sunt bella Gog & Magog, juxta illud (.1.) *Ezech.* 38. 3. *Ecce me contra te. O Gog, Princeps primarie Meschechi & Thubalis.* Sic cap. *Hachalil* de isto tempore exponunt scripturam quæ exstat (.2.) *Zach.* 12. 11.

דמגלה נמי דריש ליה מרבריה ביום ההוא יגדל המספד בירושלם וג׳

Planget terra, quaque familia seorsim &c. propter mortem scil. Messiæ Ben Ioseph qui occidetur. Et cap primo cod. Megilla ad eundum refertur id quod dicitur vers. 11. *Die illo magnus erit planctus Hierosolymis.* &c.

DIALEPSIS.

(1) Majorem consensum apud Rabbinos cum veteres tum recentiores vix reperias quam in conceptâ de bello Gog & Magog, quam vindictæ cupiditas omnibus suggerit opinione. Nihil in scriptis eorū frequentius uti sæpius in hoc opere observavimus. Coronidis itaque loco subiiciemus quid propriè de hoc bello sentiant & quid subsidii ista fides in sacris literis reperiat. Celebre Ezechielis vaticinium in quo solo peregrina ista Gog & Magog nomina extant, præcipuum theatrum est in quo tragœdia hæc luditur, reliqua quæ adducūtur loca rei cōfirmandæ & illustrandæ tantum inserviunt. Variant autem in belli hujus descriptione. Ab eo tempore quo de scripturæ sensu & vaticiniorum cōplemento laborare cœperunt veteres, Ezechielis prophetia cap p. 38 & 39. comprehensa non exiguam molestiam creasse videtur, cujus vestigia apud priscos Christianæ Ecclesiæ patres extant qui quod non viderent quando & quomodo illa impleta aut implenda esset, in diversa abierunt nec hodieque super ea conveniunt interpretes; verum Iudæis, postquam carnalem liberationem per Messiam credere cœperunt, nullum fuit dubium bellum Gog & Magog in Iudaicæ redemptionis tempora debere incidere, eoque Ezechielis vaticinium esse referendum. Quæ opinio apud *veteres talmudicos* usque adeo invaluit, ut ferè in proverbium abierit, licet nihil certi de gente Gog & Magog istiusque belli circumstantiis tradere possent.

poſſent. Poſtmodum verò errore invaleſcente, ubi luxuriantis rabbinorum cerebri figmentis iudulgeri cœptū, talmudicorum *ſucceſſores* in bello hoc immaniſſimum hoſtem nomine *Armillum*, Romæ ex marmoreâ ſtatua procreandum & cum Meſſia Ben Ioſeph congreſſurum finxerunt, quod monſtrum ſupra pag. 52. nobis deſcripſit author *Aſkat Rochel*. Hujus Armilli nomen reperitur in targum Ionathanis Eſai 11. 4. Verum ubi rem attentius conſidero, Ionathanis paraphraſi à falſario quodam rabbino hoc nomen inſertum eſſe exiſtimo, ſiquidem fabula hæc ejus, qui Chriſto coætaneus fuiſſe videtur, ætatem non ſapit, utpote iis demum temporibus conficta quibus beſtia Romana caput exerere,& non Iudæis tantum ſed & Chriſtianæ Eccleſiæ gravis eſſe cœpit. Et ſanè per Armillum eos Papam Romanum intellexiſſe, non obſcuré indicant, cum eum Roma oriundum eſſe dicunt,adduntque eundem illum eſſe quem Chriſtiani vocant *Antichriſtum*, quo nomine Romanum pontificem nō ultimis hiſce temporibus duntaxat ſed & multis retro ſeculis à multis ſecundum ſcripturæ phraſin inſignitum fuiſſe ex antiquitate conſtat. Deinceps obtinuit ut in extremo hoc & univerſali judæorum cum gentibus bello Armillus crederetur dux Chriſtianorū, Gog autē Dux Iſmaelitarum. Tandem vero *recentiores*, fabulam de Armillo nimis fabuloſam nullaque veritatis ſpecie in ſacris ſubnixam nec talmudicâ authoritate firmatam videntes,eam in medio reliquerunt,novamque belli Gog & Magog faciem conſtituerunt,quam Abarbenel ad cap. 30. Ierem. ſub initium his verbis nobis exhibet במדרש אגרה דרשו הנבואה הואת על מלחמת גוג ומגוג ולזה נטו רב המפרשים ואני כבר פירשתי בספר מעיני הישועה בענין גוג ומגוג ויעתה אפרש זאת הפרשה על פי דרכו הנה רבים מהנביאים נבאו על חרבן האומות בזמן הגאולה ואולם איך יהיה זה ראוה אני מכח הנבואות שבאחרית הימים יעודר הק"בה לרב אומת הנוצרים הנקראי'

הנקראי' היום אדום ליעלות לכבוש ארץ ישראל כי שם עיניה' ולבם כל הימים כי
שם נקבר אלהיהם ויבאו על הארצות ההם ויעשו בישמעאלים ככת חרב והרג
ואבדן רב ובשמוע הישמעאלים שבכל ארצות המזרח והצפון מהרעית שעושם
הנוצרים באנשי דתם ובהיותם הולכים לכבוש העיר הקדושה שהיא גם אצל הישמעאלים
שיער השמים ומקום קדושה רבה יתקבצו ויבאו נגדם ויבאו גלו ואלו למלחמה על
ירושלם ואז תהיה בינ"ה' הריגה עצומה ונקמת ה' עליה' ואותם הבאים ממזרח הם
הנקראים גוג ומגוג ולא יבואו להלחם בישראל כי אם באדום העולים על ארץ
ישראל לקחת אותה מיד הישמעאלים והוא המשפט שיעשה ה' בכל האומות בעמק
יהושפט והיות ירושלם סף רעל לכל העמים ושאר הנבואות שנאמרו על זה ועליו
אמר ירמיהו כאן קול חרדה שמענו פחד ואין שלום ויהיה זה על האופות וגם
לישראל אשר שכה תהיה עת צרה כי הם יפחדו מן העמים ההם אבל מכנו יושע
רוצה לומר שבאותה מלחמה תצא תשועתו לפי שביום ההוא אשבור עולו מעל צוארך
רוצה לומר שמן היום ההוא והלאה לא יהיה עוד עול גבר מהאומות על ישראל
ויהודה ועבודתם תהיה את השם אלקי' ואת דוד מלכם אשר אקים להם והוא
מלך המשיח שימליך מבית דוד *In medraſch Aggada referunt hanc prophetiam ad bellum Gog & Magog, iſtaque expoſitione nituntur multi interpretes, & ego ſic expoſui in libro Majene Hajeſchuah, & nunc denuo hanc ſectionem de eod. ſubjecto intelligo. Multi ex prophetis de deſtructione gentium tempore redemptionis vaticinati ſunt, quam ex ſenſu vaticiniorum tum fore colligo, quando in fine dierum ingentem Chriſtianorum multitudinem (qui hodie vocantur Edom) ad terram Iſraelis ſubjugandam impellet, quia enim ibi ipſorum Deus ſepultus eſt, ideo corda ſua & oculos perpetuò eò convertunt. Venient autem in iſtas oras & ingentem ſtragem edent in Iſmaelitis* (Turcis). *Iſmaelitæ autem qui per totum tractum orientalem & ſeptentrionem verſus habitant, nunciata Chriſtianorum in gentibus ſuæ religioni addictis cæde, & urbē ſanctam, Portam cæli, locum ſanctitatis qui in Iſmaelitarum potentia eſt, occupandi conatu, vires ſuas omnes contra ipſos colligent, & obviam procedent, initoque prope Hieroſolymam prælio, horrendâ in utraque gente cædes erit, & ultio divina ipſis incumbet. Qui ex oriente venient, vocantur Gog & Magog, illique non venient contra Iſraelem pugnaturi ſed con-*

tra

ra Idumæos qui ascendent ad eripiendam terram Israelis è manu Ismaelitarum. Et hoc est judicium illud quod Deus tum exercebit in omnibus gentibus in valle Iosaphat, eritque Hierosolyma pelvis horroris (zach. 12. 2.) *omnibus gentibus & inter alia vaticinia eo spectantia, est hoc Ieremiæ, ubi dicit*: vocem trepidationis audivimus, pavoris, nulliusque pacis cap. 30. 5. *Erit ista trepidatio in gentibus, imò etiam Israelitis qui aderunt, erit tempus angustiæ, siquidem sibi à gentibus istis metuent.* Verùm servabitur ex eo Israel, vers. 7. *i. e. bellum istud erit fons salutis ejus*, nam die illo, dicit Dominus, frangam jugum istius à collo tuo vers. 8. *i.e. ab ista die & deinceps nullius viri ex gentibus jugum erit super Israele & juda*, sed servient Domino Deo suo & Davidi regi suo quem excitabo ipsis vers. 9. *hic est rex Messias qui regnabit de domo David.* Hactenus Abarbenel, qui multum in belli hujus descriptione differt à veteribus. Nihil hic de Armillo, nihil de Messia Ben Ioseph, nihil de præliis Messiæ ben Ioseph & Israelitarum cum copiis gentium. Notandum verò, prout rabbini fidem suam non secundum scripturæ canonem, sed secundum temporum & rerum vicissitudinem metiri solent, idem in belli hujus circumstantiis describendis contigisse. Vixit Abarbenel iis temporibus quibus imperium Turcicum in oriente erectum, captâ Constantinopoli, & subjugato Christianismo longè lateque dominari cœpit, quam injuriam Christianos non laturos existimans, ingenti exercitu Palestinam brevi invasuros istaque occasione judæorum Messiam adfuturū somniabat, sed hactenus delusus fuit. Pari ratione D. Kimchi ducentis & octoginta circiter annis Abarbenele anterior, quo tempore Christiani regnum Hierosolymitanum possidebant, fuit deceptus, quippe putabat Christianorum cum barbaris prælia, bellorum Gog & Magog Messiæque advētus esse præcursoria.

Vide ſup. pag. 227. *Men. Ben Iſr. lib. de reſur. cap.* 5. fabuloſis veterum & temerariis recentiorum conjecturis valere iuſſis bellum hoc generalioribus terminis deſcribit locaque ſcripturæ quibus illud aſſerit, ſuo more paraphraſticè exponit.

Perſpecta judæorum de bello Gog & Magog ſententia, videamus an in dictis propheticis aliquid ſit quod ei fulciendæ inſerviat. *Primus* qui allegatur locus eſt quem diximus, Ezechielis, integris capp. 38. & 39 comprehenſus, Ubi duo examinanda veniunt. I. De qua gente loquatur propheta? II. An quæ iſti genti toto hoc contextu eventura prædicit, adimpleta ſint nec ne? *Prima* quæſtio agitatur circa verſum 2. cap. 38. *Diſpone faciem tuam verſus Gogum terram Magogi principem primarium Meſchechi & Thubalis &c.* Quatuor hic propria occurrunt nomina *Gog*, *Magog*, *Meſchech*, *Tubal*, (nonnulli quintum addunt *Roſch*, quod nos cum Trem. & Iun. ſumimus appellativè) de quibus varia interpretum ſunt judicia. Eſſe quidem nomina gentilitia nemini dubium eſt, nam Gen. 10. 2. Magog, Meſchec & Tubal ſunt ex filiis japheti, quorum poſteritas in totidem gentes effuſa patronymicum retinuit, & regioni quam quæque incoluit indidit, unde nomina virorum propria apud Hebræos, quod flexionem vix admittant tria denotare ſolent. 1. perſonam 2. gentem. 3. regionem, ſic *Iſrael* modò notat patrem Iacobum, modò populum Iſraeliticum ab eo oriundum, modò terram quem gens illa incolit. Idem de his nominibus judicium. De nomine Gog autem in ſpecie notandum, quia inter priſcorum patrum nomina non occurrit, illud procul dubio cum vicino Magog coincidere, adeo ut per aphæreſin מ *Mem* vel eandem terram & gentem denotet quam Magog, vel quod Magog notet regionē & gentem, Gog verò regem ei dominantem, uti

placet

placet R. Salomoni & Kimchio, vel quod Gog sit nomen gentis, Magog autem nomen regionis, ut vult Abarbenel. Quocunque modo sumas, res eod. recidet, modò ejusd. sit originis, eidemque genti & regioni tribuatur, parum enim refert utrum rex à regione aut gente, vel gens aut regio à rege, literula aliqua sive addita sive ablata, nomen acceperit. Sane nomina in profanis historiis celebrata *Gogarene*, *Caucasus* καύκασος (quasi גוג חסן *Gog Chasan* munimentum Gogi dialecto semi-Chaldæa Colchis & Armenis assueta vid. Doctiss. *Bochart.* Phaleg cap. 13.) aliaque loca in ista regione ubi terra Magog quæritur, sita, non obscure ostendunt, Gog non minus quam magog in antiquitate usitatū fuisse, nominaque hæc vel exstitisse synonyma vel saltem alterum alterius designasse partem, sit visimile. Quæritur autem, quasnam in gentium dispersione hi populi sedes occupaverint? Constat ex nominū *Meschec*, & *Tubal* hic & alibi coniunctione, populos fuisse vicinos, gentemque Magog iis contiguam, siquidem vocatur נשיא ראש משך ותובל *Princeps primarius Meschec & Tubal*, vel ut alii, princeps initii Meschec & Tubal i. e. ubi (per terram magog scil.) fit ingressus in terram Meschec & Tubal, vel ut alii, princeps *Roschi* (quod nomen apud profanos authores celebratur pro fluvio circa mare Caspium, unde forte regioni nomen inditū vel vice versa fluvio à regione) *Meschec & Tubal*, adeo ut Princeps Magog dominium etiam in vicinas illas provincias habuerit. Quocunque modo sumatur, gentes illas vicinas fuisse deprehenditur & à notiori de ignotiori quoad situm fieri potest judicium. Ioseph ben Gorion per *Meschec* intelligit *Tusciam*, quem videtur sequi velle paraphrastes Chaldæus in hagiographa Psal. 120 5. qui reddit משך per אוסאי *Ausonios* (vid. notas nostras in Psalmos) sunt autem Tusci & Ausonii populi Italiæ, quos illi

illi credunt à Meſchec traxiſſe originem, & hanc opinionem fovent Aben Eſra & imprimis Abarbenel qui quidem non negat Meſchec & Tubal initio ſedes fixiſſe in oriente verſus plagam ſeptentrionalem, ſtatuit autem שאין ספק שמשם יצאו אוכלוסין מהם להתישב באיץ המערב *nullum eſſe dubium, ex gente illa oriundos eſſe qui poſtmodū inhabitarunt occidentem*, ſcil. Italiam. Rationes vix ullas habet quam quia ita placuit Gorionidi de cujus authoritate quid iudicandum ſit vid.. ſup. pag. 128. &c. ratio quæ â nominibus Meſchec & Tubal petitur nimis eſt furilis quam ut in mediū produci debeat; nec plus momēti habet quod dicit, prophetā conjungere quidem Gog Meſchec & Tubal in principio, poſtmodum verò ubi de ſociis Gogi, omittere Meſchechum & Tubalem, & nominare Perſas, Cuſcheos, Putæos, Gomer, Togarma, verſ. 5. 6. populos orientales & ſeptentrionales, & hoc eſſe indicium, populos Magog, Meſchec & Tubal vicinas olim fuiſſe, poſtmodum tamen fuiſſe ſeparatas, adeo ut Meſchecho & Tubale jam in occidente habitantibus & inter Chriſtianos recenſitis, Gog alios ſibi ſocios populos ſcil. viciniores in hoc bello ſibi delecturus ſit, ideoque nō dicere נשא משך *Princeps Meſchech* ſed נשא ראש *Princeps, primarius Meſchech*, i. e. non quod etiamnū ſit princeps Meſchech, ſed quod olim antequam ſepararentur, fuerit לראשי משך ותובל *inter principes Meſchec & Tubal*. Verùm gratis & fruſtra iſta dicuntur, in quem enim finem nominaſſet propheta Gogum principem Meſchech & Tubal, niſi eſſent populi vicini & quidem ita ut Meſchech & Tubal imperio Principis Magogi eſſent ſubjecti. Imò quod magis abſurdum, ſi prophetæ mens fuiſſet (quod volunt rabbini) deſcribere bellum Gogi cum ſociis ſuis populis orientalibus & ſeptentrionalibus adverſus Chriſtianos populos occidentales, annon omnino præter ſcopum conjungeret

Go-

Gogum cum Meschec & Tubal, illumque horum vocaret principem, qui non tantum longè ab ipso dissiti erant, sed & ejus inimici futuri erant in hoc bello. Neque hic indicare voluit propheta, quænam in initio inter gentes istas fuerit vicinitas & conjūctio, sed qualis illa in hoc quod descripturus erat, bello esset futura. Neque cum alios Gogi socios nominat, excludit Meschec & Tubal, siquidem hos jam nominaverat, non ut Gogi socios sed ut subditos. Magis itaq; placet sētētia Kimchii, qui ait גוג הוא מלך מגוג ומלך שתי האומות האלה משך ותיבל ובאמרו נשא ראש הו' ענין כפול בכלות שונו' והוא כמך על כמוך וכן מבחר וטוב לבנון מספר מפקד העם *Gogum fuisse regem Magog, regemque duarum istarum gentium Meschech & Tubal, illudque: princeps Primarius, rem eandem esse duabus vocibus propositam, duplex nempe constructum, ubi alterutrum sufficere potuisset, juxta illud; delectus & præstantia Libani Ezech.* 31. 16. *Numerus census populi.* 2. *Sam* 24. 9. Vt autem nunc ad institutum propius accedamus, primum hoc membrum sub primâ quæstione propositum doctissima CL. *Bocharti* investigatione, lib. *Phaleg.* c. 12. concludimus, qui ex antiquitate non obscurè colligit, Meschech & Tubal *Moschos* esse & *Tibarenos*, populos apud scriptores Græcos pari ratione junctos uti apud Hebræos in sacris. Hos autem extra controversiam est, sedes habuisse circa mare Caspium, eaque propter terram Magog in iisdem finibus juxta mentem prophetæ quærendam esse, omnino statuimus, & quidem designare *Scythiam*, quæ septentrionem versus populos antedictos attingit, uti verisimiliter colligit idem *Bochart.* d. l. cap. 13. in quo acquiescimus donec rabbini melius nos erudiant. *Altera* itaque *quæstio* est, utrum vaticinium hoc ante multa secula sit adimpletum, an verò in fine muudi demum adimplendum? Posterius statuunt Rabbini, prius Christiani. Sentētia Christianorū fere est, hāc

prophetiam complementum ſuum reperiſſe poſt captivitatem Babylonicam ante adventum Ieſu Chriſti in graviſſimis Seleucidarum ſeu Syriæ regum Alexandri Magni ſub tertia monarchia ſucceſſoribus, bellis contra Iudæos in libertatem reſtitutos, imprimis *Antiochi Epiphanis* tyrannorum crudeliſſimi, qui quos quantasque clades judæis intulerint, & viciſſim Deo populi ſui vindice receperint, teſtantur libri Maccabæorum & Danielis vaticinium. Ratio autem quare hi reges dicantur Gog terræ Magog, hæc eſſe videtur, quod Scythæ, gens bellicoſa & immanis, qui iſtis temporibus Mediam obtinebant, Aſiam depopulabantur, & ad Syriam uſque pertingebant, quippe Hierapolin (Syriacè Magog dictam Plin. lib. 5. 23.) ædificaverant. Non itaque per Gogum præciſè intelligit Propheta Scytham, quaſi ſupremum horum bellorum ducem, ſed junctis variis verſ. 3. & 5. populorum Orientalium & ſeptentrionalium nominibus, copias omnes auxiliares quibus Seleucidæ in bellis contra judæos uſuri eſſent, comprehendit. Frequentius autem nominis Gogi fit mentio quod gens iſta (quam Scythas fuiſſe diximus) tum longe lateque graſſando, quam maxime celebrem omnibuſque formidoloſam famam ſibi paraſſet. Sic quidem communiter quoad hiſtoricum ſenſum exponunt Chriſtiani, habraiſmos non ad literam, quod ſæpè faciunt judæi, (vid. ſup. p. 115.) vexantes, ſed ubi res poſtulat, formulis allegoricis prophetis familiaribus locum dantes. Cæterum in ſenſu myſtico, ubi per Gog principem Magog ejuſque aſſeclas Eccleſiæ Chriſti hoſtes figuratè ut Apoc. 20. 8. intelliguntur, vaticinium hoc nondum omnino adimpletum eſſe, ſed indies ſuis gradibus uſque ad ſecundum Meſſiæ adventum qui ei finem imponet, impleri, omnes conſentiunt. Hanc expoſitionem judæi non

tam-

tantum non refellunt, ſed & nullas habent rationes quibus ſuam fulciant, cujus falſitas apparet 1. In fabuloſa belli hujus deſcriptione, duos enim hic fingunt adverſarios Edom ſcil. & Iſmael, per Edom intelligunt Chriſtianos, per Iſmael Turcas, quibus in hoc bello auxilium ferent alii populi orientales à propheta nominati, inter quos Gog primarius princeps. At *primò* nihil habet propheta de Edom. *Deinde* per Edom Chriſtianos intelligi, ſup. p. 116. &c. oſtendimus eſſe ridiculum. Proindeque futilis eſt Abarbenel, quando in verba hæc: *Gladius cujuſque contra fratrem ſuum erit.* Ezech. 38. 21. gloſſa ſua ludit, dicens חרב איש באחיו תהה לרמז לאדום וישמעאל שהם אחים כפי אבותיהם ראשונים *Edō & Iſmael hic indicari, qui fratres ſunt, habito reſpectu primæ eorum originis.* Ex hoc commento facilè colligitur, quale de tota rabbinorum in hanc prophetiam paraphraſi judicium ferri debeat, cujus idcircò particularia, quippe rem inanem tractaturus ſi facerem, non attingo. 2. Si nexum ſpectemus, veriſimilius eſt Ezechielem qui tum in Babylonica captivitate hærebat in gentis tum captivæ ſolatium prophetaſſe, hoſtiumque iſtorum temporum vaſtationem (cujus præc. capp. etiam mentionem injecerat) prædixiſſe, quam de bello in fine mundi demum gerendo fuiſſe ſolicitum.

(2) *Secundus* locus citatur ex *Zach.* 12. 11. Ubi de planctu Iſraelitarum quem Meſſiæ Ben Ioſeph in hoc bello occidendi mors excitabit. Verùm recentiores qui frigidius de Meſſia Ben Ioſeph (quam opinionem Men. Ben Iſr. appellat *imaginationem veterum* lib. 2. de reſur. cap. 5.) ſentiunt, aliam hujus planctus cauſam exquirunt. Abſurdum enim videri poterat, judæos, quibus hoc bellum tam feliciter cedet, cauſam tamen planctus inde habituros. Peculiari itaque modo hic ſapit Menaſſes Ben Iſr. qui mortem unius alicuius Iſraelitæ

in genere, planctus istius causam constituit q. d. omnes lamentabuntur ob unius interitum, acsi integer exercitus cæsus esset. Admodum jejune & præter mentem prophetæ. Cæterum totius Zach. 13. & 14 contextus, quem Menasse inepta paraphrasi de hoc bello exponit, scopum & ordinem vide sup. p. 74. & 113. Unde abunde constabit de causa planctus, de quo loquitur cap. 12.

Tertium citat Menasse ex Iod. 3. ubi de prodigiis & signi in bello hoc ostendendis, item de loco in quo illud conficietur, nempe valle Iosaphat. Variis locis totum hoc joelis vaticinium excussimus Vid. p. 30. p. 66. &c. p. 206. &c.

Quartum idem ex *Soph.* 3. Quem vide excussum p. 184.

Quintum addit ex *Hag.* 2. 7. *Adhuc unum pusillum est & ego tremere faciam cælos & terrā & mare & aridā* vers. 10. *Major erit gloria domus hujus novissimæ quam primæ nam in loco hoc dabo pacem.* Hic mentionem hujus belli fieri contendit, & templum hoc esse tertium non secundum, quia in secundo pacem non dedit. R. Quis te tam audacem reddidit Menasse ut ista verba de ultimo illo bello exponeres, non tantum contra mentem prophetæ, sed & omnium tuorum Magistrorum? Annon legisti tuum Abarbenelem? Sanè si attentè legisses tā temerè & imprudenter non impegisses, huic enim te ludibrium debere jam videbis. Ut autem hunc locum, qui unus est ex celebrioribus, & quem Christiani contra judæos sæpe allegare solent, accuratius tractemus, varias ejus paraphrases proponemus, quarum breve examen subiiciemus.

TEX-

TEXTVS.

HAG. 2. 7.

כה אמר יהוה צבאות עוד אחת מעט היא ואני מרעיש את השמים ואת הארץ ואת הים ואת החרבה

Sic ait Dominus exercituum, ad huc semel, parum illud est, tum ego commoturus sum cælos & terram & mare & siccum.

Vers. 8.

והרעשתי את כל הגוים ובאו חמדת כל הגוים ומלאתי את הבית הזה כבוד אמר יהוה צבאות

Et commoturus sum omnes gentes ut veniant ad desiderium omnium gentiū, & impleturus sum domum hanc gloria, ait Dominus exercituum.

Vers. 9.

לי הכסף ולי הזהב נאם יהוה צבאות

Meum est argentum & meum est aurum, dictum Domini exercituum.

Vers. 10.

גדול יהיה כבוד הבית הזה האחרון מן הראשון אמר יהוה צבאות ובמקום הזה אתן שלום נאם יהוה צבאות

Major futura est gloria domus hujus posterioris quam illius prioris, ait Dominus exercituum, nam in loco hoc disponam pacem, dictum Domini exercituum.

Paraphrases.

CHRISTIANA. KIMCHII. ABARBENELIS.

Vers. 7.

Sic ait Dominus — Sic ait Dominus — Sic ait Dominus exercit-

exercituum: *Fœdus illud quod postquam ex Ægypto exivissetis, vobiscum pepigi (vers. prac.) ad tempus tantum durare debebat. Verùm novum fœdus vobiscum pangam, & sicut tum commovi terram, sic* adhuc semel *& secunda vice, & quidem* parum illud est, *siquidem brevi evẽturum, ego* commoturus sum cœlos & terram & mare & siccum, *idque non tam quoad ipsas illas creaturas continentes, in quibus varia signa & miracula edentur, sed imprimis quoad earum incolas, quoniam & angeli cœli & homines per universam terram, tam insulas maris quã continentem habitantes, ad novum hoc fœdus commovebuntur, illudque venerabuntur. NB.* Conferendus est hic versus cum Hebr. 12. 26.

exercituum: Adhuc unum *bonum ego vobis faciam, praeter illud quod vobis praestiti, & quidem* parum illud est *in oculis meis quia facilè praestare possum. Bonum autem quod vobis faciam illud est: Cum nunc inimici adhuc vobis sint qui vos in templi hujus exstructione impediunt, ecce* ego commoturus sum cœlos & terram & mare & siccum *i. e. habitantes in iis.*

exercituum; *praeter domum illam primam à Salomone exstructam quam aliqui ex senioribus viderunt*, adhuc unam *ædificabitis, scil. hanc secundam, sed* Parum illa erit, *habita ratione templi primi cum cujus structurâ hoc secundum non æquiparandum. Sed & aliud inconveniens, quod huic tẽplo obtinget vobis indicabo, quod scil. uti nec prius, non perpetuo subsistet, sed eandem sortem subibit, nam* ego commoturus sum cœlos & terram & mare & siccum. *i. e. gentium sydera & influxus, populumque Romanum contra hoc templum, qui locum hunc vastabunt & diuturnum exilium subsequetur.*

Vers. 8.

Et commoturus sum omnes gẽtes *per praedicationem publi-*

Commoturus sum (*inquam*) omnes gentes ut veniant *vene-*

Verùm animum ne despondeatis, tandem enim aliquando tempus

cam

cam Evangelii, ut veniant ad desiderium omnium gētium *scil. verum Messiam quem gentes amabunt.* Et impleturus sum domum hanc *secundam, templum quod exstruitis*, gloriâ *veritatis meæ, potentiæ & misericordiæ quam in Messia filio meo unigenito hanc domum ingressuro in eaque æternam patris sui voluntatem annunciaturo, revelabo*, dicit Dominus exercituum.

Quæ Gloria non in auro nec argento; quo templum primum ornatum erat, consistit. quod si autem hoc secundum iisd. rebus ornare vellē, æque facile mihi hoc foret Meum *enim* est argentum, meum est aurum, Ait Dom. exerc.

rabundæ ad templum hoc visitandum, munera sua in manibus suis gestantes, aurum scil. & argentum quæ sunt res desideratissimæ omnium gentium, *simulque afferent vestimenta & lapides pretiosos ad templi hujus ornatum.* Et *sic* impleturus sum domum hanc gloriâ, ait dominus exercituum.

Vers. 9.

Meum est argentum & meum est aurum, dictum Domini exercituū, *sicut itaque illud do hominibus, & ab illis tollo pro lubitu, sic etiam corda eorum disponam, ut domui huic secundæ dona illa sua cumulatim inferant.*

divina vindictæ istis vastatoribus superveniet, cum populi mei captivitates recolligam, ut templum tertium exstruant, tum enim commoturus sum omnes gentes, ut veniant *ad* desiderium omnium gentium *nimirum Hierosolymam, quam omnes occupare desiderāt, & ibi inito prælio Gog & Magog inter Ismael & Edom universali strage omnes percutiam.* Et *sic* impleturus sum domum hanc *tertiam* gloria *præsentiæ Majestatis divinæ, quæ in templo isto secundo quod exstruitis non apparebit*, ait Dominus exercituum.

Meum est argentum & meum est aurum, dictum Domini exercituum, *quod ego in majori abundātia ad domum istam tertiam conferam, quam olim ad primam, tempore Salomonis.*

Vers.

Vers. 10.

Sed majorem Gloriam quam auream illam & argenteam huic Domui destinavi, illam scil. quam dixi, unde Major futura est gloria domus hujus posterioris quam illius prioris, ait Dominus exercituum, nam in loco hoc disponam pacem, *non quidem pacem hujus mundi, sed spiritualem & æternam, quam magnus ille princeps pacis Messias Christus Iesus in domo hac annunciabit, & merito suo conferet omnibus illis qui in ipsius morte pro peccatoribus, fœdus gratiæ & pacis cum Deo per veram fidem amplectentur.*

Et sic major futura est gloria Domus hujus posterioris *cum ratione temporis, tum ratione structuræ,* quam illius prioris, ait Dominus exercituum. Nam in loco hoc disponam pacem dictum Domini exercituum, *licet enim bellis sub templo secundo infestabuntur judæi, pacis tamen interualla habebunt. NB.* Prioris hemistichii expositionem petit ex Cod. Talm. *Bavabatra Cap. 1. ubi Raf & Samuel* disputant, alter dicit gloriam domus posterioris majorem fuisse gloria prioris ratione temporis, quia posterior substitit annis 420. Prior tantum 410. Alter ratione structuræ, ejus scil. quam templo addidit Herodes, qua, teste Iosepho Gorionide, pulchiorem in toto orbe nemo viderat.

Nam major futura est gloria Domus hujus posterioris, *tertiæ scil. & postremæ* quam primæ *Salomonis*, ait dominus exercituum, nam in hoc loco *perpetuam ego* pacem, *hostibus omnibus debellatis & subjugatis isto tempore* disponam, *quod nec sub templo primo feci nec sub secundo hoc faciam,* dictum Domini exercituum.

Examen.

Ecce variantes judæorum sententias. Errores etiam quos committunt varii sunt, sed quæstio tantum est de sensu versus decimi qui disputationis subjectum est, unde quæ eo propriè spectant, reliquis erroribus neglectis, tantum examinabimus. Veteres cum Christianis recte sentiebant, prophetam non nisi de templo secundo loqui, recentiores autem, quod viderent Christianos triumphare

phare verbis illis *Major futura est gloria domus posterioris quam prioris*, quod effatum, nisi Christiana expositio admittatur, videtur à veritate alienum, maluerunt prophetæ mentem ad templum aliquod tertiũ deflectere, & hanc viam ingressus est Abarbenel, cui ista talmudicorum, à splendore additamenti Herodis & tempore durationis argumentantium ratio nimis videtur jejuna quam ut causam tollat lamentabundæ vocis. *Esr.* 3. 12. *Multi ex sacerdotibus & Levitis primoribusque paternarum familiarum senes, qui viderant Domum priorem in fundatione sua, hac Domo versante ante oculos eorum, flebant voce magnâ.* Ratio fletus exprimitur *Hag.* 2. 3. quia ista domus respectu prioris erat *tanquam nihil* in oculis ipsorum. Vel itaque oportebat fieri Christianum, vel alia Haggæum cum se ipso & Esra conciliandi ratio invenienda erat, Elidenda itaque nobis erunt 1. Utraque judæorum expositio 2. Gravamina quibus Christianam onerat Abarbenel.

Kimchianam quod attinet, confutatur illa A *levitate rerum* in quibus Gloriam templi secundi constituit. Ordiamur à scopo prophetæ. A capitis initio consolatur Deus populum suum animumque tristitia expulsa revocat. Tristitiæ istius causa erat quod templi secundi architecti fabricam suam superba illa & incomparabili templi Salomanici structura longe inferiorem fore considerantes, mœrore inde affecti, quasi in forma templi externa depressiorem reipublicæ statum, & splendorem judaicæ gentis imminutum conspicerent, ab opera cessare videbantur. Solatii autem, animum ad laborem revocantis objectũ hoc erat, quod Deus templũ istud secũdum peculiari aliquo beneficio cohonestaturus erat, quo non tantũ externus ille structuræ splendor quo Salomonis ędes excellebat, cõpensaretur, sed & gloria & dignitate

longè eâ illuſtrior eſſet. Hunc eſſe ſcopum prophetæ, apud omnes judæos qui cum Kimchio ſentiunt in confeſſo eſt, & ſane ipſa verba verſus decimi ita poſtulant. Quæritur itaque quodnam illud beneficium ſit? Expreſſis quidem verbis illud propheta non exprimit, ſed ex verbis verſ. 7' & 8. facilè colligitur. Dicit Kimchi, illud in templi ſecundi reformatione quam Herodes illud de novo ad exemplar templi Salomonici immenſis ſūptibus, exſtruēdo, inſtituit cōſiſtere, de qua legere eſt apud utrumque Ioſephum, Flavium antiq. Iud. lib. 15. cap. 14. Gorionidem lib. 5. cap. 25. tum in honore quem gentes iſti ædificio aurum & argentum pretioſaque munera afferentes exhibebunt. Etiam cum talmudicis ineptit quod partem iſtius gloriæ in duratione conſtituat. Ad hæc omnia *Reſp.* 1. κατὰ Συγχώρησιν. Poſito, Gloriam Domus Dei conſiſtere in ſtructurâ externâ, quæritur an ſtructura illa Herodis tam magnifica fuerit, ut hoc nomine Gloria Domus ſecundæ MAIOR dici debeat quam Gloria domus primæ? Hoc ſane falſum eſt, quicquid enim ſumptuum impenderit Herodes, ad Salomonis tamen Magnificentiam pertingere non potuit, ut ex Flavio facile colligere licet. Neque hoc conſilium fuit Herodi ut templum ſecundum efficeret ſplendidius, ſed ut quantum fieri poſſet, Salomonis archetypo eſſet æquale. Hoc animadvertit Kimchi, ideo partem iſtius Gloriæ quærit in duratione juxta obſervationem nugatoris illius talmudici. q. d. ſi Gloria domus ſecundæ major non fuit quā gloria Domus primæ quoad ſtructuram, ſaltem major fuit quoad durationem, decennio enim diutius ſubſtitit quam prima. Sed quam frivolum hoc ſit nemo non videt. Cum enim gloria Domus Dei non conſiſtat in duratione, ridiculum omnino eſt iſtam domus ſecundæ prærogativam in tam parvo temporis

ſpa-

ſpatio quærere. Neque etiam conſtat de nationibus è cælo, terra, mari & ſicco ad templum Herodis convolantibus, auro & argento ad ferenda munera onuſtis, ut inde huic expoſitioni aliquid ſubſidii accedat. *Reſp.* 2. ad Ἄγνοιαν. Fatentur judæi, Gloriam domus primæ in quinque rebus conſtitiſſe, vide ſupr. pag. 153. inter quas Arca fœderis & præſentia Divinæ majeſtatis principem locum obtinent. His in templo ſecundo amiſſis, Gloriam ejus minime comparandam eſſe docent cum Gloria templi primi, ſed in templo tertio rerum iſtarum & per eas priſtinæ gloriæ reſtaurationem exſpectant & hinc inepta illa vocis אכבר *Glorificabor* Hag. 1. 8. punctatio, qua Gloriæ defectum in templo ſecundo indigetant. Hac ſtante doctrina periit tota Kimchii expoſitio, cum in ſtructura & ſimilibus rebus externis iſta Gloria non funderur.

Niſi itaque novam rationem inveniſſet *Abarbenel*, ad ſilentium redacti erant miſeri homines, non habentes quid ad verba Haggæi tam perſpicua reſponderent. Hic ergo templo tertio tandem aliquando inſtaurando hunc gloriæ exceſſum tranſcribit, atque ita ab omni moleſtia ſe & ſuos liberaſſe putat. Verum quam vanum hominis effugium ſit unico indicio tam evidenti commonſtrabo, ut pluribus eum argumentis ſtringere minime neceſſarium ſit. De quo templo loquatur Propheta ipſe oſtendit expreſſo pronomine demonſtrativo quo utitur verſ. 4. *Quis inter vos reliquus qui viderit* את הבית הזה *Domum hanc in gloria ipſius priore?* ubi abſque conteſtatione per הבית הזה intelligitur templum ſecundum exſtructum in locum prioris cujus fuerat iſta gloria quam viderant ſeniores. Sic iterum verſ. 8. nec ipſe Abarbenel negat per הבית הזה *hoc templum*, eſſe intelligendum idem templum ſecundum, nec aliter eſſe potuit, loquebatur enim de illo templo quod tum ante oculos habebant judæi, &

quod ædificabant. Quis jam ſanæ mentis homo, ubi tertiâ vice eodem nomine demonſtrativo abſque ſubjecti variatione verſ. 10. utitur propheta in vocibus הבית הזה האחרון *Templi HVIVS poſterioris*, eas de alio quodam templo quam de eod. ſecundo intelligat? Quod ſi hic demonſtrativum הזה H O C omiſiſſet, facilius ejus mentem pervertere, quod tibi familiare Abarbenel, & templo tuo tertio hominibus tuis imponere potuiſſes. Sed hic operam tuam perdis & fruſtra perverſus es, mirorque quomodo tam impudenter & malevole in vocibus tam nudis & planis ludere auſus fueris.

Trium autem objectionum pondere Chriſtianam expoſitionem gravat argutator. I. *A tempore* verſ. 7. עוד אחת מעט היא *Adhuc unum & parum illud*, quod cum Chriſtiani de Meſſia brevi tēporis ſpatio tū adfuturo exponāt, non quidem carpit expoſitionem, de tempore enim verba Hebræa ſumi poſſunt, ſed abſurdum infert ab eventu, ſiquidem à tempore vaticinii hujus uſque ad Ieſum Chriſtum ad minimum 4. ſecula interceſſerunt quod ſane intervallū dici non debet עוד אחת מעט היא *Adhuc unum illudque parum.* Et quo magis ſtringat, adducit verba Mich. 4. 1. *Erit ultimis temporibus* &c. quæ cum ſimiliter Chriſtiani de temporibus Chriſti intelligāt, iſtis collatis abſurdum eſſe ait brevi temporis ſpatio eventura dicere quæ in tempora ultima i. e. admodum longinqua adhuc dilata ſint. *Reſp.* 1. Arrige aures *Ben Iſrael*, imò dorſum potius. Vapulant Chriſtiani tuo Abarbeneli quod tempus quatuor ſeculorum *unum temporis puſillum* appellare audeant, & tibi potius debentur iſti ictus, qui ingens illud ſpatium inter Haggæum prophetam & Magogicum tuum bellum in fine mundi gerendum *unum puſillum* nominare non vereris. 2. Annon liceret Chriſtianis quatuor iſta ſecula vocare אחת מעט היא *unum puſillum* eo-

dem

dem jure quo judæi tempus exilii ſui quod jam in ſexdecim ſecula excurrit vocant קטן רגע *parvum momentum* Eſaj. 54. 7. 3. Adde, ſi verba מעט היא cum *Iun. & Trem* non de tempore ſed de fœdere, de quo verſ. præced. exponere vellemus, quaſi dixiſſet propheta; *Adhuc unum* fœdus vobiscum pangam ſcil. ſpirituale & æternum nam prius illud legale *parum eſt* & valde exiguum; prima hæc Abarbenelis objectio foret eliſa. 4. Verum ratione non caret quod tempus illud quatuor ſeculorum dicatur *unum puſillum*, ſi Moſaicæ legis œconomiam ſpectemus, quæ jam exactis decem circiter ſeculis ad finem decurrebat & adhuc unum puſillum reſtabat uſque ad revelationem Evangelii, quod quia in ultimam mundi periodum etiam juxta talmudicorum partitionem vid. ſup. 497. incidit, non immeritò ejus ævum à propheta Michâ vocatur אחרית הימים. II. *A ſenſu* verſus. 7. *Commoturus ſum cælos & terram & mare* &c. quæ verba eundem referre ſenſum, quem habent illa parallela verſ. 22. ejuſd. capitis *ego commoturus ſum cælos & terram, & ſubverſurus ſum ſolium regnorum* &c. extra dubium ponit. Iam verò addit Dominus ibidem ſub finem prophetiæ, *Die illo* (nimirum quo ita commoturus ſum) *aſſumam te Zerubabel fili Schealteel ſerve mi, ponamque te ut annulum ſignatorium.* Hinc concludit: Si iſta commotio de qua in fine prophetiæ, ipſo Zerubalele adhuc vivente evenire debebat, uti expreſſis verbis ibi docetur, etiam illa de qua verſ. 7. eid. Zerubabelis tempori aſſignanda eſt, ſiquidem ſunt loci paralleli. Exindeque etiam colligit, commotionem illam gentium non fore ut doctrinam eccleſiæ ſuſcipiant tempore Chriſti juxta expoſitionem Chriſtianam, ſed ut eam evertant, quandoquidem in iſta commotione Deus ſe regnorum ſolia veluti judaicæ genti gravia ſubverſurum prædicit, quod Zerubabele vivente impleri

debebat, non verò in quintum reiici ſeculum & ultra. *Reſp.* 1. κατὰ τὸ βίωμον Quod ſi verſus 5. & 22. ſunt paralleli, & eundem referunt ſenſum, eandem commotionem & idem tempus deſignantem, quantò magis verſus 7. & 8. tam vicini erunt paralleli, ſiquidem utrobique continuato ſermone eademque repetita voce *Commoturus ſum* iſte gentium affectus bis deſignatur. Quis te ergo tam audacem reddidit, Abarbenel, ut duos iſtos verſiculos quoad ſenſum ſeiungeres, ſeptimum ſcil. exponendo de gentium commotione tempore Zerubabelis & Romanorum, octavum vero de commotione gentium in bello Gog & Magog tempore exſtructionis templi tui tertii, de quo toties ſomnias, ubi aliquot ſeculorum millia inter utramque commotionem interſunt, quem immenſū hiatum tu hic conſtituis, licet in continuato ſermone ne verbulum intercedat quod vel minima ſpecie ſomnio tuo favere poſſit. Quis tibi in ſcripturâ prophetica tam impudenter graſſandi licentiam conceſſit? Si, quæ remota erant, poteras conjungere, annon etiam quæ conjuncta erant, poteras conjuncta relinquere? *Reſp.* 2. Cæterum, ut Chriſtani multum ſint ſoliciti, quomodo homini ad hoc ſuum argumentum reſpondere debeant, non eſt neceſſe, ipſe enim araneus telam quam texuerat inducit, nam ubi quæritur de ſenſu & veritate loci: *Aſſumam te Zerubabel, ponamque te ut annulum*, vide quomodo reſpondeat. כבר הודעתיך בשאלות מה שיתחייב בזה מהספק לפי שזרובבל לא מלך בירושלם ולא כשל בה לא הוא ולא אדם מזרעו אבל מיד אחר בנין הבית שב לבבל ושם כת בגלותו ואיך יאכר ביום ההוא אקחך זרובבל כי אחר מפלת מלכות פרס לא נזרע זרובבל בגדולה ולא נזכר שמו בעולם ומה יהיה ג'כ ענין ושמתיך כחותם כי בך בחרתי שהחותם הוא כטבעת שהארם מביא בידו לא הסיר ממנה לא ביום ולא בלילה ומתי נתקיים בזרובבל אבל אמתת הענין הזה הוא אצלי שהש"י הודיע את זרובבל שענין הבית השני לא יתמיד כי תבא אחריו גלות אחרת ועל זה אמר אני מרגיש את השמים ואת הארץ שהמערכות השמימיות יחייבו על בני יהודה רעה וכן מארגע כנפות הארץ יבאו עליה' חיל הרומיים להחריב

להחרים ירושלם ולהגלות את עמה ואחר כך זמן הרבה יקח השם נקמתו מהאומות
ההם אשר אכלו את יעקוב ואת נוהו השמו ועל זה אמר והפכתי כסא וגו׳
והודיע לו עוד שהמלך אשר ימלוך בישר.ל בזמן גאולתם משיח מזרע זרובבל
ומבית דוד וראה הק״בה להודיעו כל זה כדי לנחמו ולדבר על לבו וכאלו אמר
לו הן אמת שלא תמלוך אתה בזמן בית שני ולא איש מזרעך אבל בוא יהוא
שיהפך השם יתב׳ כסא ממלכות הגוים בקבוץ עמו ישראל וגאולתם אז תמלוך
אתה אל יעמי כי מזרעך יהיה המולך מישראל בעת ההיא עד עולם ועל זה אמר
אקחך זרובבל בן שאלתיאל עבדי ושמתך כחותם כי בך בחרתי כי להיות מלך
המשיח מזרעו אמר שיקחהו והוא על דרך מה שאמר ודוד עבדי נשיא להם
לעולם שמלך המשיח הוא יהיה דוד הוא יהיה זרובבל להוותו חותם יוצא מגוזם.

Nunc erudiam te quid ad propoſitum dubium reſponderi debeat. Non regnavit Zerubabel Hieroſolymis, nec ipſe nec quiſpiam de ſemine ejus, ſed ſtatim poſt exſtructum templum in Babyloniam reverſus eſt, ibique vitam finiit in captivitate, quomodo ergo dicitur? die illo aſſumam te Zerubabel ſiquidem poſt exciſionem monarchiæ Perſicæ nullam habuit dignitatem Zerubabel neque cognitum fuit ipſius nomen in mundo. Quid præterea ſibi vult, cum dicitur. Ponam te ut annulum ſignatorium, quia te elegi? quippe annulus ſignatorius annulus eſt quem aliquis in manu ſua geſtat, nec unquam die nocteque deponit, quando hoc adimpletum in Zerubabele? Senſus loci ſecundum meam ſententiam his eſt. Voluit Deus notum facere Zerubabeli, domum ſecundam non ſemper ſubſtituram, ſed novam captivitatem ſucceſſuram, de qua dicit: Ego commoturus ſum cælos & terram, quod acies cæleſtes malum dereturæ eſſent contra judæos, & à quatuor terræ lateribus Romanorum exercitus ipſos invaſurus eſſet ad vaſtandam Hieroſolymam & populum ejus in captivitatem abducendum. Poſtmodum verò multo tempore elapſo, Deum de gentibus illis ultionem ſumpturum, quæ Iacobum devoraſſent, & habitaculum ipſius vaſtaſſent, & huc reſpicere verba illa: Subverſurus ſum ſolium regnorum &c. Etiam ſignificavit ipſi, regem qui tempore redemptionis in Iſraele regnaturus eſſet, fore de ſemine Zerubabelis & de domo Davidis. Viſumque

ſuit

fuit Deo hoc ipsi indicare ut consolationem inde caperet, & bono animo esset. q. d. Verum quidem est te non regnaturum tempore domus secundæ, nec quemquam de semine tuo, sed illo die quo eversurus est Deus regna gentium in collectione populi sui ejusque redemptione regnabis super populo ipsius nam rex Israelis qui tum regnabit in perpetuum, de semine tuo erit, ideo dicit: Assumam te Zerubabel fili Schealteel serve mi & ponam te ut annulum signatorium nam te elegi. Quia enim rex Messias de semine ipsius nasciturus erat, se assumpturum ipsum dicit, quemadmodum dicitur: Et David servus meus princeps eorum erit in seculum Ezech. 37. 25. Sic rex Messias erit David, erit Zerubabel, quia erit surculus de trunco ipsorum. Agimus tibi gratias Abarbenel quod ipse ex cassibus tuis nos expedias. Si jam differs in finem mundi promissionem factam Zerubabeli, quare ergo supra dicebas אם האחרון היה בימי זרובבל לא אחריו ארבע מאות שנה גם הראשון א׳ אפשר לפרשו אלא כן *Si posterior parallelorum de diebus Zerubabelis intelligendus est, non vero promissionis impletio post quatuor secula reiicienda, prior etiam aliter exponi non debet.* Et tu non tantum quatuor illis seculis sed & aliquot seculorum millibus promisso honore privas Zerubabelem. Vide quomodo tibi constes homo levis. Cæterum rectè sentis, non ipsi Zerubabeli sed semini ejus Messiæ sub ejus nomine, promissionem esse factam, nisi prophetæ fidem frustra solicitans, tempus impletionis templi secundi periodo inclusum prætergressus, in alio quæreres quæ jam secundum mentem vaticinii in Iesu Christo Davidis & Zerubabelis filio effectum sortita esse agnoscere debuisses. III. Frustra etiam argumentaris à *ratione* addita ad vers. 10. *Nam in loco hoc disponam pacem*, quam sub templo secundo non sint experti. Aliud enim quam carnale pacis genus per adventum Iesu Christi Deus disposuit, uti in Christianâ paraphrasi ostendimus.

Sex-

Sextum locum citat idem Menasse ex Psal. 2. 1. *Quare tumultuantur gentes? sistunt se reges contra Dominum & Christum ejus.* &c. Quæ verba refert ad bellum Gog & Magog & Messiam in fine mundi judæis revelandum. R. At Kimchi totum Psalmum secundum de Davide exponit, fatetur tamen, veteres rabbinos illum intellexisse de Messia & bellis Gog & Magog. Veterum fides circa hunc Psalmum erat orthodoxa, sed quam talmudici à vero Messia ad imaginarium detorserunt, recentiores verò ut longius abessent à Messiâ, in quem cum veteribus oculos defigunt Christiani, totum ad Davidem revocant & hoc tutius esse existimant, siquidem in exponendis vaticinijs is citius causa cadit qui in objecto adhuc futuro complementum quærit quam qui in præteritò, hic enim nititur experientia quæ in singulis suis partibus firmissimæ rationis loco est, ille autem inani conjecturâ quæ nihil probat nisi cum res ad finem fuerit perducta. Ut itaque aliquid solidi in hac expositione afferrent, in objecto præterito, Davide scil. subsistere maluerunt, quam cum imaginario Messia quem frustra exspectant, palpare in tenebris. Sed si verum Messiam apprehendere voluissent, à veterum fide recedere non erat necesse, solide enim Psalmum hunc exponere potuissent de Messia non futuro sed præterito sc. jesu Christo, in eoque reperissent, quæ de Davide nunquam verificare poterunt. Frustra ergo ad bellum Gog & Magog in sensu judaico traducitur iste gentium fremitus, nisi prius (& quidem contra ipsum Kimchium, nam Christianam expositionem hic non attingo) probatum fuerit, vaticinium hujus Psalmi hactenus nulla ratione fuisse impletum.

Hactenus doctrinam judæorum de *Adventu Messiæ* ex

libro primo *Aſkat Rochel* confutavimus, locis ſcripturæ omnibus in hanc rem adductis accuratè excuſſis & veritati reſtitutis. Plura quidem dicto libro continentur, ſed quæ intacta relinquimus, quod talmudicas ineptias nimis ſapiant & ad hanc materiam propriè non ſpectent.

Antequam autem huic controverſiarum parti finem imponamus, loco appendicis ſubjungere libet Abarbenelis de 70 vaticiniis Danielis breviarium latinè redditum & cenſura emendatum, quo univerſum commentarii ſui in Danielem dicti מעיני הישועה (qui liber in magno pretio eſt apud judæos) materiam complectitur.

RECAPITVLATIO LIBRI
מעיני הישועה
Fol. 90. Edit. Amſtelod.

אמר יצחק אברבנאל הנה נא לי שתים עשרה עינות מים חיים מים טהורים טים עליונים חמים אשר מעל השמים ושבעים תמרים מתוקים מרבש ונופת צופים שתולים בבית ה' הוא הספר הקדוש הזה בספורו ונבואותיו ואחרי כלותי מלאכת ה' זאת וכנה אשר נטעה ימיני היתה לי ערנה להביא בחתימת הזאת על דרך כלל העתידות כלם שראה דניאל בנבואותיו הד' שנזכרו בסוף הספר כפי מה שפרשתי ממנו. ויהיה זכרונם א' לא' למצא חשבון ולכתוב על כל א' בצדה אם נתקיימה כבר כפי ערות מו"ל וגם המספרים

DIcit ISAAC ABARBENEL: Ecce duodecim fontes aquarum viventium, limpidarum, è cœlo deſcendentium, & ſeptuaginta palmas (Exod. 15. 27.) melle dulciores & diſtillatione favorum, plantatas in domo Dei, hoc ſcil. libro tam hiſtoriæ quam vaticiniorum ratione, ſancto. Poſtquam verò divinum hoc opus quod planta eſt quam dextera mea plantavit, abſolvi, reſtat ut loco concluſionis ſumma rerum futurarum capita recolligam quas vidit Daniel in quatuor ſuis vaticiniis ſub finem libri propoſitis, prout ea expoſuimus. Vniuſcujuſq; autem prædictionis recordabor addita deciſione utrum jam modò impleta ſit, juxta mentem ſapientum beatæ memoriæ, aliorumque interpretum calculos qui non ſunt ex filiis Iſrael, an vero adhuc

adhuc implenda reſtet. Omnia obiter & paucis verbis dicam, utpote pluribus antea expoſita, quo lectorem remitto. Non ſequar autem hic ordinem ſcripturæ & ſectionum ſed temporis tantum, quo res prædictæ impletæ ſunt, ſucceſſionem obſervabo. Et ubi duas vel plures Danielis intentiones citavi, unicam tantum hic eamque juxta mentem meam veriſimiliorem retineo, ut ita numerus prædictionum ſancti prophetæ omni dubio remoto ſibi conſtet, nec verbis ejus præter neceſſitatem quicquam addam, cum enim primò ad opus hoc me accingerem, reperi hiſtoricos omnes concurrere in numero ſeptuaginta prædictionum & rerum mirabilium quas Daniel in vaticiniis ſuis certis tēporum intervallis eventura, antequam evenirent, mirabiliter prævidit. Proindeque mihi perſuaſi, etiam ſapientes numeraſſe ſeptuaginta pālmas quæ pullulant & florent in hoc horto Dei inter fontes, veluti ſalices inter rivos aquarum (Eſaj. 64. 4.) Quarum cenſus hic eſt.

(1.) Prædixit, in deſtructione Monarchiæ Babylonicæ gentes & regna quæ ei ſubjecta erant, primo loco vaſtanda eſſe, antequam magna Babel ſubjugetur, ſicut ſcripſit: *vidi usque dum ala ipſius evulſa eſſent.* cap. 7. 4. quod ſecundum expoſitionem ſuam evenit. (2) Prædixit, poſt regnorum imperio Babylonico ſubditorum ſubactionē etiam Provinciam magnæ Babylonis vaſtandam

אשר לא מבני ישראל המה בספור דברי הימים אשר להם אז אם לא נתקיימה עדין ועתידה להתקיים. וכל זה בקצור דברים ויש מלין אומר כי סומך אני על מה שכבר באתי ולא אוכרם פה כפי הסדר הכתובי' בפרשיות כ"א כפי זמן הדברי' קדימתם ואיחורם במציאו'. ואף שפרשתי נמאמרי דניאל ב' כוונות או יתר הנה אנכי לא אזכיר בלוח הזה בספר רוב העתידות כ"א אחד מהכוונות בלבד חיותר אמיתי ומתישב' אצלי כדי שיצדק בלי ספק מספ' העתידות שראה וניבא הקדוש הזה. ולא אוסיף על דברו יותר כהזכרתי. וכאשר באתי על ענינם בזה הזה מצאתי השתרגו יעלו כלם למספר שבעים יום ונפלאות עתידות שראה דניאל בנבואותיו בפרשות ואמות זמני נפלא מאד קורם היותם. ואמרתי אני אל לבי גם אלה לחכמים ע' תמרים אשר פרחו וצמחו בגן אלקים בין מעיני הישועה כערבים על יבלי מים וזה זכרונם.

א ניבא שבחרבן בבל האומות והמלכיות שהיו תחתיו יאבדו ראשונה קורם כבוש בבל רבתא וכמו שהכתוב רומז על זה חזי הוית עד דכרסוי נפיה כפי מה שפירש וכן היה. ב ניבא שאחרי כבוש המלכיו והארצות הנכנעו' למלכו' בבל תכבש מדינ' בבל רבתי ותשומם וכמ"ש ונטילת פן ארעא וכן היה. ג

ניבא שמלכות פרס ומדי תמלוך בכיפה אחרי מלכות בבל וכמו שאמר וארו חיוא אוחרי תנינא דמיא לדוב ובחזון אמר ראיתי את האיל מנגח וכן היה. ד ניבא שלא תהיה מלכות פרס חזקה ומושלת במלכות בבל בכל הפאות כמ"ש ולכטר חד הקימת כמו שפיר' ולכן המשיל גבל לאריה ופרס ויון לדוב שאין כ"כ גיבור וכן היה. ה ניבא שיתחברו בכורש שלש מלכיות מדי ופרס ובבל שהוא כולל למלכות כשדים וכמו שאמר בחלום בתחלה ותלת עלעין וגו' וכן היה. ו נבא שכורש ינק חלב הכלבת וישקראו לו לגנאי כלב אוכל בשר שניא כמ"ש וכן אמרין ליה קומי אכלי וגו' במו שפירשתי וכן היה. ז ניבא שמלכות יון תכבוש ותחלוק על מדי ופרס וכל ממשלת הפרסיים ובכיפה כמו שאמר וארו אחרי כנמר ובחזון אכר ין את איל וגו' וכן היה. ח ניבא על גבורת אלכסנדרום מוקדון שהתחיל הממשלה ביון כמ"ש עליו וצפיר העזים הגדיל וגו' ואמר ולא היה מציל לאיל מידו וכן היה. ט ניבא על מהירות היונים בדבריהם ובכיבוש הארצות כי על כן ראה נגמר גפין ארגע די עוף על גביה

dam esse, juxta illud, *& sublata est de terra Ibid.* Et sic evenit. (3.) Prædixit, Regnum Persarum & Medorum, destructa monarchiâ Babyloniorum, ad summum imperium evectum iri, uti ait, *Ecce bestia altera secunda similis urso vers.* 5. & in visione dicit *videbam arietem cornu petentem, cap.* 8. 4. Et ita fuit. (4.) Prædixit, monarchiam Persarum non admodum potentem fore, neque omnibus Babylonici regni provinciis dominaturam, ubi ait, *ad latus unum erexit, cap.* 7. 5. quemadmodum exposuimus, ideoque comparatur Babel cum Leone, Persia autem & Græcia cum urso, quia tanto robore non pollet, & ita fuit. (5.) Prædixit, in Cyro tria regna coniungenda esse, Medorum scil. Persarum, & Babylonicum quod comprehendit regnum Chaldæorum, quemadmodum dicit in principio somnii; *Et tres costæ &c Ibid.* & ita fuit. (6.) Prædixit, Cyrum fucturum lac caninum & per contemptum vocandum esse canem qui multam carnem devorat; ait enim: *cui ita dicitur, surge, comede carnem multam. Ibid.* & ita fuit. (7.) Prædixit, Regnum Græcorum, regna Mediæ & Persiæ subjugaturum, totamque Persarum Monarchiam ad se transferaturum, dum ait: *Ecce alsa similis pardo vers.* 6. & in visione ait, *& percussit arietem &c. Cap.* 8. 7. & ita fuit. (8.) Prædixit de potentia Alexandri Macedonis, ipsum imperii sui initium facturum in Græcia, dicit enim de ipso: *Hircus è capris magnus evasit &c. vers.* 8. dicitque, *nec fuit qui eriperet arietem ex manu ipsius: vers.* 7. & ita fuit. (9.) Prædixit de festi-

ובחזון אמר וירץ אליו בחמת כחו וכן היה. י ניבא שימות אלכסנדרוס מוקדון בבחרותו ועונם מעלתו פתאום וכמ"ש בחזון וכיעצמו נשברה הקרן הגדולה ובמראה האחרונה אמר ובעמדו תשבר מלוכתו וכן היה. יא ניבא שאחרי מות אלכסנדרוס מוקדון יתחלק מלכותו לד' מ מלכיות ולכן בחלו' בתחלה ראה לנמר ד' ראשים ובחזון אמר ותעלינה חזות ד' תחתית לד' רוחות השמים וכן היה. יב ניבא שלא יגיע א' מהמלכים אשר יקומו אחריו למעלתו ועצמותו כי על כן אמר בנמר שלטן יהיב ליה ובחזון אמר ארבע מלכיות מגוי יעמודנה ולא בכחו וכן היה. יג ניבא ששבועים שבעים מהשנים שהם ת"ץ שנה יהיה מחרבן ראשון עד הרבן שני וכמ"ש שבועים שבעים נחתך וכן היה. יד ניבא שאחרי שבועים שביעה לגלות בבל יהיה זרובבל משיח נגיד או הכהן הגדול שעלה לבית שני או שיתן רשות כורש לעלות לירושלם וכמו שאמר עד משיח נגיד שבועים שבעה. טו ניבא שאחרי הזמן

festinatione Græcorum tam in verbis quam subjugatione terrarum, ideo vidit quod pardus *haberet alas quatuor volucris in dorso suo. Cap.* 7. 6. & in visione dicit: *incurrit in eum excandescens viribus suis cap.* 8. 6. & ita fuit (10.) Prædixit, Alexandrum Macedonem moriturum in juventute sua, & robur dignitatis ipsius citò periturum, uti dicit in visione; *& cum roboratus esset, fractum est cornu illud magnum. vers.* 8. Et in ultima visione dicit: *Et cum obstiterit, frangetur regnum ipsius Cap.* 11. 4. & ita fuit. (11.) Prædixit, post mortem Alexandri Macedonis imperium ejus dividendum esse in quatuor regna, nam in principio somnii vidit in pardo *quatuor capita cap.* 7. 6. & in visione ait; *& assurrexerunt conspicua quatuor loco ejus in quatuor ventos cæli. cap.* 8. 8. Et ita fuit. (12.) Prædixit, nullum ex regibus illis qui ipsi succedunt, dignitate & potentia ipsi fore parem, ideo dicit de pardo, *& potestas ipsi data. cap.* 7. 6. & in visione ait; *quatuor regna ex sua gente assurgent, sed non cum robore illius. cap.* 8. 22. atque ita fuit. (13.) Prædixit, septuaginta septimanas annorum, quæ 490 annos conficiunt, intercessuras inter vastationem primam & vastationē secundam, sic enim ait: *septimana septuaginta decisa sunt super populum tuum cap.* 9. 24. & ita fuit. (14.) Prædixit, postquam Babylonica captivitas septem septimanis duraverit, adfuturum Zerubabelem Messiam antecessorem, vel summum sacerdotem ascensurum ad templum secundum, vel Cyrum Hierosolymas abeundi facultatem ipsis concessurum, nam dicit; *Usque ad Messiam anteceßorem erunt septimana septem vers.* 25. (15.) Prædixit, post tempus istud

ההיא יתן דריוש רשות להשלים בית ה' וחומות ירושלם וכמו שאמר תשוב ונבנתה רחוב וחרוץ וכן היה. יו ניבא שבנין ירושלם ובית ה' היה מתוך מלחמת שכניו הרעים וגם כל ימי בית שני יהיו בני יהודה במלחמות וצרות וכמ"ש תשוב ונבנתה ובצוק העתים וכן היה. יז ניבא ש'תמידו בני יהודה בארץ קודם בנין הבית ואחריו עד בא הרומיים תל"ר שנה וכמ"ש ושבועים ששים ושנים וכן היה. יח ניבא ש' שנים ילחמו הרומיים בערי יהודה ובמצור בימי אספסיינוס וטיטוס עד שנלכדה העיר שנא' ואחרי השבועים ששים ושנים וגו' והעיר והקדש ישחת וגו' וכן היה. יט ניבא אגריפס מלך יהודה האחרון יהרג והעיר והקדש ישחיתו הרומיים כמ"ש ואחר השבועים ששים ושנים יכרת משיח ואין לו וגו' וכן היה. כ ניבא ש' השנים שנלחם אספסייאנוס וטיטוס בערי יהודה וירושלם יקראו תמיד את ה' היהודים לשלום ושיכנסו בברית הרומים כמ"ש והגביר ברית לרבים וגו' וכן היה. כא ניבא שנ' שנים קודם חרבן ב"ה יבוטל התמיד בכבות מלחמות הרומים ורשעת הפריצים כמ"ש וחצי שבוע ישבית וגו' וכן היה. כב ניבא שתבא העיר ירושלם

Darium facultatem concessurum absolvendi Domum Dei & muros Hierosol. ait enim, *rursus ædificabitur platea & fossa. Ibid.* & ita fuit. (16) Prædixit, Hierosolymam & Domum Dei in mediis bellis cum impiis vicinis ædificandam esse, & toto illo tempore quo stabit templum secundum bella & angustias fore judæis, cum dicit: *idque in angustia temporum. Ibid.* & ita fuit. (17.) Prædixit, commoraturos esse judæos in terra ante & post exstructum templum usque ad Romanorum adventum 434 annis, dum ait, *deinde septimanas sexaginta duas. Ibid.* & ita fuit. (18) Prædixit, Romanos septem annis bello infestaturos civitates Jehuda & tempore Vespasiani & Titi urbem usque ad expugnationem obsessuros, ait enim *Post septimanas sexaginta duas &c. civitatem ipsam & sanctum perdet &c. vers.* 26. & ita fuit. (19.) Prædixit Agrippam ultimum regem Iuda esse occidendum, & Romanos urbem & sanctum vastaturos, ait enim: *Post septimanas sexaginta duas excidetur Messias cum nihil erit ipsi.* &c. *Ibid.* & ita fuit. (20.) Prædixit, septem illis annis quibus Vespasianus & Titus bellum inferent civitatibus Iudæ & Hierosolymæ, Romanos pacem oblaturos Iudæis, & ad ineundum fœdus invitaturos, juxta illud: *corroborabit quidem fœdus multis &c. vers.* 27. & ita fuit.. (21.) Prædixit, tribus annis ante vastationem domus secundæ juge sacrificium ob bella Romanorum & latronum impietatem esse abolendum, ait enim: *& in medio septimanæ abolebit &c. Ibid.* & ita fuit

להשחותה וחרבן מוחלש ויגלו בני יהורה בימי הרומיים על עוונותיהם וכמ"ש ועל כנף שקוצים משומם וגו' וכן היה. כג ניבא על מלחמות מלך מצרים ומלך אשור הקטנה שתהיה ביניהם כמ"ש ויחזק מלך הנגב וכן היה. כד ניבא שיהפשרו שני הכלכים וכדי לעשות שלום ביניהם תנשא בת מלך מצרים למלך אשור וכמ"ש ולקץ ימים יתחברו וגו' וכן היה. כה ניבא שהאשורים יהרגו מלכם והמלכה והבן אשר תלד ומשרתיה כמ"ש ולא תיעצד כח הזרוע וגו' וכן היה. כו ניבא שיכלוך במצרים מלך מוצע המלכת הנרצחה וילחם באשור ויכה מהם מכה רבה כמ"ש ועכד מנצר שרשיה וגו' וכן היה. כז ניבא שאחרי זה יעמוד מלך מצרים בשלוה שנים רבות ממלך אשור כמ"ש והוא שני' יעבר וגו' וכן היה. כח ניבא שאחר כן אנטיוכוס הגדול אביו של אנטיוכוס הרשע מלך אשור ילחם על מצרים וילכוד שם ערים כמ"ש ויבא מלך הצפון וישפוך סוללת וגו' וכן היה. כט ניבא שאנשים מבני ישראל יגבאו משאות שוא ומרותים על זה ויפלו

fuit. (22.) Prædixit, urbem Hieroſol. evertendam & filios juda tempore Romanor. propter peccata in exilium deportandos eſſe, ait enim: *Et ſuper ala deteſtationum vaſtator. Ibid.* & ita fuit. (23.) Prædixit bella regis Ægypti & regis Aſſyriæ & contentionem quæ inter ipſos erit, dum ait: *confirmabit ſe rex Auſtri. Cap.* 11. 5. & ita fuit. (24). Prædixit, duos illos reges eſſe reconciliandos, & ad ſtabiliendam pacem inter ſe, filiam regis Ægypti tradendam eſſe in matrimonium regi Syriæ, ait enim: *exactis aliquot annis conſociabunt ſe* &c. *verſ.* 6. & ita fuit. (25.) Prædixit, Syros interfecturos eſſe regem ſuum cum regina & filio quem pariet totoque ſuo comitatu, ait enim: *Non obtinebis illa vires brachii* &c. *Ibid.* & ita fuit. (26.) Prædixit, in Ægypto regnaturum regem de ſemine reginæ occiſæ, qui bellum geret contra Syros & ingenti clade eos afficiet, ait enim: *Exiſtet è ſureulo radicum ejus.* &c. *verſ.* 7. & ita fuit (27.) Prædixit, poſthæc regem Ægypti rege Syriæ ſuperiorem multis annis quietè regnaturum, ait enim, *ipſe annis multis ſtabit* &c. *verſ.* 8. & ita fuit. (28.) Prædixit, poſtmodum Antiochum magnum patrem Antiochi impii regem Syriæ, bello infeſtaturum Ægyptios & civitates occupaturum, ait enim: *veniens rex Aquilonis diffundet aggeſtas moles* &c. *Verſ.* 15. & ita fuit. (29.) Prædixit, viros aliquos ex filiis Iſrael prophetias rerum vanarum & expulſionum (Thren. 2. 14) viſuros, ſed ſibi non conſtantes interficiendos eſſe, ait enim: *Etiis verò effractores populi tui tollentur* &c. *verſ.* 14. & ita fuit. (30.) Prædixit, Antiochum

דבריהם והרגום כמ"ש ובני
פריצי עמך ינשאו וגו' וכן היה.
ל שאנטיוכום הגדול יתן בתו
לאשה למלך מצרי' כדי להרגו
על ידה ולא יצליח כי היא לא
תאנה לעשותו וכמ"ש ובת הנשים
וגו' וכן היה. לא ניבא
שאנטיוכום זה בראותו שאין
יכול לכבוש מצרים ישים פניו
לכבוש איים בארצות אחרות
ושם ימות כמ"ש וישם פניו
לאיים וגו' וכן היה. לב ניבא
שישארו מאנטיוכום זה שני
בנים ושהגדול מהם הראוי
למלוכ' בימי' אחדים ימות כמ"ש
ויעמד על כנו מעביר נוגש
וגו' וכן היה. לג ניבא שהבן
השני שלא ה"ה ראוי למלוך
יחזיק המלכות בדברי חניפות
ומרמה כמ"ש ועמד על כנו
וגו' וכן היה. לד שאנטיוכום
הרשע ההוא יגדל עוד למעלה
ברוב ממשלה וכבוש ארצות
ובמ"ש עליו ומן הא' מהם יצא
קרן אחת מצעירה ותגדל
וגו' יכן היה. לה ניבא
שאנטיוכום זה יבוא במרמה
ויתחזק שמה להכניע המלכות
ולכבשו כמ"ש בשלוה וגו' ויעיר
כחו ולבבו על מלך הנגב וגו'
וכן היה. לו ניבא שינבדי
מלך מצרים יקשרו עליו קשר
מפני מתנות אנטיוכום כמ"ש
ואוכלי פת בנו וכן היה. לז
ניבא שאנטיוכום זה מלך אשור

chum magnum daturum filiam ſuam in uxorem regi Ægypti, ad eum per manum ipſius occidendum, rem autem non ſucceſſuram, quod illa facinus perpetratura non eſſet, ait enim *& filiam mulierum* &c. *verſ.* 17. & ita fuit. (31.) Prædixit, hunc Antiochum, ubi viderit ſe Ægyptum ſubjugare non poſſe, oculos ad inſulas aliaram regionum ſubigendas converſurum, & dum hoc aget, moriturum, ait enim, *& convertet faciem ſuam ad inſulas* &c. *verſ* 18. & ita fuit. (32.) Prædixit, hunc Antiochum duos relicturum filios eorumque natu majorem regno deſtinatum paucis diebus moriturum, ait enim: *ſtabit in ſtatu hujus traductor exactoris* &c. *verſ.* 20. & ita fuit. (33.) Prædixit, filium ejus natu minorem regno non deſtinatum, regnum adepturum per adulationem & dolum, ait enim; *in hujus autem ſtatu ſtabit* &c. *verſ.* 21. & ita fuit. (34.) Prædixit, Antiochum impium per terrarum ſubjugationem, ſuam dominationem valde extenſurum, ait enim de ipſo; *& ab uno ex ipſis prodiit cornu unum perparuum, quod magnificavit &c. Cap.* 8. 9. & ita fuit (35.) Prædixit, hunc Antiochum aſtu ingreſſurum Ægyptum, regnumque illud ſubacturum. ait enim; *tranquillé* &c. *cap.* 11. 24. *Excitabit vires ſuas animumque ſuum contra regem Auſtri* &c. *verſ.* 25. & ita fuit. (36.) Prædixit, ſervos regis Ægypti ab Antiocho muneribus corruptos contra ipſum conſpiraturos, nam ait; *comedentes portionem cibi ejus* &c. *verſ.* 26. & ita fuit. (37.) Prædixit. Antiochum

hunc

ומלך מצרים שניהם יכונו ל
לרמות זה לזה בדברי כוזבים כמ"ש
ושני מלכים האל' לבבם לכרע
ועל שלחן אחד כזב ידברו ובן
היה. לח ניבא שיבא פעם
אחרת אנטיוכוס זה על מצרים
לכבשה ושהרומים ישלחו שם
אוניות ויוציאוהו משם כמ"ש
למועד ישוב ובא בנגבה וגו'
ובאו בו ציים כתיים ונכאה וכן
היה. לט ניבא מהרעות ש
שיעשה אנטיוכוס בירושלם על
חסידי ה' כמ"ש בחזון ותפל
ארצה מן הצבא ומן הכוכבים
ותרמסם וכן היה. מ מהחלול
אשר יעשה אנטיוכוס בבית ה'
כב"ש בחזון וממנו הוסר התמיד
וכן היה. מא נובא שיכות
אנטיוכוס זה כפגע רע בהשגחה
אלהית ולא ב'די אדם כמ"ש
בחזון ועל שר שרים יעמוד וכן
היה. מב ניבא שרבים מבני
ישראל יעבדו ע"ז מפני חלקלקות
אנטיוכוס ושריו כמ"ש במראה
אחרונה ומרשיעי ברית יחניף
וגומר כפי פירוש הראשון ואם
יפורש על טיטום הרשע שהוא
יותר נכון ניבא בזה שטיטום
הרשע יחניף את הפריצים אשר
בירושלם לתת העיר ג'דו וכן
היה. מג ניבא מקנאת מתתיה
ובניו בני חשמונאי והתגברותם
על היונים ומעשיהם הנפלאי'
ביער עמם ותורתם וכמ"ש ועם

hunc regem Syriæ, & regem Ægypti operam daturos, ut alter alterum verbis mendacibus decipiat, ait enim: *Vtrorumque regum istorum animus erit malefaciendi, & in mensa eadem mendacium loquentur. vers.* 27. & ita fuit. (38.) Prædixit, eundem Antiochum alio etiam tempore ad subigendam Ægyptum profecturum esse, sed à Romanis, nauibus eò missis repellendum, cum ait. *Constituto tempore rursus inuadet Austrum* &c *vers.* 29. *venientibus enim contra eum navibus Citthæis, dolore afficietur. vers.* 30. & ita fuit. (39.) Prædixit mala quæ idem Antiochus fidelibus Hierosolymæ illaturus erat, dicit enim in visione, *adeo ut deiiciens in terram de exercitu illo & stellis ipsis, conculcaret eas. Cap.* 8. 10. & ita fuit. (40) Prædixit etiam, eundem Antiochum templum Domini profanaturum esse, cum ait in visione: *nam ab ipso sublatus est jugis cultus. vers.* 11. & ita fuit. (41.) Prædixit, Antiochum illum non manibus hominum sed infelici casu per Dei Providentiam moriturum, ita ait in Visione: *Denique principi principum obsistet &c. vers.* 25. & ita fuit. (42) Prædixit, multos judæorum, blanditiis Antiochi & principum ejus inductos idolis cultum religiosum exhibituros esse, ait enim in visione ultima; *improbé agentes in fœdus contaminabit blanditiis cap.* 11. 32. scil. secundum priorem expositionem, si autem de impio Tito, quod magis convenit, exponatur, sensus est, ipsum inducturum sceleratos Hierosolymæ, ut urbem in manum ipsius tradant, & ita fuit. (43.) Prædixit de

יורעי אלהיו וכפי הפי׳ הראשון וכפי הפי׳ היותר נכון ניבא על גבורת אנשי בית שני שעשו בעד הרומיים או תהיה הנבואה על רי״בז ויוסף בן גוריון שהחזיקו ועשו בקשת טיטוס לצאת אליו וכן הה. מד ניבא ענין ביתר שהיה עור לישראל אחרי חרבן בית שני וילוו שמה רבים אבל לא יתמיד כי כשלו ויהרגו רבים מחכמי ישראל ובכלל על הנהרגים בגלות על קדושתם כמ״ש ובהכשלם יעזרו עזר מעט וגו׳ ומן המשכילים יכשלו וגו׳ וכן היה. מה ניבא ש שמלכות רומי תתחזק על מלכות יון ותכבשנה ותמלוך בכיפה והיא החיה הד׳ דח לא שראה בראשונה ועליה אמר כאחרונה ועשה כרצונו המלך וגו׳ וכן היה. מו ניבא על הנהגת הישיש והיועצים שהיו ברומי ויכבשו רוב ארצות וכמ״ש עליהם ושינין די פרזל וגו׳ ובן היח. מז ניבא על הנהגת הקיסרים שהיו ברומי אחר הנהגת הישיש ושאחרי היות שם עשרה קיסרים תנתן ירושלם בידיהם. וכמ״ש קרנין עשר ובן היה. מח ניבא שתהא מלכות רומי בשמשלתה חכמתה הנהגתה וההמרתה מתחלפת לשאר ה המלכיות כלם כמ״ש והיא מ משניא משניא מכל חיותא די

zelo Mattathiæ & filiorum ejus Haſmonæorum, eorum fortitudine contra Græcos, & rebus mirabilibus pro populo ſuo & lege ſua geſtis, cum ait; *& populum cognoſcentium Deum ſuum Ibid.* ſcil. ſecundum expoſitionem priorem, ſed ſecundum convenientiorem prophetia eſt de virtute virorum templi ſecundi contra Romanos. Niſi malis exponere de Rabban Iochanan Ben Saccai & R. Ioſeph ben Gorion, quod Tito poſtulante urbe ad *ipſum* egreſſuri eſſent, & ita *fuit.* (.44.) Prædixit de civitate Bithera, judæorum poſt deſtructionem templi ſecundi refugio, multos ſe eò recepturos eſſe, ſed ſedem illam non fore diuturnam, quam plurimos enim ex ſapientibus Iſraelis ibi interficiendos eſſe, quod & de occiſis in capivitate propter fidem in genere intelligendum ſit, cum ait: *Et corruendo adjuvabuntur adjumento parvo* &c. *verſ.* 34, *ex ipſis autem erudientibus corruent* &c *verſ.* 35. & ita fuit. (45.) Prædixit, imperium Romanorum prævaliturum regno Græcorum illudque ſubacturum, & monarchiam erecturum, quæ quarta illa tremenda beſtia erat *cap.* 7. 7. quam primò vidit, de quâ ait in viſione ultima; *faciet pro voluntate ſua iſte rex* &c. *cap.* 11. 36. & ita fuit. (46.) Prædixit de forma reipublicæ apud Romanos, & modo ſubiiciendi regiones, cum de illis ait; *cui erant dentes ferrei* &c. *cap.* 7. 7. & ita fuit. (47) Prædixit de conſuetudine imperatorum Romanorum, poſt abrogationem ſtatus reipublicæ, & quomodo, poſtquam decem imperatores

קדמייה ואמר די תשתנה מכל מלכותא וכן היה. **בט** ניבא שהקום דת ישוע הנצרי ואמונתה והנהגת כומריו בזמן הקיסרים בהיותם מושלים ברומי ושם יהיה יסודה וכמו שאמר ואלו קרן אחריו יעירי כליקת בינהון וכן היה. **ג** ניבא שאחרי היות ברומי ג' קיסרים תתחיל אמונת ישוע הנצרי ודתו שהיה בזמן מיתתו כמ"ש על וג' קרניא קמייתא אתעקר כן קדמי' וכן היה. **גא** ניבא שבההחזק הדת והאמונה הוא' ברומי יבוטלו שאר ההנהגות כלם מהמלכים והקסרים והיועצי' כמ"ש והלת מן קרניא וגו' וכן היה. **גב** ניבא שאומת ישוע הנצרי וכומריו יגברו בחכמה על כל האומות כמ"ש וחזויה רב מן חבריתה וגו' אמר ועל אל אלים ידבר נפלאות ומלין לצד יעלאה יכלל וכן היה. **גג** ניבא שאומת ישוע הנצרי וכומריו יקבלו התורה האלהית ויאמינו באלהותו ויעיינו ויהגו בה כמ"ש ואלו ע"ין כיני אינשא וגו' וכן ה ה. **גד** ניבא שהאומה הזאת תגבר במלאכת הרבור וההלצה בחכמתם ודרשותיהם גם האפיפי' יגבר לא בחיל ולא בכח כ"א ברבור כב"ש ופום מכלל רברבן וכן היה. **גה** ניבא שהאומה הזאת תצר לישראל צרות רבות

ratores regnaverint, Hierosolyma in ipsorum manus tradenda esset, dum ait *erant decem cornua ei Ibid.* & ita fuit. (48.) Prædixit, Imperium Romanum, dominatione, prudentiâ, disciplina, & duratione omnibus aliis mundi regnis fore præstantius, cum ait: *eratque diversa ab omnibus bestiis antegressis Ibid.* additque, *quod diversum erit ab omnibus aliis regnis. vers.* 23. & ita fuit. (49.) Prædixit, tempore quo imperatores regnabunt Romæ, religionem jesu Nazareni eiusque sacrificiorum ritus ibi introducendos esse & stabiliendos, cum ait *Ecce cornu aliud parvum succrescebat inter illa. vers.* 8. & ita fuit. (50.) Prædixit, postquam Romæ tres imperatores regnaverint, religionem Iesu Nazareni initium sumpturam esse, quod fuit tempore illo quo mortis supplicio afficiebatur, ait enim; *tria ex cornibus illis prioribus eradicabantur è conspectu eius. Ibid.* & ita fuit. (51) Prædixit, quo tempore religio Christiana prævalebit Romæ, omnes alias constitutiones imperiales, regum & reipublicæ cessaturas, dum ait, *tria ex cornibus* &c. *Ibid.* & ita fuit. (52) Prædixit, gentem Nazareni eiusq; sacerdotes omnibus aliis gentibus fore sapientiores, dum ait, *cujus species major fuit quam sociorum eius. vers.* 20. item, *super Deo fortissimo loquens mirabilia, cap.* 11. 36. Item, *verba adversus excelsum loquetur, cap.* 7. 25. & ita fuit. (53.) Prædixit, gentem Iesu Nazareni ejusque sacerdotes recepturos legem Divinam, ejus divinitatem crediturosque, in eamque meditaturos esse, ait enim; *Et ecce*

oculi ſimiles oculis humanis. &c. *verſ.* 8. & ita fuit. (54.) Prædixit, gentem iſtam in humana literatura & bene dicendi peritia fore verſatiſſimam, & papam prævaliturum non potentia aut robore ſed artis perſuadendi beneficio, ait enim, *& os loquebatur grandia. ibid.* & ita fuit. (55) Prædixit, gentem iſtam infeſtam fore populo Iſraelitico, eique multa mala & damna illaturam, ait enim; *cornu iſtud bellum gerebat cum ſanctis* &c *verſ.* 21. & ita fuit. (56) Prædixit, eandem gentem præcepta legis, *feſta* Dei, ſtatutaque tempora mutaturam, aliaque eorum loco ſubſtituturum, ait enim: *cogitabit ſe mutaturum tempora & jus. verſ.* 25. & ita fuit. (57) Prædixit, gentem Ieſu Nazareni non veneraturam ſtellas & principes cœlorum ſecundum conſuetudinem Romanorum priſcorum temporum, ait enim: *Ad deos majorum ſuorum non attendet. Cap.* 11. 37. & ita fuit. (58.) Prædixit, ſacerdotes legis Ieſu victuros in cœlibatu, & matrimonium ſecundum ſtatutum ipſorum ipſis fore prohibitum, ait enim: *Neque ad deſiderium fœminarum attendet. Ibid.* i. e. Cor ſuum non inclinabit ad deſiderium mulierum. & ita fuit. (59.) Prædixit, Chriſtianos Romanos veneraturos imaginem Ieſu Nazareni in auro & argento, licet ex gentibus oriundæ ſint, quæ ipſum non noverunt, ait enim; *Honorabit Deum quem non agnoverunt majores eius* &c. *verſ.* 38. & ita fuit. (60) Prædixit, Chriſtianos ad templa ſua exſtructuras eſſe turres, multaſque poſſeſſiones acquiſituras, eaſque pretio divendituras; ait enim:

ורעות ותשחיתם השחתות עצומות וכ"ש וקרנא דיכן עבדא קרב עם קדישין וגו' וכן היה. נו ניבא שהאומה הזאת בדתה תשנה מצות התורה ותחליף חגי ה' ומועדיו ותעשה אחרים במקומם כמו שאמר ויסבור להשניא זמנין ודת וכן היה. נז ניבא שאומת ישוע הנצרי לא תעבוד את הכוכבים ושרי מעלה כמנהג הרומיים בימים קדמונים כמ"ש ועל אלהי אבותיו לא יבין וכן היה. נח ניבא שכומרי דת ישוע הנצרי יהיו פרושים מאשה בי היה על פי דתם זיווג הנשים אסור להם כמ"ש ועל חמדת נשים לא יבין ר"ל שלא יבין ולא יטה לבו לחמדת נשים וכן היה. נט נבא שהנצרים בני רומי יכבדו את צלם ישוע הנצרי בכסף ובזהב עם היותו מעמי הגוים אשר לא ידעוהי וכמ"ש ולאלוה אשר לא ידעוהו אבותיו יכבדוהו וגו' וכן היה. ס ניבא שהנצרים יעשו מגדלים בבתי הפלוחיהם וירשו להם ארצות ויתנום במחיר כמ"ש ועשה ל למבצרי מעוזים עם אלהי נכר וכן היה. ששים המה עתידות גדולות שניבא וכלם נתקיימו ויבאו אחריהם עשר עתידות שלא נתקיימו עדין. סא ניבא שנצב לריב ה' ויעמוד לדין עמים בתוך ממשלת רומי ואומות הנצרים

כב"ש ועתיק יומין יתיב ואמר דינא יתיב וספרים פתיחו וגו' וזה לא נתקיים עדין . סב ניבא שבחטא מה שיאמינו הנצרים ורתם תחרב מלכות רומי רבתא ויכלו בני ארום במו שאמר וטן קל מיליא רברבתא די קרנא ממללא וגו' וזה לה נתקיים עדין . סג ניבא שגם שלטנות שאר האומות ומלכותם יתבטל בזמן הישועה במו שתתבטל מלכות רומי ושאר חוותא העדיו שולטניהון וגו' וזה לא נתקי' עדין . סד שבאחרית הגלו' יתעוררו הנצרים לעלות לכבוש ירושלם וארץ הנגב ויכבשו ארצות רבות כמ"ש ובא בארצות הצבי ורבות יכשלו וגו' וגם זה לא נתקיים עדין סה ניבא שאז יתעוררו ה ישמעאלים מארצות המזרח לעלות להלחם בנצרים אשר באו בארץ הנגב כמ"ש ושמועות רבות י יבהלוהו וגו' וזה לא נתקיים עדין . סו ניבא שילחכו הישמעאלים עם הנצרים ממוך לירושלם ויכו אלה באלה מכת חרב והרג ואבדן כמ"ש ובא עד קיצו ואין עוזר לו ואמר והיתה עת צרה יגו' וגם זה לא נתקים עדין . סז ניבא שמיד אחרי המלחמה הזאת ונקמת השם מהאומות האלה כלם תהיה גאולת ישראל ותשועתו כמ"ש ביעת ההיא ימלט עמך וגו' וגם זה לא נתקים עדין.

enim: *Facietque munitiones roborum deo alieno. verſ.* 39. & ita fuit. Hæ ſexaginta rerum futurarum maximæ Prædictiones omnes adimpletæ ſunt. Sequuntur nunc aliæ, quæ adhuc in futurum implendæ reſtant. (61.) Prædixit, Deum ſeſſurum ad litigandum & judicandum populos in fine imperij Romani, nominatim gentem Chriſtianorum; ait enim *& antiquus dierum ſedit, cap.* 7. 8. item. *judicio conſidente libri aperti, &c verſ.* 10. & hoc nondum impletum eſt. (62.) Prædixit, religionem Chriſtianorum cum imperio magnæ Romæ eſſe deſtruendam, & filios Edom ablumendos; ubi ait: *ex quo cœpit vox verborum grandium quæ cornu illud loquebatur* &c. *verſ.* 11. & hoc nondum impletum eſt .(63.) Prædixit, etiam dominationem aliarum gentium tempore redemptionis eſſe abolendam eod. modo quo imperium Romanum. ait enim: *Etiam reſidui beſtiarum ablatus eſt dominatus* &c. *verſ.* 12. & hoc nondum impletum eſt (64.) Prædixit, in fine captivitatis Chriſtianos ad occupandam Hieroſolymam & terram meridionalem ſe accincturos eſſe, multaſque ibi regiones ſubjugaturos; ait enim: *veniet in terram decoris, cum multæ corruerint. &c. cap.* 11. 41. & hoc nondum impletum eſt. (65.) Prædixit, tum temporis arma capeſſituros Iſmaelitas per plagam orientalem, & cum chriſtianis poſtquam in terram meridionalē pervenerīt, bellum geſturos; uti ait: *& rumores magni conturbabunt eum &c. verſ.* 44. Et hoc nondum impletum eſt. (66.) Prædixit, Iſmaelitas cum

סח ניבא שמלכות ישראל אחרי תינלח במעלה עליונה לא תתחבל עוד כא"ש ולה יהב שלטן ומלכו' ויקר וגו' וגם זה לא נתקיים עדין. סט ניבא גבולי הזמנים שיתמיד הגלות ושתתחיל הנקמה ושתשלים ה הגאולה במ"ש כי למועד מועדים וחצי הוסר התמיד וגו' אשרי המחכה יגם זה לא נתקיים עדין. ע ניבא שיחיו המתים יחשובנ' הנפשות לגופיהן לקבל שכרן וענשן כמ"ש ורבים מישיני אדמת עפר יקיצו וגם זה לא נתקיים עדין:

Christianis prælium inituros prope Hierosolymam, & ingenti clade se invicem afflicturos; ubi ait: *ubi venerit ad finem suum nullus erit auxilio ei. vers.* 45. additque. *& erit tempus angustiæ* &c. *cap.* 12. 1. & hoc nondum adimpletum est. (67.) Prædixit, confestim prælio hoc peracto & ultione Divina de omnibus illis gentibus sumptâ, fore redemptionem Israelis ejusque salutem, ubi ait: *tempore illo eripietur populus tuus* &c. *Ibid.* & hoc nondum impletum est. (68.) Prædixit, regnum Israelis tum fore supremum, nec unquam amplius destructum iri, ait enim: *& huic datus est dominatus, gloriaque & regnum &c. cap.* 7. 14. & hoc nondum impletum est. (69.) Prædixit temporum periodos quibus durabit exilium, incipiet vindicta & perficietur redemptio, ait enim: *constitutum tempus constituta tempora & partem temporis. cap.* 12. 7. *ablatus erit jugis cultus &c. vers.* 11. *Beatus qui præstolabitur vers.* 13. & hoc nondum impletum est. (70.) Prædixit, mortuos resurrecturos esse, & animas in corpora sua reversuras ad recipiendum præmium suum aut pœnam, dum ait: *& multi ex dormientibus in pulverulenta terra expergiscentur. vers.* 2. Etiam hoc nondum impletum est.

DIA-

DIALEPSIS.

DAnielis liber à pleriſque interpretibus in duas partes diſpeſcitur, *Hiſtoricam* ſcil. & *Propheticam*. Prior ſex primis capitibus continet hiſtoriam Danielis, tum quæ ſpeciatim ſpectant reges illos penes quos ſumma rerum fuit durante captivitate Babylonicâ cui Daniel inde à prima deportatione (triplicem enim memorat ſcriptura, primam ſub Iojakim 2. Reg. 24. 1. Dan. 1. 1. Secundam ſub Iechonia 2. Reg. 24. 8 à qua 70. annorum captivitas ſumit initium, ut colligitur ex Ier. 29. 10. Tertiam ſub Zedekia, cum civitas & templum fuit deſtructum. 2. Reg: 25. 4) ad finem uſque interfuit, creditурque mortuus in Babyloniâ 12. annis poſt ſolutam captivitatem. Reges autem illi erant, Primus *Nebucadnezar* rex Babyloniæ author captivitatis, ſub quo illa duravit 37. annis, cujus vita & ſomnium quod expoſuit Daniel deſcribitur capp. 2. 3. 4. Secundus *Evilmerodach* ejus filius natu major, de quo 2. Reg. 25. 27. Hujus autem, ob regni quod duorum tantum annorum fuit, brevitatem, nulla mentio apud Danielem. Tertius *Balzaſar* (Herod. *Labinitus*) filius Nebucadnezaris natu minimus, ſub quo captivitas annis (iis additis quibus ſub tutela affinis ſui Nerigliſſori fuit) 17. continuata. Hujus mores & finem exhibet Daniel cap. 5. cui, Babylone à Cyro expugnatâ ſucceſſit quartus, *Darius Medus*, qui Cyri ſororis ſuæ filii beneficio regnum Babylonicum tenuit annis 15. donec eo mortuo Cyrus omnium regnorum hæres ſecundam, Perſarum ſcil. Monarchiam erigeret, populumque Iudaicum, captivitate anno primo regni ſui Monarchici ſoluta, dimitteret. De Dario autem Medo & quid ſub eo perpeſſus ſit Daniel, legere eſt cap. 6. Hactenus fuit pars hiſtorica eaque facilior, ſiqui-

quidem, quæ in ea contenta ſunt, captivitatis periodum non excedunt, exceptis iis quæ in explicatione ſomnii Nebucadnezaris de 4 regnis dicta ſunt, quæ ad materiam partis ſequentis ſpectant. Sequitur pars prophetica poſterioribus ſex capp. propoſita caque difficilior, comprehendens res Eccleſiæ poſt ſolutam captivitatem uſque ad adventum Ieſu Chriſti ſub finem templi ſecundi annorum ſcil. 500. Hæc illa pars eſt quam Abarbenel in 70 vaticinia diſtribuit, quorum quidem ſexaginta in hæc uſque tempora impleta eſſe fatetur, at decem adhuc in adventu Iudaici Meſſiæ implenda ſupereſſe, templique ſecundi periodum ad multa ſecula quorum jam ſedecim præterierunt excedere contendit, donec ſcil. quarta Romanorum monarchia, ſub qua rerum potiuntur Chriſtiani, tandem aliquando deſtructâ, quinta quæ Iudæorum (ſi diis placet) erit ſub Meſſia ſuo erigatur.

Non autem eſt, quod quis exſpectet, me ad ſingula hæc vaticinia in ſpecie reſponſurum, quod textu ſacro in tot fruſtula conciſo & ſenſu corrupto commode fieri nequit; neque etiam neceſſarium duco, ſingula rationum pondera & applicationum, quibus Abarbenel utitur momenta, anxio examini ſubiicere; cum enim certum ſit in obſcuris ejusmodi vaticiniis, ſententias propheticas ſeparatim poſitas primo intuitu ambiguum ſæpe ſenſum admittere, præſtat ex prioribus & poſterioribus totoque contextu ſimul inſpecto & cum rerum eventu collato controverſiam compendioſa via præcipuis rationibus adductis decidere quam ex ambiguis hebraiſmis & phraſibus longam nectere litem. Quocirca pro inſtituto noſtro ſeptuaginta hæc vaticinia ad *tria* ſumma capita, quorum ſingula certum oraculorum numerum comprehendent, revoco. *Primi* capitis objectum

ctum sunt *tria summa imperia* quicquid scil. Danielem de Babyloniorum, Persarum, & Græcorum monarchiis earumque regibus prædixisse putat, quæ omnia 36. vaticiniis comprehendit à primo scil. usque ad decimumtertium, deinde à vigesimo tertio usque ad quadragesimum nonum, *Secundi* objectum sunt 70 *septimanæ* cap. 9. de quibus duodecim vaticinia proponit, sc. à 12. usque ad vigesimumtertium. *Tertii* objectum est *imperium Romanum usque ad finem mundi* à quadragesimo nono usque ad finem. Circa caput primum nihil judaismo intercedit cum Christianismo, nec in 36. illis vaticiniis exponendis multum differunt rabbini à nostris interpretibus, quocirca illud in medio relinquimus. Sed de duobus posterioribus controversia est, quam duplici diatribâ perspicué expendemus.

διατριβὴ PRIOR,

De 70. septimanis apud Danielem.

Celebre hoc est vaticinium, cujus difficultas tam veterum quam recentiorum mentem in varias partes distraxit : Quorum placita omnia si quis excerpere & examinare vellet, justum volumen conscriberet. Nos, quia tantum cum Abarbenele Judæo nobis res est. 1. Sacrum textum. 2. Abarbenelis ex lib. מעיני הישועה paraphrasi Christianæ oppositam ob oculos ponemus, cui 3. breve examen subiiciemus. Si quis plura de Christianorum super hac controversia disceptationibus pernoscere desiderat, adeat *Andreæ Willeti* Angli comment. in Dan. qui operosè admodum & prolixè hoc subjectum tractat.

Textus Dan. 9. vers. 24.

שבעים שבעים נחתך על עמך ועל עיר קדשך לכלא הפשע ולהתם חטאות
ולכפר עון ולהביא צדק עלמים ולחתום חזון ונביא ולמשוח קדש קדשים.

Septimanæ septuaginta decisæ sunt super populum tuum & super civita-

tem ſanctam tuam, cohibendo defectionem, & obſignando peccata & expiando iniquitatem & adducendo juſtitiam perpetuam, idque obſignando viſionem ac prophetam & ungendo ſanctum ſanctorum.

Verſ. 25. והדע ותשכל מן מצא דבר להשיב ולבנות ירושלם עד משיח נגיד שבעים שבעה ושבעים ששים ושנים תשוב ונבנתה רחוב וחרוץ ובצוק העתים *Igitur cognoſcito & intelligito ab enunciatione verbi de reſtituendo & de ædificandis jeruſchalaimis uſque ad Chriſtum intereſſorem fore ſeptimanas ſeptem & ſeptimanas ſexaginta duas, cum erit rurſus ædificata platea & foſſa, idque in anguſtia temporum.*

Verſ. 26. ואחרי השבעים ששים ושנים יכרת משיח ואין לו והעיר והקדש ישחית עם נגיד הבא וקצו בשטף ועד קץ מלחמה נחרצת שממות *Poſt ſeptimanas autem illas ſexaginta duas exciſo Chriſto cum nihil ipſi erit, & civitatem ipſam & Sanctum perdet, populus anteceſſoris venturus, & erit finis illius cum inundatione, & uſque ad finem belli decreta eſt deſolatio maxima.*

Verſ. 27. והגביר ברית לרבים שבוע אחד וחצי השבוע ישבית זבח ומנחה ועל כנף שקוצים משמם ועד כלה ונחרצה תתך על שומם *Corroborabit fedus multis ſeptimana una, ſed in medio ſeptimanæ ipſius abolebit ſacrificium & munus, & per legiones deteſtationum deſolantes, etiam uſque ad conſummationem eamque decretam ut in deſolatum effundatur.*

Paraphraſes.

CHRISTIANA.

(Verſu 24.) Septimanæ ſeptuaginta *annorum, quæ, ſingulis diebus pro anno ſumptis,* 490 *annos conficiunt,* deciſæ ſunt ſuper populum tuum *Judæos* & ſuper civitatem ſanctam tuam *Hieroſolymam, O Daniel! Finitâ enim hâc Babylonica* 70 *annorum captivitate, everſoque Babyloniorum regno, ſuccedet ſeptuagies ſeptuaginta annorum libertas, ſumpto initio non quidem immediate à primo*

ABARBENELIS.

(Verſ. 24.) Septimanæ ſeptuaginta *annorum, quæ, ſingulis diebus pro anno ſumptis,* 490 *annos conficiunt,* deciſæ ſunt ſuper populum tuum *judæos,* & ſuper civitatem ſanctam tuam *Hieroſolymam, O Daniel! Qui anni initium ſumpſerunt à vaſtatione templi primi, & finientur in vaſtatione templi ſecundi; nam* 70 *annos inſumet captivitas Babylonica, & poſtmodum ſtabit templum ſecundum annis*

Cyri

Cyri edicto quo captivitas solvetur (siquidem templi urbisque restauratio, licet ab eo quoque tempore cœpta, multorum tamen annorum injecta remora propter regum Persiæ, Cyri successorum, Cambysis &c. Darii Hystaspidis, Xerxis seu Ahasveri Esr. 4. 6. Artaxerxis Longimani vers. 7. rebus judæorum non perinde faventium duritiam, parum promoveri potuit) sed ab anno secundo Darii Nothi vers. 24. quo, renovato Cyri edicto, continuatis operis primo templum & postmodum tota urbs restaurabitur. Ab isto itaque restaurationis tempore, ha 70 annorum septimanæ decurrent usque ad destructionem secundam novamque captivitatem, quæ genti tuæ obveniet. Antequam vero illa corporalis libertatis periodus exspiraverit, spiritualis omni genti in Iesu Christo vero Messiâ revelando publicabitur, ut pote per cujus mortẽ infinita satisfactione præstitâ defectio cohibebitur, *ne amplius in Dei conspectũ veniat,* peccatũ *electorum, ne ipsis imputetur,* obsignabitur, *ipso omnẽ eorum* iniquitatem expiante, & perpetuam justitiam, *per quam coram Deo subsistant,* adducente. *Quo tempore omnis* visio *& cujusvis* prophetæ *prophetia de Christo ejusque morte, Ecclesia, regno &c. complementũ sortita* obsignabitur, *ipsumque* Sanctum Sanctorum

420. *ex quibus simul sumptis conficitur numerus annorum* 490. *Non itaque est quod existimes, O Daniel soluta hâc Babylonica captivitate, redemptionem Israelis fore omnibus numeris absolutam, & omnes tribus in pristinum statũ restitutum iri, adeò ut deinceps nullæ amplius calamitati futuræ sint obnoxiæ, nam ecce umbra tantum liberationis ista erit & ad tempus duntaxat durabit; finitis enim illis* 490 *annis in novam & quidem multò longiorem & duriorem captivitatem abducentur, idque ob quadruplicem finem.* 1. ut cohibeatur defectio, & obsignentur peccata & expietur iniquitas. *Nam in Babylonica* 70 *annorum captivitate, anni septimi intermissionis, quam Deus in lege præceperat, neglectio tantum punita fuit, at reliqua horrenda peccata quæ commiserunt toto illo tempore quo resp. Iudaica subsistit, inter quæ hæc tria imprimis eminent, idololatria, incestus, & homicidium, amplioris & diuturnioris captivitatis pœnam requirunt. Quapropter ista ultima, destructo templo secundo subsequetur* ad cohibendam defectionem *per idololatriam commissam, &* ad obsignandum peccata *incestus,* & ad expiandam iniquitatem *homicidii, ut ita Israel ab illis horroribus, sufficienti pœna pro iis receptâ, abunde purgetur & libere-*

scil. Iesus Christus omnium sanctissimus, & per sanctum sanctorum figuratus, ad functionem sui muneris prophetici, sacerdotalis & regii, per spiritum sanctum ungetur, *in eoque in æternum confirmabitur.*

(25.) Igitur cognoscito & intelligito ab enunciatione verbi *seu edicti quod anno secundo Darii Nothi* de restituendo & ædificandis Hierosolymis *promulgabitur* usque ad Christum antecessorem, fore septimanas septem & septimanas sexaginta *inclusive scil. ita ut 7 septimanis seu 49 annis in templi urbisque restauratione usque ad reditum Nehemiæ in Persiam qui incidet in annum trigesimum secundum Artaxerxis Mnemonis successoris Darii Nothi Nehem 13. 14. Esr. 6. 14. insumptis, sexaginta duabus postmodum septimanis i. e. 434 annis qui intercedent inter annum 32. Artaxeris Mnemonis & 9. Neronis imperatoris Romani,* platea & fossa *totaque Hierosolyma* rursus ædificata *subsistura sit,* sed in angustia temporum, *variis enim calamitatibus & bellis toto illo tempore judæi erunt obnoxii. Et in finem istorum temporum incidet adventus, vita & mors antecessoris Iesu Christi veri Messiæ.* (26) Post septimanas autem illas sexaginta duas *præter septem præcedentes, sive transacta* 483 *annorum periodos.* Prima erit Ab enunciatione verbi *per Ieremiam prophetam* de restituendo & ædificandis Hierosolymis *post* 70 *annorum captivitatem*, usque ad Messiam antecessorem *seu Cyrum Persarum Monarcham, qui redeundi & ædificandi facultatem concedet judæis,* septimanarum septem *seu annorum* 49. *sumpto*

tur. 2. Vt adducatur justitia perpetua, *quâ omnes gentes vanâ suâ fide rejectâ ad cognitionem & cultum veri Dei perveniant, ubi cognoverint brachium Divinæ potentiæ Israelem ex captivitate liberantis.* 3. ut obsignetur visio & propheta, *seu ut restituatur donum prophetiæ, uti fuit sub templo primo seu ut complementum sortiatur, quicquid prisci prophetæ de futurâ judæorum calamitate & istâ ultimâ captivitate prædixerunt.* 4. Vt ungatur sanctum sanctorum, *quæ unctio æternam Dei electionem notat. Templum secundum non fuit unctum quia non diu subsistere debebat, at sanctuarium tertium ut perpetuo subsisteat, ungetur, eumque in finem tum sacra supellex, tabulæ scil. legis, Arca fœderis &c. quæ in crypto subterraneo à Salomone exstructo abscondita latet, & in templo secundo non apparebit, restituetur. Hi sunt decreti de 70 septimanis fines.* (25) Cognoscito etiam & intelligito *tres earum periodos. Prima erit* Ab enunciatione verbi *per Ieremiam prophetam* de restituendo & ædificandis Hierosolymis *post* 70 *annorum captivitatem*, usque ad Messiam antecessorem *seu Cyrum Persarum Monarcham, qui redeundi & ædificandi facultatem concedet judæis,* septimanarum septem *seu annorum* 49. *sumpto*

riodo

riodo, exciſo *jam ante* 30 *circiter annos* Chriſto, cum nihil ipſi erit, *ſeu pro nihilo habebitur apud judæos, qui ipſo ignominioſæ morti tradito in æternum exciſum putabunt, ipſique nec vires amplius ad ignominiam ſibi & Eccleſiæ ſuæ illatam, vindicandam ſuppetere; Ecce* & civitatem ipſam & Sanctum perdet populus anteceſſoris venturus, *ſiquidem ipſe ille anteceſſor morti traditus à judæis, ſed ad æternam gloriam reſuſcitatus & in cœlum aſſumptus, populum excitabit contra eos, Romanos ſcil. qui populus ipſius erunt, non tantum quod executioni decreti ejus inſervient, ſed & tandē per prædicationem Evangelii ad ipſum convertentur. Et* finis ejus erit cum inundatione, *nam populus iſte tanquam diluvium invadet judæos ad deſtructionem, quandoquidem* uſque ad finem belli decreta eſt deſolatio maxima, *adeo ut bellum ceſſaturum non ſit, quin tota reſpublica prorſus ſit everſa.* (27.) *Antequam verò deſtructionis fiat initium, anteceſſor Meſſias* corraborabit multis *ex judæis in nomen ipſius credentibus* fœdus *æternæ ſuæ gratiæ* ſeptimana una, *ſeu ultima quæ ſeptuageſima eſt, quos ideo Hieroſolyma mature excedere faciet ne deſolationis fiant participes.* Sed in medio ſeptimanæ ipſius *ſeu anno quintò ſeptimanæ, qui in ultimum initio à deſtructione tẽpli in ultima deportatione regnante Zedekia. Secunda a tempore Cyri uſque dum venerint Romani ad deſtruendum templum ſecundum*, ſeptimanarum ſexaginta duarum *ſeu annor. 434 nimirum 21. an. à Cyro uſq; ad ſecundum Darii, quibus cœpta reſtauratio erit impedita proindeque Babylonica durabit captivitas. Tum 413, â ſecundo Darii, edictum Cyri de reſtaurationis permiſſione renovantis, Eſr. 4. 24. ſeu à fine captivitatis usque ad adventum Romanorum, quibus* rurſus ædificata platea & foſſa *totaq; Hieroſolyma ſubſiſtet*, idque in anguſtia temporum, *variis enim interim bellis & calamitatibus obnoxii erunt judæi.* (26) Poſt ſeptimanas autem illas ſexaginta duas *tertia incipiet periodus, ſeptimanæ ſcil. ſeptuageſimæ & ultimæ ſive ſeptem ultimorum annorum, quibus* excidetur Meſſias, *nimirũ Agrippas & nihil ipſi erit nec vita nec regnum utpote ultimus rex judæorum quem cum filio Monbajo Romæ occidet Veſpaſianus imperator anno primo ſui imperii, & quarto ultimæ hujus ſeptimanæ, &* civitatem ipſam & ſanctũ perdet populus *Romanus* anteceſſoris *Titi Veſpaſiani* venturus *contra Hieroſolymam iſto tempore, eamque arcta obſidione à patre Veſpaſiano cinctam expugnaturus.* Erit-

Neronis incidit, Vespasiano cum Romanorum copijs Hierosolymam obsidente, abolebit sacrificium & munus, *siquidem judæi consuetis sacrificiis, premente obsidione tum non amplius vacare poterunt; eaq; usque ad finem septimanæ per Titum continuata, absolvetur excidium* per legiones detestationum desolantes, *seu exercitum Romanorum desolationis abominationem inferentium, matth.* 24. 15. etiam usq; ad consummationem, eamque decretam ut effundatur in desolatum, *seu populum judaicum desolationi destinatum.*

que tum finis ejus cum inundatione *omnimodæ vastationis*, siquidem usque ad finem belli decreta desolatio maxima. (.27.) *Ipse quidem Vespasianus & Titus filius ejus post patris discessu* corroborabit fœdus multis *vicibus*, septimana una *scil. ultima illa: Sæpius enim juxta præscriptu Neronis imperatoris pacem offerent judeis sub conditione si Romanorum jugo se submittere velint. Verum illi pace repudiata festinabunt ad exitium. Arctiori itaque obsidione urbem cinget Titus*, medioque septimanæ illius *elapso* abolebit sacrificium & munus, *urbe exclusis victimis quibus consueta sacrificia peraguntur. Superveniet autem ipsis* יעל כנף שקוצים propter abominationes *sub templo primo & secundo commissas*, משומם vastator *ille*, idq; usque ad consummationem eamque decretam ut effundatur *in Israelem* desolationi *destinatum.*

EXAMEN

CUm omnis, quam scripturæ propheticæ præ se ferunt, difficultas vel in *verborum sensu*, vel in *rei prædictæ eventu* seu *complemento* consistat, hanc ipsam non tam prioris quam posterioris ratione, omnium difficillimam esse, nemo non agnoscit, siquidem totius Controversiæ cardo in annorum supputationibus hic vertitur, usque adeo etiam ut verborum sensus ad varias expositiones anceps nullum fere admittere judicem videatur præter calculum, quem quò quis feliciùs expediverit, eò propius ad veritatem & prophetæ mentem accesserit, verùm, præterquam quod res ista per se satis

ardua

ardua fit & difficilis, & hoc incommodi accedit quod interpretum computa in obſcuriſſima maximiſq; hiſtoricorum conteſtationibus obnoxia incidant tempora, quibus dirimendis ſola humana authoritas (nam Divina poſt Malachiæ ultimi prophetarum mortem ſilet, unde à prophanis ſcriptoribus, quicquid luminis ad haſce tenebras discutiendas requiritur mutuandum) non ſufficit. Proptereaque nemini mirum videri debet, tam variantes hic reperiri ſententias, nec ullam earum niſi precariò ferè poſſe ſubſiſtere. Ex omnibus probabilior mihi videbatur expoſitio *Iunii*, juxta quam paraphraſin quantum chronologiam ſpectat confeci. Inter judæos nemo prolixius ſubjectum hoc tractauit quam Abarbenel, qui in explicatione textus diverſa ſociorum ſuorum placita non convellit ſed conjungit, uti & alibi, quãdo ſolus ſapere videri nõ vult, ipſũ facere obſervavimus, eo conſilio, ut in re incerta, ſi fortè cauſa judaica hoc vel illo modo concideret, alio tamẽ ſtet erecta. In paraphraſi tamen eam ipſi mentem quam primo loco offert, attribuo. Inſtituit autem diſputationem ſuam contra *Africanum*, *Nicolaum à Lyra* & *Paulum Burgenſem Epiſcopum* qui olim judæus vocabatur *Salomo Leuita*. Ab horum objectionibus primò Iudaicam expoſitionem liberat, deinde Chriſtianam oppugnat. Rationibus utitur partim à *tempore* partim à textus *phraſeologia* petitis: Verùm, quantum ad phraſeologiam, fruſtra fere eſt, ead. enim facilitate quâ ſe Chriſtianorum expoſitionem eluſiſſe putat, poteſt retundi; quocirca, ne præter neceſſitatem prolixus ſim, in iſtum campum non deſcendo. Præcipuum rei momentum uti dixi, in ratione temporis cui ancillatur phraſis, conſiſtit. Convenit inter & nos judæos, 70 ſeptima-

timanas esse 490 ānos. Etiam circa istorū annorū terminum, seu finē, quem in destructione templi secundi constituimus (licet aliqui Christiani eum in morte Christi collocare malint) non dissentimus. Tota ergo disputationis moles incidit in principium & decursum istius periodi, tum in distinctionem illā, qua propheta septem septimanas à sexaginta duabus secernit, ultimâ quæ septuagesima est, in tempus destructionis rejectâ. *Causa* altercationis est, quod judæi (quid enim eos ad litē de re chronologicâ quæ fidei fundamenta non concernit nobis tam acriter movendam concitaret?) ferre non possint, quod Christiani in septem illis & sexaginta duabus septimanis simul junctis & elapsis inveniant tempora vitæ & mortis Iesu Christi veri Messiæ. Hanc mentem, quam causæ suæ vehementer officere vident, ut pervertant, duplicem fingunt Messiam, (voce enim משיח latè sumpta quemvis regem sive sacerdotem ad munus sacerdotale seu regium inunctum teste scripturâ denotare potest) alterum, qui finitis septem septimanis seu 49. annis venturus erat, de quo vers 25. & per hunc alii intelligunt Cyrum, alii Zorobobelem, alii Iesuam summum sacerdotem qui eodem tempore vixerunt. Alterum, qui finitis sexaginta duabus septimanis sequentibus ante destructionem templi secundi esset excidendus, de quo versu 26. per quem alii intelligunt regem Agrippam, alii summum sacerdotem. Cum itaqe hinc necessariò sequatur, tempore Cyri jam modo 7. illas septimanas ex 70. esse elapsas, coguntur judæi principium hujus temporis altius figere, totamque 70 septimanarum periodum à destructione templi primi, quæ 50 circiter annos Persicam monarchiam a Cyro fundatam antecessit, usque ad templi secundi destructionem extendere, qui quam immanis in temporum

calcu-

calculo sit solœcismus, ex historia abundè liquet, eum tamen devorare & ferreo suo stomacho concoquere malunt iudurati homines quam Christianis quicquam concedere. Hanc corruptelam confutamus rationibus variis cum à *temporum intervallo*, tum ex ipso *textu* petitis.

Temporum momenta quod attinet, 49. annos à destructione templi primi ad Cyrum usque effluxisse, licet exacto calculo numerus aliquot annorum major sit, contestari nolo, sed inter Cyrum & destructionē templi secundi, seu usque ad septimanam septuagesimam in cujus finem illa incidit, 62. septimanas seu 434 duntaxat interceſſisse annos, nō perinde damus, quippe multorum hic annorum hiatus est, quem non tantum ex Iosepho Græco (cujus authoritatem in dubium vocat Abarbenel disputans contra *Bedam & Africanum*) sed & ex omni historia profana supplere proclivè est. Duas autem constituit periodos Abarbenel, primam à Cyro ad secundum Darii, quo renovatum restaurationis edictum, annorum 21. Secundam a secundo Darii usque ad ultimam septimanam seu annum septimum ante destructionem, annorum 413. In utraque vehementer impingit. Omnis autem error in Persicæ monarchiæ, cui quinque reges & 52 annorum imperium duntaxat assignant judæi, committitur, nam reliquos 382 Græcorum & Romanorum imperio ad excidium usque templi dādos esse, non eunt inficias. Commissi erroris ex Græcâ & Romana historia, & collatis utriusque, Olympiadum scil. & ab urbe condita, qui optimè inter se conveniunt, calculis, luculentissime convincuntur. Incidit excidium templi primi juxta observationem præstantissimorum historicorum in annum secundum 47. Olympiadis, initium autem Monarchiæ Græcorum in quartum centesimæ & duodecimæ, adeo ut ad minimum 64 Olym-

piades, seu 258 anni intersint, quibus si demas 70 ad Babylonicam captivatem pertinentes, ad minimum 188 anni Persicæ Monarchiæ relinquendi sunt. Vide quantum hoc à Iudæorum calculo distet. Præterea licet historici in describendis regum Persarum annis admodum varient, quatuordecim tamen, quos historia celebrat reges. 52 tantum regnasse annos non est virisimile, præsertim cum unus ex iis Artaxerxes ad minimum 32. solus absumpserit. Neh. 5. 14. Ahasverus 12. Esth. 3. 7. Cyrus 3. Dan. 10. 1. Darius 6. Esr. 6. 15. unde numerus 53 modo annorum exsurgit, sequeretur reliquos omnes mera fantasmata esse in historia. *Instantia* 1. *Abarb.* אמר המלאך לרנייאל במראה ד' בשנת שלש לכורש הנה עוד ג' מלכים עומדים לפרס וגו' והוא המורה שכל מלכים אשר מלכו בפרס אחרי כורש המלך הראשון היו ד' שהם כורש וכמבישא בנו ואחשורוש בעל אסתר ודריוש בנו שנקדא ארתהשסתא *Dixit angelus Danieli visione 4. anno 3. Cyri: Ecce ad huc tres reges stabunt Persidi &c. cap.* 11. 2. *Quod ostendit, reges omnes qui regnarunt in Persia post Cyrum primum, fuisse tantum quatuor, Cyrum scil. Cambysem filium ejus, Ahasverum maritum Estheræ & Darium filium ejus, qui dictus fuit Artaxerxes. Resp.* 1. impingit in numero & nominibus istorum regum & se ipsum confundit, cum enim in verbis sequentibus dicat שלא מלכו בפרס אחרי בלשאצר עד אלכסנדרוס רק ה' מלכים *non regnasse in Persica monarchiâ post Balschasarum usque ad Alexandrum nisi quinque reges*: hic in traditione nominum istorum regum primo loco ponit Cyrum Monarchiæ istius fundatorem, post eum quatuor sequentes citaturus nominat primò Cyrum, quasi post Cyrum primum adhuc alius regnasset Cyrus, quod ab omni historia alienum. Deinde ponit Cambysem Cyri filium, sed hujus nomen in historia sacra non occurrit, quem si ad implendum suum quinarium vult agnoscere, nulla est causa quare reliquos

quos omnes quos historia profana recenset, repudiet, dum ait, מלכות דריוש אישטשפיש ושירסיס בנו ואוטאביאו לא נקבל אותם *Quod attinet regnum Darii Hystaspidis, & Xerxis filii ejus & Artabani, eos non recipimus.* Tertium fuisse dicit Ahasverum maritum Estheræ. Quartum Darium ejus filium, & hunc alio nomine appellatum fuisse Artaxerxem, quod sacræ historiæ repugnat, ubi Darius non vocatur Artaxerxes, sed ab ipso distinguitur, tanquam filius à patre *Esr.* 6. 14. collat. cum cap. 7. 1. Unde exsurgit numerus senarius. Imò quia duo memorantur Artaxerxes, alter judæorum inimicus, ante Darium, Esr. 4. 7. alter eorum amicus, post Darium. cap. 7. 1. &c. uti apud Aben Esram agnoscit R. Moses, omninò periit numerus iste quinarius, quod prodit oscitantiam Abarbenelis. *Resp.* 2. Locum Dan. 11. 2. quod attinet, non dicit, quatuor post Cyrum fore reges in Persia, sed tres fore inter Cyrum primum & quartum illum qui divitiis & robore pollens Græciam invasurus esset. Hunc autem fuisse Xerxem ex historia satis aperte liquet qui quartus à Cyro (intermediis Cambyse, Smerde & Hystaspide, vel si Smerdem omittas, quartus à Dario Medo) divitiis suis abusus expeditionem in Græciam paravit, unde *terror Græciæ* dictus fuit. Post hunc autem complures alios in Persia exstitisse reges, non negat Daniel. Contendu nt quidem Rabbini, quartum illum fuisse Darium, ultimum Persarum regem qui ab Alexandro victus finem secundæ Monarchiæ imposuit. Sed hoc 1. repugnat textui Dan. qui non dicit ipsum à Græcis victum monarchiæ finem esse impositurum, sed cunctos excitaturum contra Græciam. 2. Rei veritati, quia enim ex omnibus Persiæ regibus quinque memorantur apud Esram Cyrus scil. Ahasverus, Darius, & duo Artaxerxes, necessario Darius ille dictus Codomannus quem ab Alex-

andro victum nobiscum agnoscunt Rabbini, saltem sextus esse debuit; nec dici potest, ipsum in numero istorum quinque fuisse comprehensum, quia ille de quo apud Esram, medius fuit inter duos Artaxerxes, non ergo potuit esse quartus ille de quo Daniel, & ultimus regum Persiæ. Multo minus si jam huic numero addatur Cambyses, quem in suo catalogo comprehendit Abarbenel, hac enim ratione ultimus dici non deberet quartus nec quintus, qui ad minimum sextus aut septimus exstitisset. Quod autem ajunt Darium & Artaxerxē duo ejusd. viri fuisse nomina, nulla idonea authoritate probari potest, imo scripturæ diximus esse contrarium. *Instant.* 2. Addit Abarbenel שיתחייב כפי זה הדעת שיהיה מרדכי בזמן אחשורוש בן ר"פ שנה וזהו בלתי אפשר *Iuxta hanc sententiam oportere, ut Mardochæus qui vixit sub Ahasvero fuerit* 280 *annorum quod impossibile. Resp.* Petit hoc dubium à Lyrano qui eo præter necessitatem se torquet, cum enim omnino verisimile sit Ahasverum maritum Estheræ fuisse Xerxem, non est necesse ut tot anni adscribantur Mardochæo: Posito enim ipsum infantem abductum in captivitatem cum Iechonia Esth. 2. 6. finita captivitate fuisset 70. annorum, inde autem usque ad 12. Xerxis sunt anni circiter 50. unde exsurgit ætas Mardochei 120 annorum quæ sanæ à longæviori Patrum seculo non abhorret. Si verò cum aliis sustineamus, Assuerum fuisse Darium Hystaspidem (libere hic sentire licet ubi contrarium probari nequit) ætas Mardochæi multò minor efficietur.

Quinetiam ipse textus *rationes* suppeditat, quibus convellitur Abarbenel. Dicit *ab enunciatione verbi* usque ad Messiam Cyrum fore septimanas septem i. e. annos 49. verbi autem enunciationem esse vaticinium Ieremiæ de 70 annorum captivitate jerem. 25. 11. quam

inci-

incipit à deſtructione templi. Verùm fallitur, non enim iſta enunciatio facta eſt ipſo deſtructionis anno, ſed circa quartum Iohoiakimi verſ. 1. Deſtructio autem evenit anno undecimo Zedehiæ 2. Reg. 25. 5. adeo ut ab enunciatione iſtius verbi uſque ad Cyrum Meſſiam non ſeptem ſed undecim ſeptimanæ ſeu 77. anni numerentur, qui Abarbenelis calculum longe excedunt. 2. Diverſos verſ. 25. & 26. à Daniele intendi Meſſias falſiſſimum eſt, & fruſtra præſupponitur. 3. Falſum etiam eſt Agrippam ultimum judæorum regem ante templi ſecundi deſtructionem à Romanis fuiſſe occiſum, ipſum enim 30 annis excidio ſupervixiſſe, ex hiſtoria evincitur.

Quocirca annorum computi imprimis & rerum eventus habita ratione, Chriſtiana expoſitio judaicæ longe præferenda eſt. Nec quicquam eſt quod paraphraſin noſtram gravare poſſit, quam quod textus Meſſiam poſt ſexaginta duas ſeptimanas occidendum dicere videatur, quod ſecundum calculum noſtrum ante earum finem contigiſſe ſtatuitur, verum qui difficultates omnes, cum quibus reliquæ expoſitiones & computa conflictantur, quæ in perpetua perſonarum, nominum, temporum confuſione conſiſtit, accurate expenderit, hanc ipſam levem & minoris momenti eſſe animadvertet. Neque etiam novum apud prophetas ut futurum adhibeatur pro præterito, & licet temporis præteriti circumſtantia hic exprimatur, obſervandum tamen in ejusmodi difficilioribus & obſcurioribus vaticiniis, non tam præciſe modum quam rem definiri, neque quid in tempore prius aut poſterius ſed quid circa iſta tempora evenire debeat, doceri. Et ſanè, ſi judæis, quibus tot ſecula præter opinionem elapſa ſunt, tam propè cum prophetis conveniret, ut non niſi de

paucorum annorum ſive præteritorum ſive futurorum intervallo quæſtio eſſet, pulchrè ſecum actum eſſe, neque calculo ſuo quicquam deeſſe judicarent.

διατριβὴ POSTERIOR,

De Imperio Romano.

Ad hanc controverſiam ſpectant Caput 2. à verſ. 40 uſque ad 43. incluſ. Cap. 7. uſq; ad 26. incluſ. Cap. 11, à verſ. 36 uſque ad finem. Imò Caput 12. horum expoſitione nititur, idque propter circumſtantiam temporis verſ. 1. *tempore autem illo* &c. expreſſam. Quæſtio agitatur inter Chriſtianos & judæos & viciſſim inter Chriſtianos, An Daniel ultra Chriſti tempora & Hieroſolymæ deſtructionem (huc uſque enim ejus prophetiam in 70 ſeptimanis ſe extendere vidimus) de ſtatu imperii Romaniad finem uſque mundi hisce citatis capitibus ſit vaticinatus? Iudæi *affirmativam* ſuſtinent, quibus plerique ex *Patribus* Chriſtianis adſtipulantur, & hos ſequuntur *Pontificii*, qui eò auidius iſti parti patrocinantur, quod in ea rationes, quibus pontificem Romanum ab Anti-Chriſtiani nominis infamia liberent, ſe reperire putent, ſiqudem inde argumenta ſua petunt pro Antichriſto ſuo individuo, pro regni ejus brevitate, trium ſcil. annorum cum dimidio, & quæ alia papæ non compententia ibi de Antichriſto affirmari contendunt. Inter orthodoxos *nonnullis* etiam placet affirmativa, *diverſimodè* tamen, adeo ut *alii* cum judæis & patribus ad finem uſque mundi Danielem vaticinatum intelligant, & quidem ita ut præter Romani imperii deſcriptionem pleraque ex citatis capitibus imprimis cap. 11. non cum judæis ad Chriſtianam Eccleſiam in genere & ad Pontificem Romanum tanquam ejus caput, ſed ad pontificem in ſpecie tanquam Antichriſtum Chriſtianæ

ſtianæ Eccleſiæ vaſtatorem (licet Pontificii ex iiſdem principiis Antichriſti nomen à papa amoliri eumque in fine demum mundi revelandum eſſe demonſtrare ſatagant) ejuſque in extremo judicio deſtructionem referant: *Alii mediæ* inſiſtentes viæ, Romanum hic imperium ad tempora Chriſti duntaxat repræſentari dicant, nihil de tempore poſteriori vel de antichriſto affirmantes. Verùm *accuratiſſimos* inter orthodoxos *Negativam* tueri video, Danielem ſcil. Romanum imperium non attingere, ſed in crudeli Seleucidarum imprimis Antiochi Epiphanis regno ſubſiſtere: licet in ſenſu analogico & myſtico (qui literalis non eſt nec prophetarum intentioni niſi ſecundariò & quidem ſcriptura præeunte tribuendus) multa ab Antiocho Epiphane ad Antichriſtum tanquam à typo ad antitypum commodè transferri poſſint, cujusmodi analogiæ veſtigia reperiuntur apud Iohanem in apocalypſi, qui de antichriſto directè vaticinatur, quemadmodum & ſupra pag. 512 circa bellum Gog & Magog, de quo apud Ezechielem, obſervavimus. Pro hac ſententia, expenſis obiter utriuſque partis rationibus, veritatem ſtare non immerito concludemus.

Pro parte negativa hæc militant argumenta. *Primum* petitur à *deſcriptione temporis*. Quatuor illa regna quæ imago Nubucadnezari in ſomnio oblata referebat, comminuenda & in nihilum redigenda dicuntur *per exciſum lapidem* cap. 2. *verſ.* 34. 35. Quis autem lapis ille ſit, docetur *verſ.* 44. 45. nempe regnum Ieſu Chriſti iſtis temporibus ſuſcitandum. Iam verò conſtat iſtum lapidem non comminuiſſe, neque veniſſe Chriſtum poſt regnum Romanum ſed in ejus principio. Non poteſt regeri, hoc de ultimo Chriſti adventu poſſe intelligi, quo imperio Romano uti omnibus aliis finem impo-

net, nam verſ. 35. lapis iſte poſt factam comminutionem mons efficiendus dicitur qui magnitudine ſua totam terram impleturus eſſet, quod ſanè non aliter quam de regni Chriſti poſt primum ejus adventum per Evangelii prædicationem propagatione exponendum eſt. Nec etiam dici debet iſtam comminutionem de conſcientiarum ſubjugatione ſumi poſſe, hoc enim phraſis non ſinit, quæ regna iſta eſſe conſumenda, & fore ut gluma ex areis æſtivis, ita à vento auferenda eſſe, ita ut nullus locus ipſis futurus ſit. verſ. 35. Quatuor itaque Danielis regna ultra Seleucidarum imperium & qui ex iis Eccleſiæ Iudaicæ imperitarunt, ſe non extendunt, quæ omnia in primo Chriſti adventu, à cujus nutu & imperio omnia hujus mundi regna dependent, ſunt cõminuta. Atque ita concidit operoſa Abarbenelis diſputatio, qui *Majan.* 6. *Tamar.* 2. pro Chriſtianorum conceſſo ſumens, per Regnum Quartum Romanum imperium eſſe intelligendum, variis argutiis oſtendere conatur, (ſiquidem regnum Meſſiæ à Daniele proponatur tanquam regnum quintum, Romano imperio tanquam quarto ut illud evertat, ſubmiſſum,) rem eſſe abſurdam, ſi ſtatuatur, regnum Meſſiæ eſſe regnum Ieſu Nazareni, cum nec ſit quintum quia Romanum & Nazareni regnum idem regnum eſt, nec Romano ad illud deſtruendum ſubmiſſum, quia ſimul & eodem fere tempore excitata ſunt, proindeque nec ejus deſtructivum. Atque inde concludit, Meſſiæ regnum de quo Daniel, eſſe Meſſiæ judæorum, tandem aliquando ad regnum quintum, quod Romanum deſtruat, excitandum revelandi. Procedit quidem hominis argumentum ratione temporis, quia enim propheta regnum Meſſiæ regno quarto poſtponit, neceſſariò ſequitur, vel regnum Meſſiæ non eſſe regnum Ieſu Chriſti, uel regnum quartum non

non esse imperium Romanum. cum eodem fere tempore nata sint. Verùm, quod dicit, regnum jesu Nazareni non esse diversum à Romano, nec proinde posse dici regnum quintum, vel Romani destructivum, futilis argutatio est & homine, qui ratione se regi patitur, indigna; cum enim suppositum falsissimum sit, consequentia non potest esse non falsa. Non cavillatoriè effutiendum sed probandum erat, regnum Iesu Nazareni non esse diversum ab imperio Romano. Et sanè parum se in verâ Christianorum religione versatum ostendit, ubi regnum illud quintum secundum Christianorum Theologiam dicit esse מלכות ישוע אלהיהם וביח תפלתו הנקרא אצלם אינלסיאה *Regnum Iesu Dei ipsorum & domum precationis quam ipsi vocant Ecclesiam*, item ubi ait בהיות שוכר הכתוב מלכות ה' הנה יחויב שיהיה כיצן שאר המלכיות ר'ל לעם אחר מתחלף לשאר העמים שתהי נה ארצות זולת מארצות שאר המלכיות אבל כפי פ פירוש הנצרים אין זה עם אחר כי אם אומת הנצרים היום היא עצמה היונית והרומיים וגם כן לדיעתם המלכות הה' הוא עצמו מלכות רומי וארצו וארץ היונים ואין א"כ יאמר זה מלכות הה' *Cum propheta mentionem faciat regni quinti, necesse est, hoc regnum eod. se habere modo quo regna præcedentia. i. e. esse populum distinctum à populis aliis & terras eius regni esse terras diversas à terris regnorum aliorum. Sed juxta Christianorum expositionem non aliunde est populus Christianus quam ex aliarum gentium terris, populus nempe Romanus & Græcus, atque ita ex mente eorum regnum hoc quintum est ipsum regnum Romanum ejusque terra non alia quam Romanorum seu Græcorum* Argumentum ejus in formâ tale foret: Quod regnum non distinguitur realiter i.e. regione & gente à regnis aliis illud non potest habere rationem regni illius quinti de quo apud prophetam. Atqui regnum Iesu Nazareni non distinguitur realiter &c. Ratio consequentiæ est quia ad constitutionem regni illius quinti pertinet,

ut eo modo distinguatur ab aliis, quo alia distinguuntur inter se, Atqui alia distinguuntur regione & gente. &c. Minor vera est ex confessione Christianorum. *Resp.* Quis te tam acutè ineptire docuit Abarbenel? Major tua, eo quo sumis sensu, est falsissima, scil. ad realem regni quinti ab aliis distinctionem pertinere ut regione distinguatur & gente. i. e. regno mundano ab aliis separato. Probatio quoque est falsissima, oportere ut eo modo distinguatur ab aliis quo alia inter se. Quod si oculos aperuisses vel aperire potuisses, ex ipsis prophetæ verbis qui argumentum hoc confutat, luculenter edoctus fuisses, quid ad constitutionem regni quinti & realem ejus ab aliis distinctionem pertineat, ubi ait; istis temporibus Deum cœli suscitaturum מלכות לעולם לא תתחבל *Regnum quod in secula non destruetur.* Realis itaque hujus regni ab aliis differentia non in regione & gente sed in *stabilitate* consistit, nihil autem corporale & mundanum elementari cœlo sustentatum stabile est & æternum. Et hinc rabbinorum patet futilitas qui regnum carnale Israeliticum per Messiam restituendum credunt, tale tamen regnum quod Daniel hic describit, *stabile* scil. & *æternum* sibi promittere non audent, siquidem extremo Dei judicio denuò destruendum agnoscunt; qua ratione constricti recentiores, temporis etiam spatio excluſi imaginarium suum regnum extremo judicio postponunt, ut eo stabilius sit, sed hic se torquent circa statum regni istius, nonnulli enim existimant, illud ut stabile sit non in carnis sensu sed æterna animarum felicitate consistere. vid. pag. 233. Quæ fluctuans miserorum hominum fides satis ostendit, regnum illud suum tandem aliquando in fumum abiturum esse, nihilque ei inesse stabilitatis cum merè sit imaginarium. Constat ergo, Messiæ regnum eminentiori

longe

longe ab aliis discerni differentia quam alia inter se, utpote quæ in æternitate consistit, quę qualitas non carnalia mundi regna sed solũ invisibile animorum imperiũ quod æternus Messias in Ecclesiam suam habet, comitatur. Atque hæc Ecclesia non est בית תפלתו domus ex calce & lapide confecta, in qua Christi nomen colitur, uti tu ex vocis apud pontificios abusu stulté & imperitè definis Abarbenel, sed est universa electorum qui omnes non sceptro aliquo ex auro conflato sed Dei spiritu & verbo reguntur, ex omnibus terrarum gentibus non Romanis tantum aut Græcis sed & judæis composita massa, cujus partes præcipuè essentiales internæ sunt & invisibiles. Vides ergo quam parum tuo sophismate proficias, & regnum Messiæ realiter ab aliis esse distinctum, licet gente & regione non distinguatur ut illa. Unde jam sequitur, eorum sententiam, qui per regnum quartum, Romanum imperium intelligunt, sub quo Christiana religio quoad externam libertatem (quæ Ecclesiæ pars essentialis non est) imprimis floret, non impedire quominus Iesu Nazareni regnum possit dici quintum cum diversum sit, & realiter ab eo distinguatur: Nec impedire quominus Romani imperii possit dici destructivum, prout enim stabilitate sua & æternitata ab eo diversũ est, sic eandẽ in illud quam in omnia vim exercere potest. Neque argumentum nostrum, quo contendimus regnum quartum non esse Romanum, (petito argumento tertio, quod non sit destructum a Regno Messiæ sed eodem cum ipso tempore substiterit & adhuc subsistat,) sumptũ est ab ejus *ineptitudine* ad destrudum, quasi nulla realis differentia sit inter Romanum & Iesũ Nazareni imperium, sed tantum a *tempore* revelationis Messiæ, quod non in finem sed principium istius imperii incidit.

Secundum petitur à *nexu* verſuum 35. & 36. cap. 11. Qui Antichriſtum in Daniele quærunt, iſto imprimis capite nituntur à verſu nimirum 46. uſque ad finem, nam præcedentes de regnis quæ adventum Chriſti præceſſerunt intelligi, nemimi dubium eſt. Alii iſta Romano Imperio ad tempora duntaxat Chriſti tribuunt: Iudæi verò toti Chriſtianæ genti ejuſque religioni & moribus uſque ad finem mundi. Sed nexus omnibus æqualiter obſtat, quod Abarbenel non diſsimulat qui duobus & viginti rationibus expoſitionem Chriſtianorum de Antichriſto tribus annis cum dimidio in fine mundi regnaturo, uti Romana Eccleſia eam fovet, refutat, primam & potiſſimam petit à nexu verſus 35. cum præcedentibus. היה הספור לדניאל מיעיני מלך הנגב ומלך הצפון ומלחמותיהם איך ערב עמם ענין האנטקריסתו שלא היה מהם ולא כיתמונם ורחוק מהם יותר מאלפים שנה ואיך יאמר יעליו ויעשה כרצונו המלך נהא הידיעה *Narrabantur Danieli bella & res gerendæ inter Regem Auſtri & regem Aquilonis, quid hoc tangit res Antichriſti, qui ex iſtis regibus futurus non erat, ſed plus mille annis interpoſitis ipſis ſucceſſurus, & qua ratione ipſum ſpectabunt verba illa*: faciet pro voluntate ſua Rex I S T E. verſ. 36. *cum He demonſtrativo*? ſi ſcil. in præcedentibus nō de ipſo ſed de Antiocho Epiphane uti ipſi Chriſtiani ſentiunt ſermo fuit. Sed quomodo ſibi hic conſtabit Abarbenel? qui in partitione ſectionis undecimæ ſuper ultima hac Danielis viſione, eam octo partibus comprehendit, quarū tertiam tribuit regibus Perſiæ uſque ad verba illa: *ſtabit rex Potens*. verſ. 3. cap. 11. Quartam regibus Græciæ, regi Auſtri & regi Aquilonis, à verbis illis, *ſtabit rex potens* qui eſt Alexander magnus, uſque ad illa: *Agetque pro voluntate ſua rex iſte*. verſ. 36. Quintam rebus gerendis Romanorum & Chriſtianorum, incipiens à verbis illis *Agetque* &c. & per *Regem iſtum*

iſtum intelligens cum *Aben Eſra* Conſtantinum Magnum, primum Chriſtianum imperatorem. Quomodo, inquam ſibi conſtabit, cum jam à nexu refutaverit expoſitionem de Antichriſto? ſiquidem extra controverſiam eſt, eandem rationem quæ impedit quominus iſta de Antichriſto intelligantur, etiam impedire quominus de imperio Romano, nam articulus demonſtrativus regem indigitat de quo antea ſermo fuerat, nimirum Antiochum Epiphanem Regem Aquilonis. Hoc animadvertens homo levis, ſententiam in expoſitione mutat & altius ad verſum 31. aſcendens, aliud ſe fretum hactenus vix cognitum reperiſſe putat per quod propius & tranſitu minus impedito ſaltum iſtum ex Græcia in Latium poſsit conficere, eumque in finem verba hæc והזרועים ממנו יעמדו *Et brachia ab ipſo ſtabunt*, hoc modo exponit הרומיים שהם חזקים מיון ואנטיוכוס יעמדו אחריהם בעולם *Romani Græcis & Antiocho fortiores poſt ipſos ſtabunt.* Videtur hanc expoſitionem didiciſſe à R. *Levi ben Gerſon* ſuo anteceſſore. Sic ergo vox זרועים *brachia* in רומיים *Romanos* transformata ipſi inſtar cymbæ eſt, qua tranſmiſſo vado jam in tuto ambulat, omniaque ſequentia ad Titum Veſpaſianum ſanctuarii profanatorem, indeque ad Conſtantinum magnum, Papam, Chriſtianam Eccleſiam ad finem uſque Capitis & Romani imperii extendit. Ingenioſum ſanè figmentum cui nihil deeſt quam ſcopus prophetæ & præſtantiorum interpretum authoritas, i.e. quicquid ſpeciem habet veritatis, & miror quomodo homo tam futili commento mentē ſuam paſcere, quique modò in verſibus 35. & 36. connectendis tam accuratus erat contra Antichriſti adſtructores, jam in verſuum 30 & 31. quorum vinculum arctiùs eſt, ſejungendis, tam turpiter impingere potuerit: ſed par-

tium ſtudium hoc ab ipſo extorſit. Verſu. 30 mentionem fecerat propheta indignationis Antiochi contra fœdus ſanctum, & reditus ipſius ad oppugnandam Hieroſolymam. verſ. 31. iſtius iudignationis & expeditionis effectum oſtendit, urbis ſcil. oppugnationem & templi profanationem &c. oſtendit etiam media quibus hoc effecturus erat, nimirum per *brachia ab ipſo ſtantia*, intelligens per brachia, phraſi obvia, maximas copias & militum robur quo pollebat, quod & ipſo eventu comprobatum eſt. Quis quæſo ſanæ mentis iſtos verſus à ſe invicem ſeparet ? quaſi indignatione & expeditione Antiochi in medio relicta, ex abrupto ad Romanorum ſub Veſpaſiano & Tito expeditionem tranſvolans, eius duntaxat ſucceſſum, cauſa ſuppreſſa niſi quæ in voce *brachiorum* quæritur, indicare voluerit propheta, ſi ita ludere licet ſcripturis, tandem nihil non ipſis poterit affingi. Imo impudentiam hominis miror, qui verſ. 15 *brachia Auſtri non ſtabunt*, per *brachia* regis Ægypti, vires ſignificari agnoſcebat, nihilominus hic phraſin corrumpere auſus ſit; præterquam quod ipſe loquendi modus repugnet, poſito enim per *brachia* Romanos poſſe intelligi (quod tamen ne vel leviſſimo indicio probari poteſt, nulla Romanorum in præcedentibus facta mentione) ſenſus tamen זרועים יעמדו ממנו brachia i.e Romani, *ſtabunt ab ipſo* i. e. tandem ſuccedent Antiocho, à phraſi alienus eſt, licet enim præfixum מ varios habeat uſus, nunquam tamen ſignificat *poſt*, niſi ubi nomini tempus ſignificanti præponitur, adeo ut propheta pro ממנו dicere debuiſſet אחרי quæ vox propriè temporis ſucceſſionem notat. Sed quid homini confutando immoror quippe ipſum ſibi contradicentem reperio in expoſitione partis quartæ quam juxta inſtitutum ad verſum 36 extendit, ubi verba illa,

brac-

brachia ab ipso stabunt, ejusdem, ad quem præcedentia spectabant, Antiochi principibus tribuit, ישארו מתחת שרים כמו נקנור וחבריו כי השרים יקראו זרועי המלך ואותם השרים חללו המקדש *Reliqui erant aliqui ex ducibus, ut Nicanor ejusque socii, duces enim vocantur brachia regis, & hi profanarunt Sanctuarium.*

Hactenus vidimus quomodo sibi constet Abarbenel. In genere observandum, omnes judæos unanimiter eodem teneri desiderio, ut hæc capitis vndecimi prophetia sinon tota, saltem quoad aliquam ejus partem ad Romanum imperium referatur, ejusque finem, ubi caput absolvitur, comprehendat, quo caput sequens duodecimum temporis ratione præcedenti annexum, quod judaici imperii restaurationem suavissimè redolere ipsis videtur, in ista quoque tempora commode reiici possit. Sed præcipua cura quæ illos habet solicitos, est, per quam portam Danielem in spatiosum istum campum deducant, vident à versu quinto usque ad finem capitis perpetuo & quasi historico contextu describi bella & res gerendas regis Austri & Aquilonis, qui si à citato versu in Græcorum monarchia ab Alexandro Magno fundatâ collocentur, in versibus qui sequuntur, nullus est qui admisso hiatu ex Græcorum in Romanorum imperium transitum concedat absque violenta irruptione, quam quisque suo modo molitur. Duplicem autem impetum jam retudimus, alterum quem Christiani in vers. 36. tum paraverant, ipso Abarbenele causæ nostræ vindice: Alterum quem ipse cum R. Levi fecit in 31 mum. Aliam porro viam ingreditur *R. Salomo* ipso anterior postquam enim ex prioribus versiculis nonnullos de rebus istorum regum peculiari modo exposuisset, vers. 21. in regnum Romanum irrumpit. Aliam R. *Abraham bar Chaja* qui textui vim inferre nolens

lens, ſtatim a verſu quinto, prætermiſsis quæ ſtante Græcorum imperio à Seleucidis & Lagidis 280 annorum ſpatio gerenda à Daniele prædicta ſtatuunt alii, res Romanorum orditur, & per regem Auſtri intelligit regem Alexandriæ & Ægypti, per regem verò Aquilonis regem Græciæ, cujus dominium Romam uſque ſe extendebat; & verſu ſexto per filiam regis Auſtri venientem ad regem Aquilonis intelligit Cleopatram reginam Ægypti quæ Imperatori Auguſto ſe nupturam putabat. Verum de iſtis conqueritur Abarbenel, quod ejuſmodi expoſitiones pugnent cum fide hiſtorica Latinorum, quorum authoritati ipſe defert; ait enim כאן נכזבו המפרשים שלא ידעו ספורי המלכים וברברי חכמי הנצרים ראיתי פי' כתישב ונאה לפי שהוא מכחים לספורי דברי הימים למלכי פרס ומצרים *decepti hic ſunt interpretes neſcientes res geſtas regum. Convenientiſſimam autem applicandi rationem ego in ſcriptis Chriſtianorum inveni, utpote cum Perſiæ & Egypti regum hiſtoriis conſentientem.* Et paulò poſt fatetur ſe eam quam ſequi ſe velle dicit, tanquam veriorem & commodiorem accepiſſe à Chriſtianis. Carpit itaque R. Solomonem, & R. Levi filium Gerſom, quod ille de Romanis, hic de Demetrio, quæ de Antiocho Epiphane ad verſum uſque 31. intelligi debeant, expoſuerint. Nihilominus ſectionem his verbis claudit הנה ר' פרושים הא' יעל פ' הספורים של מלך הנגב ואלכסנדר ה ומלך הצפון שהיה מלך באשור ובבבל ופרס ומדי ויון וארצות האשיאה הפי' הב' לר"שי והג' לרל"בג וה"ד לרב רבי אברהם בר חייא וארבעתם כאחד טובים ומי יודיע אם לכולם כיון המלאך *Quatuor modis exponitur hoc vaticinium, primus eſt juxta relationem hiſtoricam regum Auſtri & Alexandriæ, regumque Aquilonis, qui reges erant Aſſyriæ, Babylonis, Perſiæ, Mediæ, Græciæ & regionum Aſiæ. Alter eſt R. Salomonis, tertius R. Levi filii Gerſon, quartus R. Abrahami ben Chaja. Omnes quatuor æqualiter boni ſunt, & quid ſi Angelus omnes pariter intenderit?* Abſurdiſsimum hoc eſt,

eſt, præterquam enim quod ſcriptura varios ſenſus literales non admittat, fieri non poteſt, ut ſpiritus ſanctus mentiri neſcius aliquid intenderit, quod cum fide hiſtorica & rerum eventu pugnare modo dixerat.

Tertium petitum, *ab incommoda multarum rerum applicatione*, quarum præcipuæ hæ ſunt. 1. Tribuuntur regno quarto, quod Romanum eſſe prætenditur, pedes & digiti partim ex luto, partim ex ferro, quod regna *diverſa* denotare dicitur cap. 2. 41. Hoc imperio Romano non competit, ſiquidem unicum eſt. Reſpondet quidem Abarbenel regna diverſa dici, quod imperium in occidentale ſeu Idumæorum (ut loquuntur judæi) vel Romanorum, & orientale quod Turci, ipſis Iſmaelitæ dicti hodie tenent, diviſum ſit. Verum cum attributis iſta non conveniunt, nulla enim eſt ratio, quare Iſmaeliticum dicatur fragile ut lutum, & Romanum durum ut ferrum, ut ipſe ait. Præterea fatetur שהישמעאלים אינם מתחתנים עם האדומיים *Iſmaelitas affinitatē non contrahere cum Idumæis*, at verſ. 43. expreſſis verbis dicuntur *regna iſta* מתערבין להון בזרע אנשא *commiſcenda inter ſe ſemine humano* i. e. contractura inter ſe matrimonia, licet irrito conatu. Optimè autem iſta quadrant in diverſa Seleucidarum & Lagidarū regna, quorum matrimonialia federa fallaciter inita fatente Abarbenele deſcribuntur cap. 11. 6. 7. 17. II. Cap. 11. 40. prædicitur ultimus conflictus inter regem Aquilonis quod ſanè ut nec ferè cætera quæ ſequuntur omnia imperio Romano non conveniunt. Et fruſtra eſt Abarbenel, ſommium ſuum de bello Gog & Magog in fine mundi inter Chriſtianos & Turcos gerendo toties in ſcriptis ſuis inculcatū, denuò hic obtrudens, quaſi per Regem Auſtri hic intelligi debeat rex Turcorum, per regem vero Aquilonis imperator Romanorum, quod menti Danielis neceſſariò adverſatur ipſi enim in Ba-

bylonia consistenti regnum Austri erat regnum Ægypti, Aquilonis verò regnum Assyriæ, Turcicum autem & Romanorum imperium respectu Babylonis seu Palestinæ nec australe erat nec aquilonare, sed illud partim occidentale partim aquilonare, hoc verò merè occidentale. Imò cum in contesso sit, prophetam supra per regna Austri & Aquilonis toties nominata, alia non intellexisse regna quam Lagidarum in Ægypto, & partibus vicinis, necesse est aliam hic mentem ipsi affingere quæ cum rei veritate quoad situm pugnet, præsertim cum nec ullum istius mutationis extet indicium, nec connexio versuum, uti antea vidimus, id permittat, nec in isto qui fingitur, sensu quicquam de rebus istis impletum sit, sed econtra omnia in Lagidarum & Seleucidarum regnis ad amussim impleta esse constet ex historia. Præterea, ubi vers. 41. Idumæi, Moabitæ, & Ammonitæ e manu regis Aquilonis evasuri dicuntur, quis istius propheriæ sensus, si regnum Aquilonis sit imperium Romanum, & complementum in nostra tempora seu finem mundi differatur? Vel ipsas gentes intelligit vel regiones, si gentes, ubi nunc est Edom? ubi Moab? ubi Ammon? an adhuc reliquiæ istorum populorum supersunt? Imò cum judæi stultè credant Idumæos migrasse in occidentem, & Romanorum regnum esse regnum Edom, quis nunc quærat Idumæos in oriente? Si regiones, qua quæso ratione iis parsurus esset imaginarius ille rex Aquilonis, cũ ab immanissimo hoste, contra quem bellum gesturus dicitur, hodiè teneantur? Videmus itaque, istis figmentis ne vel minimam quidem veritatis umbram inesse. III. Quæ cap. 11. à vers. 36 usque ad 40 simum à Christianis ad Antichristum, à Iudæis ad Christianam religionem i. e. ad statum reipublicæ sub quarta bestia, seu, se-

cun-

cundum ipsos, imperio Romano, referuntur, à mente prophetæ esse aliena, constat non tantum ex connexione sed & ex collatione capp. 7. &. 8. cum 11 mo. Capite septimo vers. 7. describitur bestia quarta, ejus specie non indicatâ, cui decem tribuuntur cornua, & vers 24. decem hæc cornua decem fore reges significatur, eorumque ultimum per *cornu parvum succrescens* vers. 8. figuratum, omnium fore maximum prædicitur vers. 20. Huic regi tribus distinctis capp: tribuitur bellum cum sanctis i. e. populo judaico, fastus incomparabilis, & os impudens & blasphemum contra ipsum Deum principem principum, nimir. cap. 7. Verss. 8. 21. 25. Cap. 8. Verss. 9. 10. 11. 12. 23. 24. 25. Cap. 11. Vers. 28. 30. &c. usque ad 40. Omnia illa nec a se invicem posse separari, nec de Romano imperio, nec Antichristo intelligi debere, sed in solidum ad Antiochum Epiphanem referenda esse, hæ rationes evincunt. 1. Connexio totius cõtextus capit. 11mi. cujus vinculi abruptionem vers. 31. & 36. frustrà tentari supra vidimus. 2. Convenientia locorum parallelorum in citatis versiculis, quos omnes eundem referre sensum animadvertet qui accuratius expenderit. 3. Eiusd. cornu parvi succrescentis cap. 7. 8. & cap. 8. 9. descripti unitas. Nulla enim est ratio quare diversa statuantur cornua parva, cum res eadem tribuatur utrique, quod ostendit unum idemque bis repræsentari. Et hinc etiam liquet, cum cornu istud capite 8. tribuatur hirco Monarchiam Græcorum denotanti, regnum illud quartum cui idem cornu cap. 7. assignatur, sub eadem monarchiâ debere constitui, nec tale cornu in imperio Romano ex mente Danielis esse quærendum. 4. Vnitas regis qui isto cornu denotatur, sicut enim decem cornua sunt decem reges cap. 7. 24, sic

cornu decimum eſt rex decimus, ita ut iſtud cornu non de multis ſed de uno individuo duntaxat prædicari poſſit, in multis autem rerum complementum quærere coguntur qui ad Romanum eas imperium extendunt, & qui unicum quoddam in eo ſive alicujus imperatoris ſive antichriſti fingunt individuum, ad quod omnia referant, cum aliis ex quibus non facilè ſe extricabunt difficultatibus conflictantur, quarum ratio ſequens neutiquam minima eſt. 5. Deſignatio numeri. Cornu enim decimum, decimum regem notat de quo horrenda illa prædicari videmus, in Romano autem imperio, nec ad decimum imperatorem nec ad decimum antichriſtum potiori quam ad alios jure ejuſmodi prædicata pertinere conſtat. Contra verò ſi in Græcorum Monarchia ſubſiſtamus, omnia in Antiocho Epiphane decimo Seleucidarum rege crudeli tyranno exactè impleta eſſe, experientia comprobavit. 6. Deſignatio temporis. Indicat propheta dies & tempora, quibus rex ille tyrannus ſæviet in Dei populum & jugem cultum impediet Hieroſolymis, dicens cap. 7. 25. *Uſque ad tempus & tempora particulamque temporis* Et cap. 8. 14. *uſque ad veſpertina matutinaque tempora bis mille trecenta.* Et cap. 12. 8. *poſt conſtitutum tempus*, *conſtituta tempora*, *partemque temporis* & verſ. 11. *A tempore quo ablatus fuerit jugis cultus & deteſtatio deſolans dies erunt mille ducenti nonaginta* & verſ. 12. *Beatus qui præſtolabitur & perveniet ad dies mille trecentos triginta quinque.* Omnes iſti propheticī numeri mutuum inter ſe habent reſpectum, & idem tempus deſignant. Et quidem numeros cap. 7. 25. & cap. 12. 8. expreſſos, eſſe parallelos nemo dubitat. Per *tempus* intelligit annum, per *tempora* biennium, *partem temporis* decem dies. Habemus itaque hic annos tres & dies decem. Dies verò 1290 cap. 12. 11. conficiunt

annos

annos tres, menſes ſeptem & dies 13, quibus in numero ſequenti 1335. adduntur dies 45. At dies illi 2300 de quibus cap. 8. 14 ſunt anni 6 .menſes. 3 dies. 18. Omnia diverſimode impleta ſunt. Ultimus hic numerus qui omnium maximus eſt, comprehendit totum defectionis & deſolationis tempus, dequo verſ. præced. quærebatur, cujus initium tum imprimis factum cum quidam Menelaus cum mandatis crudelis tyranni & barbaræ beſtiæ (Antiochi Epiphanis) Hierſolymam veniret, quod incidit in annum. 141. Seleucidarum, regni Antiochi quartum, poſtquam impius Iaſon jam antea viam ad defectionem idololatricis Græcorum ritibus introductis paraſſet. Confer. 1. Maccab. 1. 12. 2. Maccab. 4. 7. 23. 25. Continuata fuit iſta defectio per trienniũ, templo tamen nondũ polluto, quod anno 144. ingreſſus Antiochus omnibus ſuis ornamentis privavit. 1. Maccab. 1. 21. &c. Fuitque deinceps continuata templi profanatio uſque ad annum 148. diem 25 menſis Ciſleu, quo à judâ Maccab. & ſociis ejus factâ repurgatione jugis cultus fuit reſtitutus. 1. Maccab. 4. 52. adeo ut tum 2300 defectionis & pollutionis dies ſeu anni 6. menſes 3. cum dimidio circiter effluxerint. Alter numerus ſcil. annorum 3. & dierum. 10. tempus indicat quo Antiochus templo occupato idolorum altaria exſtruere juſſit, quod factum fuit anno 145. die 15. menſis Ciſleu 1. Maccab. 1. 57. duravitque uſque ad anni 158. diem 25 ejuſd. menſis, quo templum repurgatum fuiſſe jam diximus, ubi annos tres cum diebus decem juxta Danielis vaticinium interceſſiſſe apparet. Tertius numerus ſcil. dierum 1290 ſeptem menſibus præcedenti major incipiens à templi anno 144. cœpta profanatione, tempus indicat quo Antiochus judæis juxta divinæ legis præ-

ſcri-

ſcriptum vivendi facultatem conceſſit, quod factum anno 148. die 15. menſis Xantici i.e. penultimi. 2. Maccab. 11. 33. Quartus numerus, ſcil. dierum 1335. qui præcedenti 45 dies ſuperaddit, indicat tempus mortis Antiochi quod incidit in annum 149 regni Seleucidarum. 1. Maccab. 6. 16. Hæc tam exactè iſto modo impleta, qui ad imperium Romanum transferre ſatagunt, illi non tantum in omnes hujus prophetiæ circumſtantias peccare, ſed & in inextricabiles computorum difficultates, ubi nec ſibi nec aliis ſatisfaciunt, ſe induere neceſſe habent.

Argumenta *partis affimativæ* nimis ſunt levia quam ut iis inhæream. *Duo* alicujus momenti eſſe videntur quæ verbo attingo. I. Mentio regni *Quarti*, & beſtiæ *Quartæ* cap. 7. Sicut primum eſt Babyloniorum, ſecundum Perſarum, tertium Græcorum, ſic quartum procul dubio eſt Romanorum. *Reſp.* Peccatur falſâ hypotheſi, Danielem ſecundum hiſtoricorum methodum prophetiam ſuam in quatuor monarchias eſſe partitum, ſiquidem Danielis regnum quartum aliud non eſt, quam quo, mortuo Alexandro magno, imperiū ejus in varias partes diſſectum, novaque regnandi facies quā per quartam beſtiam ſpecie non indicatâ repræſentare voluit, fuit introducta, uti ex ſupradictis liquido conſtare videmus. II. Mentio *Reſurrectionis mortuorum & vitæ æternæ*, Cap. 12. 2. quæin finē mundi demum incidet, proindeq; prophetia hęc eouſq; videtur extendi & Romanum ſimul imperium comprehendere. *Reſp.* Negatur conſequentia. Reſurrectionis mortuorum & vitæ æternæ obiter mentionen facit Daniel ad eorum inſtructionem & ſolatium, qui ſub tyrannide Antiochi plurima perpeſſi, tandemque liberati remanſerant, ut tùm de defectoribus à lege, tùm de martyribus

bus qui glorioſam pro lege mortem, ipſo ſæviente, oppetiiſſent, rectum ferre judicium addiſcerent, nimirum nec illis pœnam quam placidè viventes evaſiſſe videbantur, nec his pro doloribus periiſſe præmium, ſed omnes aliquando reſuſcitandos eſſe, illos ad æternum opprobrium, hos verò ad vitam æternam.

Atque hæc de 70 Danielis vaticiniis juxta Abarbenelem duabus diatribis generatim expenſis dicta ſufficiant, quarum poſterior ultima viginti duo prophetæ falſò adſcripta unâ liturâ inducit.

CONTROVERSIARAM

IVDAICARVM

Partis Primæ

FINIS.

BREVIA-

Totius operis substantiam & summa capita per scripturæ loca dispositum comprehendens.

GENESEOS.

Gen. 2. 17. Quo die comederis, morte morieris.

Duplicem ista comminatione mortem contineri negat Abarbenel. 455. refutatur, Ibid. *&c. De natura Hebraismi*, morte morieris. *456 &c.*

Gen. 14. 17. Obviam egressus est rex Sodomi Abrahamo ad vallem Schavæ, quæ vallis regis.

Delirium talmudicum in voce שוה. 434.

Gen. 17. 14. Excidetur anima ejus è populo.

Quid inde colligant Talmudici? Ibid. 278.

Gen. 18.23. An perimes justum cum injusto. &c.

Sensus horum verborum eorumque conciliatio cum secundo præcepto. 470.

EXODI.

Exod. 9. 22. Extende manum tuam versus cœlum, ut sit grandoin tota terra.

Talmudicum delirium de Mosis imperio in astra. 434.

Exod. 13. 18 Quintati ascenderunt filii Israelis.

Quid sentiendum de voce חמושים *de qua quatuor diversæ expositiones proponuntur, quarum ultima retinetur & confirmatur.* 295. *Additur quinta Talmudica, quæ inepta est & scripturæ contraria.* 297.

Exod. 16. 26. Comedite illud hodie, nam sabbathum hodiè, hodiè non invenietis &c.

Stulta talmudicorum observatio ter in sabbatho esse epulandum, quia ter exstat, hodié. 239. *Privilegium & felicitas eorum qui ter epulantur in sabbatho* 240.

Exod. 20. 5. Visitans iniquitatem patrum in filios.

Conciliatio hujus loci cum Ezech. 18. 20. *Vid. ibi.* 464.

LEVITICI

Levit. 25.36. Cum atte-

nuatus fuerit frater tuus apud te, &c. tum confirmabis illum, etiam peregrinum aut inquilinum. &c.

Expilationes judaicas in peregrinos hâc lege prohiberi 420. vana Iudæorum subterfugia confutata. 421. &c.

Levit. 26. 41. Et inducam illos in terram inimicorum suorum

An ad præsentem judæorum statum hoc pertineat? & quare non. 271.

NUMEROR.

Num. 24. 23. Hei; quis vivet cum statuerit istud Deus.

Inepta talmudicorum applicatio. 29.

DEUTER.

Deut. 4. 19. Ne sublatis oculis in cœlum aspiciens solem. &c quæ impertitus est Dominus reliquis populis, sed vos assumpsit Deus &c.

Figmentum judaicum de gentium à sideribus dependentiâ inde exsculptum. 437. ejus futilitas. 438. &c.

Deut. 23. 20 Extraneo isti dabis in usuram, fratri autem tuo ne dato in usuram.

Quæstio triplex. 417. latitudo vocis נכרי *418. An Christiani utpote Esavi posteri pro judæorum fratribus sint habendi,* Ibid. *consentit Abarbenel 419. sed negat R. Bechai* Ibid. *Allegantur scripturæ loca quæ usuram prohibent judæis, etiam in peregrino. 420. conciliatio Kimchii.* Ibid. *Eius confutatio. 421.*

Deut. 25. 3. Improbum dignum flagris, quadragenis plagis cædendum curabit judex.

Quomodo exponant Talmudici, & quare una plaga detrahatur huic numero? 277.

Deut. 33. 21. Et venit cum primoribus populi.

Quantam hinc dignitatem pro Mose exsculpant Rabbini. 338.

IVDICUM.

Iudic. 5. 31. Diligentes eum sicut cum procedit Sol in robore suo.

Delirium jonathanis. 157. Quid sit Sol in robore suo juxta Kimchium. Ibid.

SA-

SAMUELIS.

1. Sam. 2.6. Demittit in ſepulcrum & educit.

Virtute horum verborum Corachum à terrâ vivum abſorptum, ab inferis revocandum eſſe ſomniant rabbini. 335.

REGUM.

2. Reg. 17. 18. 20. Iratus percitus Deus ſprevit totum ſemen Iſraelis, amovit eos à facie ſua &c.

Perpetua decem tribuum rejectio ex hoc loco rectè colligitur. 45.

PARALIP.

2. Par. 33. 12. Et cum anguſtia afficeret illum, deprecatus eſt faciem Domini & exoratus eſt ei.

Stulta ſpeculatio in verba ויעתר ib 274.

IOBI.

Iob. 39. 16. Ala pavonum exſultabunda.

Delirium talmudicum. 232.

Iob. 40. 11. Vis ejus in lumbis ejus eſt, & robur ejus in umbilico ventris ejus.

Ridicula talmudicorum expoſitio. 230.

PSALMORVM.

Pſal. 2. 1. Quare tumultuantur gentes? ſiſtunt ſe reges contra Dominum & Chriſtum ejus.

Kimchii expoſitio de Davide 527. *Veterum de Meſſia.* Ibid. *ratio varietatis.* Ibid. *fruſtra eos eſſe, qui hic de bello Gog & Magog ſomniant.* Ibid.

Pſal. 2. 6. Ego unxi regem meum.

Refertur ad Meſſiam à veteribus, 329.

Pſal. 15. 5. Domine quis commoraturus eſt in tentorio tuo? &c. Qui pecuniam ſuam non exponit fœnori.

Conciliatio hujus loci cum Deut. 23. 20. Extraneo dabis in uſuram *juxta Kimchium.* 420. *ejus refutatio.* 421. *Talmudica authoritas allegata contra Iudæos* 422. *Eam vindicare conantur R. Bechai & Abarbenel.* Ibid. *eorum futilitas* 423. *Quæ uſuræ ſpecies licita, quæ non licita.* Ibid. *&c.*

Pſal. 50. 10. jumenta in montibus mille. &c.

Quam ridiculè isto loco abutantur talmudici. 230.

Psal. 51. 7. in iniquitate formatus sum, & in peccato fovit me mater mea.

Expositio Kimchii. & Aben Esræ 461. inepta patris Kimchii glossa in hunc locum. 462.

Psal. 74. 9. Insignia nostra non videmus, nec est amplius propheta, nec est apud nos qui sciat usque quo.

Ad præsentem judæorum statum ista refert Abarbenel. 342.

Psalm. 90. 4. Mille anni in oculis tuis sunt sicut dies hesternus.

Delirium talmudicum de septimo millenario. 503.

Psal. 92. 1. Psalmus & canticum in diem sabbathi.

Ineptè per diem sabbathi septimum millenarium intelligunt talmudici. 502. Stulta eorundem opinio, Adamum istum Psalmum cecinisse cum ejectus esset ex paradiso, & mortis supplicium quia sabbathum incidebat evasisset. Expositore Kimchio. 503.

Psal. 104. 26. Balænam formasti ut ludat cum ipso.

Stulta glossa talmudica. 231.

Psal. 110. 1. Sede ad dexteram meam. &c.

Ista pertinere ad Messiam, juxta authorem. 87. Ratio quæ rabbinos impellit, ut hoc dictum detorqueant. 88. variæ eorum expositiones, imprimis Kimchii & Lipmanni. 89. &c. Argumenta judæorum á Christo apagogica tam à ratione quam ex Psalmi contextu petita confutantur, obscuriores hujus prophetiæ loci illustrantur & contra judæorum argutias vindicantur 93. &c. Detorsiones judaicæ quibus Psalmum ad alium quendam quam ad Messiam transferre student, solidis rationibus ex ipso Psalmo petitis refelluntur. 108. &c.

Psal. 147. 4. Supputans numerum stellarum, nominibus eas omnes vocat.

An ex isto loco collato cum Gen. 15. 5. Intuere cœlum & numera stellas, sic erit semem tuum, *sequatur, unumquodque individuum ex Israelitis, proprio suo nomine vocandum esse à Messiâ. 310. Quid hebraismo,* nominibus vocare stellas *denotetur. Ibid.*

ESAIÆ.

Esaj.

Esaj. 2. 11. Edituſque erit Deus die illo.

Ineptè locum hunc à judæis ad ſeptimum millenarium referri. 497. *&c. Celebris effati talmudici de ſex millenariis durationis mundi & ſeptimo vaſtitatis, expoſitio* Ibid. *Judæorum ſuper eo ſententiæ diverſæ* 498. *convictio,* Ibid. *&c. effugium* 499. *&c. oſtenditur, quò locus Eſajæ verè pertineat.* 501.

Esaj. 4. 1. Prehendent ſeptem mulieres virum eundem.

An per hunc locum exponi poſſit illud jeremiæ. Mulier ambit virum 301. *Ne; contra Lipmannum.*

Esaj. 11. 11. Erit tempore illo &c. ut acquirat reliquum populum ſuum, qui reliquus fuerit ab Aſſyria, & ab Ægypto & à Pathroſo. &c.

Non probat iſte locus reductionem decem tribuum. 41. 42.

Esaj. 24. 22. Congregabuntur inſtar vinctorum in carcere, &c. & poſt multos dies viſitabuntur.

Scopus prophetæ. 33. *inepta applicatio.* 34.

Esaj. 25. 8. Damnabitur mors in æternum. &c.

Conciliatio hujus loci cum Eſaj. 65. 20. Puer natus 100. annos morietur, *ſecundum rabbinos.* 194. *Abarbenelis exceptio refellitur.* 195. *Aliter ſtatuit Ben Iſrael.* Ibid. *confutatur.* 196. *Diſtinctio R. Chaninæ.* Ibid. *ejus futilitas.* 197. τὸ ἐναντιοφανὲς *tollere non poſſunt quocunq; ſe vertant.* 202. *&c. ſola Chriſtiana expoſitio veram conciliationem ſuppeditat,* 205.

Esaj. 27. 1. Interfecit draconem qui eſt in mari.

Delirium talmudicum. 230.

Esaj. 27. 13. In die illo clangetur buccina magna & venient qui perierant &c.

De quo tempore loquatur, ex contextu oſtenditur. 81. *judæorum objectio diſſolvitur.* 82. *Quis iſte clangor buccinæ.* Ibid.

Esaj. 27. 13. Venient qui perierant in terra Aſſyriæ.

Confeſſio judæorum ad hunc locum 40.

Esaj. 27. 14. Excutiet Deus inde à fluxu illius fluminis uſque ad torrentem Ægypti. &c.

Ridiculum Men. Ben Iſrael ex hoc loco commentum. 44.

Esaj. 30. 15. Per resipiscentiam & quietem servabimini.

Paronomasiæ elegantia delusus ad scopũ & sensũ prophetæ nõ attendit rabbi. 248. *ejus error.* 249. *Mens prophetæ.* Ibid. *votem* נחת *non significare sabbathum hoc loco.* 250. *nec* שובה *propriè pœnitentium.* Ibid. *&c. Thematis* שוב *usus.* 251. *Kimchii testimonium.* Ibid.

Esai. 30. 26. Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septupla, sicut lux septem dierum, quo die obligaverit Deus fracturam populi sui. &c.

Delirium judaicum. 154. *quod Kimchii expositio confutat.* 155. *figuratæ locutionis quis sensus.* 156.

Esaj. 33. 24. Neque dicet habitator, ægrotus sum, populus habitans in ea servatus erit ab iniquitate.

Sententiæ judæorum diversæ 190. *aliqui ad tempora Hiskiæ referunt, Abarbenel ad tempora Messiæ* Ibid. *Expositio Kimchii de Hiskia proponitur & quoad literam confirmatur.* 191. *ostenditur sensus mysticus.* 192.

Esaj. 35. 6. Tunc saliet claudus sicut cervus, cantabit lingua muti.

Delirium judaicum. 168. *jejuna expositio Kimchii,* 169. *mens prophetæ.* Ibid.

Esaj. 40. 5. Et revelabitur gloria Dei & videbit omnis caro pariter.

Ex contextu probatur istam gloriam modò esse revelatam. 205. *Quid sit vox clamantis in deserto secundum rabbinos.* Ibid. *increpatio facta judæis.* 205. 206.

Esaj. 40. 26. Producens numero suo exercitum suum.

An inde sequatur, omnes Israelitas in adventu messiæ suscitandos esse. 310.

Esaj. 41. 18. Aperiam in locis eminentibus flumina, & in medio convallium fontes &c.

Sensus literalis secundum judæos ineptus & ridiculus. 145. *Delirium Kimchii.* Ibid. *Sensus spiritualis ex phrasi scripturæ obvius.* 146.

Esaj. 45. 10. Et lætitia perpetua super caput eorum.

Delirium judaicum. 157. *expositio hebraismi.* Ibid.

Esaj.

Esaj: 48. 10. Ecce conflabo te non autem sicut argentum, seligam te catino afflictionis.

Rationes, quare iste locus ad præsentem judæorum statum referri non debeat. 268. *Quid sit*, conflare non sicut argentum? *juxta Abarbenelem.* Ibid.

Esaj. 49. 9. Dicet vinctis, exite, iis qui sunt in tenebris, revelamini, per vias pascent.

Inepta talmudicorum glossa de reductione 10. *tribuum.* 42.

Esaj. 49. 10. Non esurient, neque sitient, neque feriet eos æstus aut sol.

Sensus literalis ineptus. 146. *Delirium Kimchii.* Ibid.

Esaj. 49. 12. Isti è longinquo venient &c. denique isti è terra Sinæorum.

Ineptè de China intelligit Menasseh ben Israel. 43

Esaj. 50. 2. An manus Dei brevior facta est quam ut redimat?

Non sequi inde, Deum non requirere satisfactionem pro peccato. 471. *&c.*

Esaj. 52. 3. Gratis venditistis vos & sine pecuniâ redimemini.

Expositio talmudica in hunc locum. 266.

Esaj. 52. 13. Ecce prosperabitur servus meus &c. *usque ad finem capitis* 53.

Interpretum in quatuor classes distributio. 318. *Abarbenelis in suam expositionem præfatio.* 319. *Classis prima proponit expositiones Veterum, Jonathanis Chaldæi, Talmudicorum, Tanchuma, siphre Pesickta, & R. Alschechi, qui omnes alii magis, alii minus exponunt vaticinium hoc de Messia.* 321. *à quibus recedit R. Alschech vers.* 2. *cap.* 53. *& seqq. quos de justo in genere intelligi statuit.* 325. *At vers.* 9. *speciatim de Mose agi contendit.* 333. *Classis secunda habet expositiones recentiorum, puta, R. Solomonis, Dav. Kimchii, Aben Esræ, Abarbenelis, Lipmanni. qui omnia ad populum Israeliticum referunt.* 339. *Specialem R. Saadiæ Haggaon, de Jeremia vaticinium exponentis sententiam citat Aben Esra.* 341. *&c. Classis tertia, cujus author Abarbenel, eorum qui exponunt de rege Josiâ.* 370. *&c. Classis quarta Christianorum de Jesu Christo.* 376. *&c.* EX AMEN *sex quæstionibus absolvitur.* 383. *I.* An de Jeremia? *Affirmativa R. Saadiæ Gaon per Aben*

Aben Esram & Abarbenelem refellitur. 384. II. An de Iosia? *Affirmativa Abarbenelis confutatur.*. 385. *Absurditas quam parit.* Ibid. *&c. cui frustra conatur prævertere* 386. *Res prædictæ non quadrant in Iosiam, quod variis modis ostenditur.* 387. *&c.* III. An de quovis justo in genere? *Talmudicorum applicationes vagæ & futiles.* 391. *&c.* IV. An de populo Israelitico? *Rabbinorũ affirmativa confutatur.* 394. *Nexus & nomen* servi *istam causam non juvant.* Ibid *&c. Nomen* viri, *quomodo sumatur* 395. *Tres judæorum instantiæ à vocib. plural. refelluntur.* 395. 396. *de usu particulæ* למו *in sacris.* 397. *De applicatione rerum.* 398. *De hodierno judæorum statu* 399. *&c. Negatur gentes à propheta loquentes introduci.* 401 *Rationes negationis variæ* Ibid. *de usu vocis* שמועה prædicatio *& rabbinorum circa ejus expositionem dissensu.* 402. *&c. Abarbenelis expositio refutatur.* 105. *&c. Quomodo gentes dicere poterunt, israelem suos dolores portasse?* 407. *ejus enunciationis absurditas.* 408. *imputationem peccati alieni triplex vinculum præsupponere.* 409. *confutatur Abarbenel qui istam sententiam gentibus tribuit activè.* 410. *&c ejus instantia convellitur.* 412. *quo jure judæi assimilentur ovibus* 413. *Rebellionis, crudelitatis & scelerum judaicorum historia.* 413. *&c. Responsio ad judæorum istantiam de exactionibus.* 417. *Locus de usuris* Ibid. *An licitum sit judæo exercere usuram & in quem?* 418. *&c. varii scripturæ loci circa hoc subjectum excussi* 420. *&c. An Judæi se ipsos in mortem profundere dici possint.* 424. *de ipsorum* αὐτοχειρίαι 425. *&c. Quatuor requisita ad justã profusionem in mortem.* 427. *Hæc in nullo unquam judæo simul reperta fuisse.* 428. *De particula* על לא *vers. 9. quæ utrumque hemistichium connectit.* Ibid. *hujus vi non posse prædicari de judæis quæ versu isto continentur.* 429. V. An de Messia in thesi? *Affirmativa Christianorum defenditur.* 430. *Argumenta apagogica Abarbenelis* 431. *eorum confutatio generalis.* 432. *De authoritate veterum circa hanc sententiam* 433. *Quam Christianis eripere studet Abarbenel.* Ibid, *De testimonio Medrasch Tanchuma, quod messiam supra angelos etiam elevare videtur.* 434. *varias evadendi vias quærunt R. Alschech & Abarbenel* Ibid. *eorum ridicula futilitas in expositione hujus testimonii* 435. *figmentum judæorum de angelis principibus & astrorum influentiis exponitur.* 436. *Aliud effugium R. Lipmani circa hanc Messiæ supra*

pra angelos excellentiam, proponitur. 440. ejus cum R. Haccosi consensus & utriusque futilitas. 440. 441. Aliorum subterfugia citata, ab Abarbenele refutata. Ibid. obstinata judæorum cæcitas. Ibid. Distinctio Abarbenelis inter פשט & דרש per quam Christianos testimonio veterum frustrare studet. 442. S ẽsum דרש qualis affingitur talmudicis, à veterum antetalmudicorum mente fuisse alienum, variis rationibus probatur. Ibid. Sensus script. duplex. Ibid. Quibus legibus admittatur sensus mysticus. 443. voces quibus Hebræi diversos scripturæ sensus denotant. Ibid. sensus דרש futilitas, & absurditas. 444. Quem Christiani approbare non debent. 445. &c. Talmudicam rapsodiam in Christiana religione nullum habere usum, nisi fortè ad convincendos judæos. 446. Subjecti hujus rationem esse talem ut sensum mysticum non admittat. 448. probatur hoc ex Esaj. 42. loco parallelo. 449. Eundem sensum alienum esse à stylo Ionathanis. 450. tum aliorum veterum & R. Alschechi. Ibid. Instantia Abarbenelis pro sensu mystico confutatur. 451. veteres varios hujus capitis versus retulisse ad Messiam. 452. &c. Vindicatur ratio generalis, scil. hoc vaticinium pertinere ad Messiam ratione officii nimirum in satisfactione pro peccato, quam propheta non obscurè docet. 453. Argumenta Abarbenelis contra hanc doctrinam in thesi. 454. De peccato Adami ejusque merito. 455. De sensu hebraismi morte morieris. Ibid. &c. Probatur ex doctrina judæorum, Adamum æternæ mortis reatum incurrisse. 456. &c. Quæstionem ab Abarbenele male propositam esse. 458. De imputatione peccati primi. 459. De corruptione humanæ naturæ ab Adamo. 460 &c. Imputatio peccati alieni statuitur. 463. Objectiones solvuntur. Ibid. &c. An Deus ad condonandum indigeat satisfactione. 471. argutiæ Abarbenelis & Socinianorum circa hoc subjectum diluuntur. 472. &c. De satisfactione alterius. 475. eam à justitia Dei non esse alienam, probatur contra judæos & Socinianos. 475. &c. Argutiæ Crellii dissolvuntur. 477. &c. de hypothesi satisfactionis Christi. 479. &c. Quomodo Deus dicatur satis fecisse pro peccato. 482. Diluitur calumnia Abarbenelis. 483. ascitantia in comment: ejus Edit. Amsterd. commissa notatur. Ibid. De unione duarum naturarum in Christo. 484. diluitur objectio Abarbenelis. Ibid. VI. An de Iesu Nazareno in hypothesi? Negativa judæorum 17. rationibus ex textu collectis comprehensa confutatur. 485. &c. conclusio totius

controversiæ. 496.

Esaj. 54. 12. Et disponam pyropo specularia tua &c.

Inepta judæorum ad literam expositio. 150. *scopus prophetæ.* 151.

Esaj. 55. 12. Cum lætitia egrediemini, & cum pace deducemini.

Quicquid hic corporalium beneficiorum promittitur, ultra liberationem ex Babylone extendi non debere, probatur. 262.

Esaj. 56. 2. Beatus mortalis qui facit hoc. &c.

Stulta talmudicorum observatio ad vocem מחללו

Esaj. 59. 15. Defecit veritas.

Quid ex verbo נעדר *exculpant talmudici.* 24. *ad quæ tempora istud effatum pertineat secundum prophetam.* Ibid.

Esaj. 59. 16. Viditque nullum esse virum & obstupuit.

Inepta applicatio. 37. *Genuinus sensus.* Ibid.

Esaj. 59. 20. Adveniet Tzioni redemptor, & conversis à defectione &c.

Non promitti Messiam sub conditione pœnitentiæ. 252. *Responsio ad judæorum objectionem.* Ibid. *De conversione judæorum ante secundum Christi adventum juxta Paulum apostolum.* Ibid. *Diatriba istius quæstionis.* 253. *Quid per Israelem intelligat apostolus.* 253. 254. *judæorum conversionem ab ipso intendi, variis rationibus ostenditur.* 255. *&c.*

Esaj. 60. 12. Nam gens ipsa & regnum quæ non servient tibi, peribunt.

Locus perperam allegatus. 182. *Societas carnalis judæorum & gentium tempore Messiæ descripta ab Abarbenele.* 182. 183. *Ejus confutatio.* 184.

Esaj. 60. 19. Non erit tibi amplius sol in lucem diurnam & luna non illustrabit te.

Non posse conciliari hunc locum cum Esaj. 30. 26. Erit lux lunæ sicut lux solis &c. *nisi locus detur figuræ.* 237. *fatente Abarbenele.* 238. *Distincto rabbinica admissa.* Ibid.

Esaj. 60. 21. Erunt surculus plantarum mearum, opus manuum mearum &c.

Evertit iste locus celebrem rabbino-

binorum distinctionem. 240. *laudatur expositio Kimchii.* Ibid. *&c.*

Esaj. 60. 22. Ego Dominus suo tempore accelerabo illud.

Glossa Abarbenelis. 236. *Duplex Messiæ terminus secundũ rabbinos, possibilitatis & necessitatis.* 237. *Carnalem sensum prophetam hoc capite non admittere.* Ibid. *Neque distinctionem rabbinicam ab Abarbenele propositam.* 238. *liquet hoc ex paraphrasi jonathanis.* 239. *Quo sensu Deus Messiæ adventum suo tempore acceleravisse dicatur.* Ibid. *Decretum conditionale non habere locum in Deo.* Ibid. *&c. Eadem distinctio ex vers.* 21. *refutatur.* 240. *Pœnitentiam dilatam non posse esse causam retardationis Messiæ.* 241. *Præcipuam impœnitentiæ notam consistere in profanatione sabbathi secundum judæos.* 242. *Sabbathi observatio in quibus partibus consistat, ubi minutissimarum sabbathicarum observationum specimina varia proponuntur.* Ibid. *&c. Istius doctrinæ conclusio.* 248.

Esaj. 65. 20. 22. Puer natus centum annos morietur, peccator autem natus 100 annos maledictus erit. Sicut dies arboris, erunt dies populi mei.

Longævitatem in diebus Messiæ qualis fuit patrum ante diluvium quam hoc loco colligunt antiquiores rabbini negat Abarbenel. 192. *ejus peculiaris expositio.* Ibid. *ratio dissensus.* 193. *duplici nodo stringitur.* 1. *Homines tempore Messiæ etiam morti fore obnoxios, quod videtur contrariari loco Esaj.* Damnabitur mors in æternum *&c.* 194. *Ben Israel & Abarbenel hic dissentiunt.* Ibid. 2. *In futuro seculo fore peccatores* 197. *Ben Israel circa hoc subjectum confutatur ex propriis scriptis & ratione.* 198. 199. *Expositio Christiana.* 200. *sensus spiritualis ejusq; ratio clarè proponitur.* 201. *&c.*

Esaj. 66. 20. Et adducent omnes fratres vestros ex omnibus gentibus muneri Deo, curribus cameratis &c.

Expositio Abarbenelis. 257. *&c. refutatio.* 259. *Non in malam partem de gentibus loqui prophetam.* 259. *&c. Imò contra judæos hoc vaticinium dirigi* 260. *Genuinus hujus versiculi sensus.* 261.

IEREMIÆ

Ier. 3. 9. Ego conjugio junctus sum vobis.

Quid inde colligat R. Iosua doc-

ctor Talmudicus? 267.

Ier. 3. 12. Benignus ſum, non aſſervo iram in ſeculum.

Conciliatio loci cum Hoſ. 1. 6. non pergam amplius miſereri *&c. alia Chriſtianorum, alia judæorum, utraque expenſa.* 46. *&c.*

Ierem. 3. 14. Revertimini filii rebelles, dicit Dominus, quia ego conjugio junctus ſum vobis, & recipiam vos unum ex civitate &c.

Ineptè de liberatione decem tribuum exponitur hic locus. 40. *Quæſtio duplex. I. An decem tribus adhuc alicubi exiſtant? Neg.* Ib. *Confeſſio judæorum* Ibid. *Deliria Men. ben Iſrael in libello* mikveh Iſrael *de tribuum exiſtentia in variis mundi regionibus. Ejus confutatio.* 41. *&c. II. An locus citatus ad hoc probandum aptus ſit? Neg. cum ex ſcopo & verbis prophetæ, tum ex locorum aliorum collatione.* 45. *&c.*

Ier. 3. 16. Non dicent amplius, arca fœderis Dei, &c. non recordabuntur ejus. &c.

Confutatur ſomnium judaicum de reſtauratione fœderis carnalis 49. *vana rabbinorum effugia & gloſſæ ad hunc locum.* 49. 50.

Ier. 3. 17. 18. Tempore illo confluent omnes gentes &c. & domus judæ cum domo Iſraelis. &c.

Iſta carnaliter non intelligenda. 51. *Ridicula Menaſſis ben Israel opinio de dilatatione murorum Hieroſol.* Ibid.

Ierem. 30. 18. Ecce ego reducam captivitatem tentoriorum jacob, &c.

Vaticinia Ieremiæ capp. 30. & 31. *in captivitate Babylonica eſſe impleta.* 146. *Ad exceptionem judæorum reſponſio.* Ibid. *Præcipuum ſenſum eſſe myſticum probatur.* 147.

Ierem. 30. 6. Quare video unumquemque virum appoſitis manibus ſuis ad lumbos ſuos ſicut puerperam, & converſos eſſe omnes vultus in ſpeciem morbi regii.

Exploditur Rabbinorum expoſitio qui de bello Gog & Magog iſta intelligunt, & R. Salomonis, qui ad regni Babylonici vaſtationem dictum refert, probatur. 305. *Additur ridicula talmudicorum gloſſa, qui Deum hic cum familia*

ſua

sua superiori & inferiori super gentium & Christianorum in bello Gog & Magog interitu, instar puerpera dolore affectos introducunt 306. 307.

Ierem 31. 4. Adhuc ornabis te tympanis, & procedes cum choro ludentium.

Delirium judaicum. 157. *scopus prophetæ.* 158.

Ierem. 31. 8. Ecce ego adducam illos è terra aquilonis, & congregabo illos &c. inter ipsos cæcum &c.

De captivitate Babylonica, illa quæ literam spectant, esse intelligenda. 167. *inepta judæorum consequentia de sanatione cæcorum &c. post resurrectionem.* 168.

Ierem. 31. 15. Rachel deflet filios suos.

An recte Abarbenel per hæc verba exponat illa Mulier ambit virum. *vers.* 22. *Neg.* 301.

Ierem. 31. 22. Quousque subduces re, o filia aversa! nam parrat Deus rem novam in terrâ, fœmina ambit virum.

Proponitur expositio R. Lipmanni. 298. *Variæ de verbis illis,* fœmina ambit virum, *sententiæ.* 300. *Quæ convelluntur.* 301. *confirmatur illa, quæ locum de conceptione Mariæ virginis, & Christo intelligit.* 302. *Et vindicatur contra argutias Lipmanni.* 303.

Ierem. 31. 31. Ecce dies venturi sunt, dictum Dei, quibus pangam cum domo Israelis & cum domo Iudæ fœdus novum, non secundum illud fœdus quod pepigeram cum majoribus eorum &c.

Abrogatio fœderis legalis hinc solide colligitur, 147. *vana Kimchii effugia convelluntur.* 148. *&c.*

EZECHIELIS

Ezech. 11. 19. Et dabo illis cor unum, & spiritum novum dabo in medio vestri, & amovebo cor lapideum a carne eorum, & dabo cor carneum.

Cor lapideum nondum ex animis suis evulsum, recte docent judæi. 225. *Inde tamen non sequitur, vaticinium hoc nõdum esse impletum.* Ibid. *quo tempore & quomodo sit impletum.* 225. 226. *Kimchi corruptela refellitur.* 226. 227. *Eius deceptio passivè & activè.* 227. 228. *Abarbenelis expositio tole-*

rabilior. 228. 229.

Ezech. 18. 4. Anima quæ peccavit morietur.

Sententiam hanc non pugnare cum satisfactione pro peccato factâ per alium. 475. *&c.*

Ezech. 18. 17. A paupere retrahat manum suam, usuram aut fœnus non accipiat.

Iudæis expilatoribus frænum hic injici. 420. *à quo lex Deut.* 23. 20. *eos non liberat.* 421. *&c.*

Ezech. 18. 20. Filius non portabit iniquitatem patris.

Varij hunc locum cum secundo decalogi præcepto conciliandi modi. 465. *Non loqui prophetam de judicio civili sed divino.* 465. *Nec præsupponi conditionē de successione actuali in peccatum.* Ibid. *&c. De imputatione peccati patrum in infantibus.* 466. *de conditionis istius absurditate.* 467. *&c. optimus conciliandi modus.* 469. *&c.*

Ezech, 20. 32. Id quod ascendit in spiritum vestrum minime omnino futurum est &c. v. 33. Ne vivam ego, dictum Domini Dei, nisi manu robusta &c.

An ad præsentem judæorum statum referri possit? & quare non 272.

Ezech. 20. 38. Et seligam ex vobis eos qui deficiunt à me.

De tempore captivitatis Babylonicæ locum intelligendum esse ostenditur. 75.

Ezech, 25, 14, Edamque ultionem meā in Idumeo.

Falso fundamento nititur allegatio hujus loci. 190. *quando impletum hoc vaticinium.* Ibid. *uno verbo refutatur Abarbenel.* Ibid.

Ezech. 38. 3. Ecce me contra te. O gog! princeps primarie Meschechi & thubalis.

Bellum Gog & Magog à judæis diversimode descriptum. 504. *&c. causa varietatis.* 507. *de qua gente loquatur Ezechiel.* 508. *quasnam sedes occupaverint Magog. Meschech, & Tubal.* 509. *de sedium transportatione in Italiam.* 510. *judaicæ opinionis confutatio.* Ibid. *&c. vaticinium Ezechielis jamdudum esse impletum ostenditur.* 511. *&c.*

Ezech. 28. 13. In Hedene horto Dei eras, omnes lapides

pides pretiosi operiebant te, pyropus, topasius &c.

Istos lapides pretiosos novæ Iudaicæ Hierosol. fundamentis non esse destinatos. 150. *Scopus prophetæ.* 151.

Ezech. 38. 22. Et disceptabo cum illo peste & sanguine &c.

Expositionem judaicam falsâ de bello Gog & Magog opinione niti, & verba prophetæ nimis ad literam torta esse probatur. 115.

Ezech. 40. 41. 42. capp. De templi descriptione.

An materiale templum describat propheta. Neg. ex vers. 16. &c. *cap.* 42. *quantitas mensuræ propheticæ* 179. *Templi descriptionem esse hieroglyphicam.* Ibid. *varij interpretes notati.* 181.

DANIELIS.

Dan 2. 40. Denique regnum quartum erit durum ut ferrum &c.

Controversia, an Daniel de Imperio Romano, eiusque ad finem mundi extensione vaticinatus sit 556. *Citatio capitum & versuum Danielis, qui ad hanc controversiam spectant.* Ibid. *Status controversiæ proponitur.* Ibid. *Negativa a nobis varijs rationibus vindicata contra judæos & pontificios* 557. *De tempore destructionis regni illius quarti de quo loquitur Daniel.* 558. *Futilitas argutationis Abarbenelis circa identitatem Regni Romani & Iesu Nazareni.* 559. *ejus ignorantia in theologia Christiana ostenditur.* 560. *De nexu versuum capitis undecimi.* 562. *Contextum non permittere ut ibi sermo sit de antichristo sive de imperio Romano* Ibid. *vis nonnullis versibus & phrasibus illata repellitur.* Ibid. *imprimis Abarbenelis in vers.* 31. 563. *Diversa & contraria judæorum studia in expositione hujus capitis.* 565. *Perversum Abarbenelis de ista diversitate judicium* 566. *De inepta variarum rerum hoc vaticinio comprehensarum applicatione* 567. *Omnia exactè tam quoad res prædictas quam varios dierum numeros de quib. in diversis apud Danielem in Seleucidarum & Lagidarum regnis, imprimis Antiochi Ephiphanis. impleta esse ostenditur.* 569. *vide etiam.* 77. *Argumenta partis affirmativæ refutantur.* 572.

Dan. 9. 24. &c. Septimanæ septuaginta decisæ sunt super populum tuum. &c. *usque ad finem capitis.*

Para-

Paraphrasis Christiana & Abarbenelis sibi invicem oppositæ 544. *&c. Difficultas hujus controversiæ.* 548. *causa litis inter nos & judæos.* 550. *Mens judæorum.* Ibid. *Eorum defectus in supputatione temporum.* 551. *de numero regum monarchiæ Persicæ.* 552. *Rationes Abarbenelis pro numero quinario confutatæ.* Ibid. *Initium septimanarum non debere fieri à destructione templi primi.* 554. *frustra esse Judæos quod diversos fingant Messias in textu Danielis.* 555.

Dan. 10. 13. Princeps regni Persiæ stetit coram me uno & viginti diebus, cum ecce Michael primus è principibus primarijs venisset ad adjuvandum me. v. 20, nunc revertor ad pugnandum contra principem Persiæ. v. 21. Ne unus est qui se cõfirmet mecũ ad ista nisi Michael princeps vester.

Figmentum judaicum de angelis principibus astrorum, eorumque influxu ab Abarbenele expositum. 437. *Singulis gentibus suum esse sydus & principem angelum.* 438. *Michaelem principem esse angelum judeorum, & judaici syderis gubernatorem.* Ibid. *istius doctrinæ futilitas.* 439.

Dan. 11. 2. Ecce adhuc tres reges stabunt Persidi.

Non sequi inde, quinque tantum reges regnasse in monarchia Persica quod volunt judæi. 552.

Dan. 11. 31. Et brachia ab ipso stabunt.

Quam ineptum & futilem se prodat Abarbenel in expositione istius hebraismi, verus eius sensus. 563.

Dan. 11. 42. Etiam terra Ægypti non evadet.

Non de Armilli sed Antiochi Epiphanis invasione Danielem loqui ostenditur. 79.

Dan. 11. 45. Et figet tentoria palatii sui inter maria &c. quumque venerit ad finem suum, nullus erit auxilio ei.

Hæc de Antiocho non Armillo esse intelligenda. 79.

Dan. 12. 1. Tempore illo adstabit Michael princeps ille maximus qui stat pro popularibus tuis &c.

Ostenditur hunc locum non esse torqueudum ad bella Armilli in fine mundi gerenda, sed ad literam impletum esse hoc vaticinium, eo tempore de quo cap. præced. locutus erat. Sensu tamem typico ad quem etiam respicere potuit Daniel,

niel ad ſtatum Eccleſiæ N. T. poſſe referri 73.

Dan. 12. 2. Et multi ex dormientibus in pulverulenta terra expergiſcentur &c.

Variæ judæorum expoſitiones ex Aben Eſra. 169. Quinque aphoriſmi Abarbenelis ex hoc loco. 170. &c. Sententia Menaſſis ben Iſrael. 171. 172. Tria hominum genera à reſurrectione ab ipſo excluſa. Ibid. *Duæ ſententiarum claſſes. 173. Non dari reſurrectionem particularem probatur.* Ibid. *Effugium R. Saadiæ Gaon retunditur. 173. Vnicam reſurrectionem ſtatuunt recentiores rabbini. 174. cauſa diſſenſus inter ipſos 175. Quomodo Meſſiæ locus poſt finem mundi, & quid mundus renovatus. 176. Reſurrectio univerſalis ſtatuitur, nec ſyncategorema* רבים *obſtare oſtenditur. 177. 178.*

Dan. 12. 3. Erudientes ſplendebunt ſicut ſplendor expanſi.

Inepta applicatio hujus loci. 29.

Dan. 12. 10. Dealbabuntur, purgabuntur, & conflabuntur multi.

Ex capite præced. docetur de quo tempore loquatur Daniel. 75

Dan. 12. 11. 12. A tempore qúo ablatus fuerit jugis cultus, &c. dies erunt 1290. Beatus qui perveniet ad dies. 1335.

De quo tempore loquatur Daniel, & ſignificatio iſtorum dierum. 77. judicium R. Iachiadis de hoc vaticinio. 78.

HOSEÆ.

Hoſ. 1. 6. Voca nomen ejus loruchamam, nam non pergam amplius miſereri domus Iſrael, ut ullo pacto condonem ipſis.

Perpetua decem tribuum rejectio ex hoc loco rectè colligitur. 45. conciliatio ejus cum Ierem. 3. 12. Non aſſervo iram *&c. 46. conciliatio judæorum refutatur.* Ibid. *culpatur paraphraſis Ionathanis.* Ibid. *objectio judæorum circa locorum conciliationem diſſolvitur. 48.*

Hoſ. 2. 13. Ecce ego pellecturus ſum eam, cum deduxero eam in deſertum, & elocuturus ſum quæ ſint ei cordi.

Ex conſideratione duplicis fœderis de quo agit propheta cap. 1. & 2. oſtenditur verus horum verborum ſcopus. 75. &c.

Hos. 3. 4. Diebus multis desidebunt Israelitæ nullo rege &c.

Ad quæ tempora pertineat. 25.

Hos. 4. 17. Conjunctus est terriculis Ephraim, sine illum.

R. Alschech inde concludit, peccatum quod per imitationem committitur adeo grave non esse, quam quod sponte. 331.

Hos. 6. 2. Vitæ restituet nos post biduum, die tertio excitabit nos.

Confutatur expositio rabbinorum qui locum de duplici templo vastato, & tertio futuro intelligunt. 304. *Quid propriè hoc hebraismo denotetur.* Ibid. *Non probatur expositio quorundam Christianorum qui nimis directè ad sepulturam & resurrectionem Christi ista referunt.* 305.

Hos. 14. 1. Convertere Israel usque ad Dominum Deum tuum.

Quomodo exponant Talmudici? 273.

Hos. 14. 6. Ero velut ros Israeli &c.

Inepta loci ad literam sumpti applicatio. 32.

IOELIS.

Ioel. 2. 30. Et dabo prodigia in cœlo & in terra, sanguinem &c.

Inepta loci ad literam sumpti applicatio. 30. *Scopus prophetæ* Ibid.

Ioel. 2. 31. Sol ipse convertetur in tenebras, & luna in sanguinem.

Somnium de tenebris 30 *dierum in adventu Messiæ.* 33.

Ioel. 3. 1. Et erit postea, ut effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ &c.

Vaticinium hoc modò esse impletum. 206. *Abarbenelis expositio satis ampla.* 206. *&c. Dona Iudæis restituenda.* 211. *Scrupulus qui cruciat Iudæos in verbis* super omnem carnem. 212. *Abarbenel contra Majemonidem circa sensum doni secundi nim. prophetiæ.* Ibid. *Idem contra R. Salomon. & Ab. Esram circa vocem* carnis. Ibid. *Confutatur restrictio Abarbenelis* 213. *An donum prophetiæ receperint Christiani.* Ibid. *Prophetia & Spiritus S. quomodo distinguantur Kimchio.* 214. *Prophetia quid proprie sit.* Ibid. *Vocis origo & usus va-*

varii. 215. *Varia prophetarum & prophetandi genera,* 216. *&c. Vndecim prophetandi modi secundum Majemonidem.* 218. *Quid ad essentiam prophetæ requiratur in genere.* Ibid. *Varii modi accidentales prophetiæ pro prædictione futurorum sumptæ.* 219. *Error Rabbinorum, quod rem & modum rei non distinguant.* Ibid. *Hinc prava apud eos librorum sacrorum in Propheticos & Hagiographos distributio.* Ibid. *Distinctionis inter Spiritum S. & prophetiam absurditas.* 220. *unde restrictionis Abarbenelis patet futilitas.* 221. *Quomodo Ioelis vaticinium tempore apostolorum sit impletum.* Ibid. *Responsio ad objectionem judaicam, donum propheticum quoad futurorum prædictionem non esse in Ecclesia Christiana* 222. *&c.*

Ioel. 3. 14. Populi, populi, ad vallem concisionis &c.

Quænam sit ista vallis. 66. *Variæ denotationes Thematis* חרץ. 66. 67. *Quare dicta vallis Iosaphat.* 67. *An vallis extremo bello Gog & Magog, & extremo Iudicio sit destinata.* 68. *&c. Verus propbetæ scopus.* Ibid. *Variæ rationes quare literalis Iudæorum sensus locum non habeat.* 69. *Aben Esræ expositio convenientior.* 70. *Quare nomen vallis usurpatum à prophetâ.* 70. 71.

OBADIÆ.

Obad. 1. 18. Eritque domus Iacobi velut ignis &c. domus autem Esau in stipulam.

Allegationem falsâ niti hypothesi scil. Edom esse Romam & Christianos. 116. *Quæstio ventilanda suscipitur.* Ibid. *Varia nomina propria, Esau, Edom, Seir &c. quæ in sacris occurrunt, explicantur.* 116. 117. *Inimicitia perpetua inter Israelitas & Idumæos* 118. *Indæorum sententia de Edom & Idumæis proponitur.* 118 *Argumenta Abarbenelis tam à ratione quam authoritate, quibus disputat contra Paulum Episcopum Burgensem circa hoc subjectum.* 120. *&c Iudaicæ gentis dignitas ex* Schevet Iehuda 125. *Respondetur ad argumenta Abarbenelis,* 126. *&c. Mendacia talmudica.* 127. *Quid judicandum de Iosepho Gorionide, an idem cum Flavio.* 128 *variis rationibus ostenditur fuisse diversos.* 129. *&c. judicium Drusii de utroque Iosepho.* 132. *Historiam de Zephone apud Gorionidem esse fabulosam.* Ibid. *Abarbenelis in computis conficiendis vafrities* 135. *De nomine regis Latini.* 135. *de testimonio Chaldæi interpretis in hagiographis.* 136.

De filiis Tubal in Italia. Ibid. *De loco Gen.* 36. 34. Dux Magdiel dux Iram. 137. *An Idumei primi fidem Christianam susceperint.* Ib. *De vocibus* Duma & Roma. Ib. *De comparatione Idumeorum cum Christianis.* Ibid. *Quo tempore vaticinium Obadiæ sit impletum.* 138

IONÆ.

Ion. 2. 8. Qui observant vanitates mendaces, benignitatem erga se derelinquunt.

Ineptum Rabbinorum figmentum. 34. *Genuinus loci sensus.* 35.

MICHEÆ.

Mich. 2. 13. Ascendit effractor in conspectu eorum.

Expositio patris Kimchii. 143. *Nomen effractoris diversimodé sumptum.* 144. *Genuinus loci sensus* Ibid. *Nec ad literam sumptus juvat Iudæos.* 145.

Mich. 5. 3. Exponet eos usque ad tempus quo parturiens pepererit.

Somnium talmudicum de novem mensium tyrannide. 25. *Scopus prophetæ.* 26.

ZEPHANIÆ.

Zeph. 3. 9. Tunc mutabo in populis labium ut purum sit, quo invocent omnes nomen Dei.

De quo tempore loquatur propheta, ipse textus docet. 185. *Kimchi & imprimis Abarbenel hujus dicti impletionem ad finem mundi referunt, & longa narratione bellis Gog & Magog postponunt.* Ibid. *Quorum prava expositio ex textu confutatur.* 188. *&c.*

Zephan. 3. 20. Tempore illo adducam vos, tempore quo congregavero vos. &c.

Si quid ad literam hic sumendum, probatur esse impletum. 149.

HAGGÆI.

Hag. 2. 7. Adhuc unum pusillum est &c. v. 10. major erit Gloria domus hujus novissimę, quam primæ nam in hoc loco dabo pacem.

Imprudentia Men. Ben Israel notata. 514. *Paraphrasis triplex totius contextus.* 515. *&c. Diversa sentiunt veteres & recentiores Iudæi.* 519. *Kimchii expositio confutatur.* Ib. *De gloria templi secundi ex additamento Herodis.* 520. *Confutatur expositio Abarbenelis.* 521. *Solvuntur eius obiectiones contra expositionem Christianam.* 522. *An notatio temporis* unum pusillum

sillum *respiciat Zerubabelem.* 523 *Abarbenelis imprudētia.* 524. *Eius convictio ex propriis verbis.* 525.

ZACHARIÆ.

Zach. 1. 8. Vidi nocte, quod ecce vir insidebat equo rufo, & stabat inter myrtos quæ erant in profundo, postea vero equos rufos, balios & albos.

Elegans speculatio talmudica in hæc verba. 269.

Zach. 9. 9. Exulta filia Zionis, ecce rex tuus adveniet tibi justus, & salute præditus, pauper & vectus asino.

Duplex hujus vaticinii membrum. 160. *posterius torquet judæos.* Ibid. *Aben Esræ expositio.* Ibid. *sententiæ judæorum variæ.* 161. *non posse locum exponi de Nehemia, nec de juda Maccabæo.* Ibid. *sed de Messia intelligendum esse juxta R. Salomonem & Kimchium.* 162. *Hujus effugium ad verba,* pauper & vectus asino. Ib. *ejus confutatio.* 163. *attributum* עני Pauper *non debere exponi per* ענו humilis Ibid. *Expositio talmudica Kimchio contraria.* 164. *Impudens R. Lipmanni calumnia citata & revicta.* 166. *&c.*

Zach. 9. 14. Dominus Deus buccinâ clanget & vadet procellis Austri.

Longé diversum hunc clangorem esse, quam de quo loquitur Esajas. 82. *Quid promittat propheta, & quo tempore ista promissio sit impleta.* 83.

Zach. 12. 11. Planget terra, quæque familia seorsim &c.

Causa planctus sc. mors Messiæ Ben joseph explosa. 513. *sententia Men. Ben Isr. rejecta.* 514. *scopus prophetæ.* Ibid.

Zach. 13. 9. Et inducam tertiam istam in ignem, cōflansque eos ut conflatur argentum. &c.

Scopus prophetæ ex toto contextu colligitur, & ostenditur, locum ad eadem Messiæ Ben joseph non pertinere, sed ad eadem Iesu Christi veri pastoris, de quo vers. 7. 74.

Zach. 14. 3. Et exibit Deus & pugnabit cum gētibus illis, sicut &c.

De conflictu spirituali imprimis sermonem esse ostenditur. 113. *quod literale est vers.* 2. *in excidio templi secundi esse impletum.* 114. *Dubium ex verbis,* residuum populi non excidetur, *vers.* 2. *ortum solvitur.* 114. 115.

MALACHIÆ.

Mal 3. 1. Ecce ego mittam angelum meum, qui expediat viam ante me, & repente veniet in templum suum Dominus quē vos quæritis & angelus fœderis, quo vos delectamini.

Rabbinorum expositio ex Abarbenele. 279. Variæ eorum sententiæ 283. Scopus prophetæ quis fuerit. 285. Quinam illi sint, quorum peccata capp. præc. perstringit. 286. Dies adventus Domini in templum suum, an adhuc futurus. 287. Rationes quæ probant jam esse præteritum. Ibid. *Scopus Malachiæ ab Abarbenele inversus 289. Angelus mittendus quis sit? 290. Quis dominus ille?* Ibid. *Quis angelus fœderis? 291. R Lipmanni argumenta contra Christianorum expositionem confutata. 293.*

Mal. 3. 3. Ut sedet conflans & purgans argentum, ita purgabit filios Levi &c.

Quis sit sensus horum verborum contra Lipmanum. 293.

Mal. 3. 6. Ego Dominus non mutor.

An hinc colligi possit judaicæ status restitutio. Neg. Contra Lipmannum. 293.

Malach. 4. 2. Exorietur vobis Sol justitiæ cum curatione in alis ipsius.

Eliciunt inde talmudici remedium contra pestem tempore adventus Messiæ. 28. scopus prophetæ. Ibid.

Mal. 4. 4. Recordamini legis Mosis.

An hinc sequatur legum cerimonialium perpetuitas? Neg. contra Lipmannum. 294.

Mal. 4. 5. Ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat Dies Domini maximus & reverendus.

Sententia Kimchii de adventu Eliæ proponitur. 83. Doctrina judæorum de adventu Eliæ diversa à doctrina pontificiorum. 84. Eliam modo venisse probatur ex Evangelio. Ibid. *Diluuntur objectiones judæorum de Iohanne Baptista 84. &c. Argumenta Christianorum judæis opposita. 86. &c.*

INDEX

A.

Activè & passivè quomodo aliquid sumatur. 410.
Adam quomodo consideretur. 461.
Adam an æternæ mortis reatum incurrerit. 455.
Adam an mortalis, si non peccasset. 457.
Ahasverus quis & quotus Persarum rex in historia. 553.
Akiba Doctor talmudicus an indigitatus apud Esajam. 391.
Allegoricas locutiones an attenderint talmudici. 231.
אל על Particulæ quis usus. 448.
Angelus fœderis quis? 183. 291.
Angelorum ordines varii apud judæos & Pontificios, eorumque functiones. 71. 72.
עני *pauper*, & ענו *humilis* quomodo differant. 163.
Anima Messiæ. 316.
Animæ quo tempore infundantur. 461.
Anti-Christum an prædixerit Daniel. 562.
Arca fœderis an restituenda. 49.
Armillus quale monstrum 52. origo nominis. 54.
Articuli fidei judaicæ secundum Majemonidem. 8. Aliter secundum R. Ios. Albo.
Astrorum influxus in humanam naturam secundum judæos. 437.
את particulæ quis usus. 429.
ἀιλογονία nemini licita. 426.

B.

בעל in radicæ quid notet. 267.
Babel sita in profundo. 270
Barcochab Messias judæorum. 414.
Bar juchne, stupenda avis. 232.
Behemoth quale animal. 235.
Bellum Gog & Magog descriptum. 504. &c.
בחורי nominis ambiguitas. 362.
Bestia quarta apud Danielem quid notet. 572.
Bos Rabbinicus in convivio Messiæ. 231. &c.
Brachij nomen quid notet in sacris. 563.
Buccinæ, clangor triplex ad incipiendum sabbathum. 241.

C.

Calamus, mensura, quot passus habeat. 180.
Calceorum inductio prohibita in festo expiationis. 276.
Captiuitas decem tribuum & Iudæ quando prædicta! 289.
Captivitatis Babilonicæ initium. 541.
Castigationes an pars pœnitentiæ 275.

Cau-

Caucasus mons unde dictus. 509.
Chamatha regio, ubi. 42.
חמושים *quintati* quid notet. 295.
חסד *benignitas* aliquando *probrum*. 34.
Christus quomodo intelligenter & prospere egerit. 486. quomodo morbo obnoxius. 489.
Christus quomodo plaga affectus. 491. quomodo desertus à viris. *Ibid.* Quomodo è terra viventium excisus. *Ibid.* quomodo sepulcrum ejus positum cum improbis. 492.
Christus quomodo consideretur in satisfactione. 479
Christiani quomodo judæorum fratres. 418.
Cibus & potus prohibitus in festo expiationis. 276.
Colligi est sepeliri, in sacris. 25.
כהן Sacerdos quid notet in sacris. 101. 110.
Convivum Messiæ. 229. &c.
Corach à terra absorptus, ad futurum seculum reducendus per Mosem, idque vi intercessionis Annæ matris Samuelis. 334.
Corruptio originalis à judæis adstructa. 462.
Cusch an Æthiopia. 41.
Cyrus an ãgelus fœderis. 283. &c

D.

Daniel an de imperio Romano vaticinatus sit. 556.
Danielis prophetia quibus constet partibus. 541.
Daphne suburbium Antiochiæ. 42.
Decem res judæis in adventu Messiæ restituendæ. 158.
Decem tribus an adhuc existant? 40. &c.
Deus quomodo dicatur exaltari. 488.
Deus quomodo factus corporeus. 484.
Deus quomodo considerandus circa satisfactionem pro peccato. 473.
Deus quomodo pro peccato satisfeciſſe dicatur. 482.
Dei dispensatio circa imputationem peccati peculiaris. 481.
Dei immutabilitas an inferat Iudaici status restaurationē. 293.
Deitas an anima corporis in Messia. 482.
Dies Messiæ quamdiu duraturi. 497.

E.

Ecclesiæ nomen quid notet. 560.
Edom an sit Roma in sacris. 116.
Elias an angelus fœderis? 280. &c.
Elias an venturus secundum judæos. 83.
Eliæ præsentia in Circumcisione. 281.

Epi-

Epicuræi qui ſint. 19.
Equus albus, quid judæis. 270.
Exciſionis ſpecies variæ. 456.
Excrementum gallinarum an liceat removere in ſabbatho. 246.
Expiatio quotuplex. 275.
Exſcindi é terra viventium quid. 492.
Extraneus quis judæo. 418.
Ezechias rex quomodo dicatur Meſſias in Talmude. 13.

F

Fabulæ talmudicæ an in ſenſu allegorico probandæ. 445.
Familia ſuperior & inferior, quid ſit apud talmudicos. 307.
Feſtum expiationis. 276.
Feſtorum nomina. 313.
משיעה quid. 315.
Fides priſcorum patrum de meſſia. 7.
Filius quomodo non portet iniquitatem patris. 470.
Filij nomen qua latitudne ſumatur. 495.
Finis actionis & delectatio in agendo an oppoſita. 493.
Flagllcatio Pontificiorum, unde. 278.
Flagellatio in feſto Expiationis. 277.
Fœdus Dei duplex. 75.
Fœdus novum promiſſum veteribus. 147.
Formulæ precandi apud Iudæos. 313.
Fundamenta novæ judaicæ Hieroſolymę ex lapidibus pretioſis. 150
Furnus ruber inſtar equi albi, traditio talmudica. 269.

G

Gallus occidendus in feſto Expiationis. 278.
Gamaliel quis. 312.
גאונים *doctores* quinam ſint. 310.
Gehenna non futura, ſecundum Riſch Lakiſch. 28.
Gog & Magog nomina propria quid notent. 508.
Goſan fluvius, ubi. 41.

H

Habor mons, ubi. 41. 43.
Hadaſſa nomen reginę Eſther. 270.
Halah regio, ubi. 41
השם pro nomine Dei. 21
השכיל quid notet. 322.
Hillelis in Gemara Sanhedrim ſententia de adventu Meſſię. 12.

I

Iacob Patriarcha quando mortuus. 134.
Iani adventus in Italiam. 134.
ישכיל vocis Hebreæ uſus varius. 388. 486.
Ieremias propheta an denotetur vaticinio Eſai. 384.
Ieſus & Eſau blaſphemum Iudæorum anagramma 125.

Imputatio peccati alieni non aliena à Deo. 459.
Imputatio peccati alieni quo fundamento nitatur. 409.
Imputationis ratio in quo consistat. 463.
Imputationis peccati parentum in liberis causę diversæ. 477.
Innocens an nocentis pœnam justè suscipere possit. 476.
Innocentiæ ratio quomodo habeatur in imputatione peccati. 477.
Intermedii apud Iudæos qui. 31.
Iohannis Baptistæ decapitationis causæ diversæ apud utrumque Iosephum. 130.
Ionathauis Paraphrastæ stylus qualis. 450.
Ionathanis error. 453.
Ioseph ben Gorion an idem cum Flavio. 128. An fide dignus. 132.
Iosias rex an denotetur vaticinio Esai. 385.
Iosias inique adortus Nechonem regem Ægypti. 389.
יצר שבת 313.
Iudæi quare ex Gallia aliisque regionibus ejecti. 417.
Iudæi an portent peccata gentium. 408.
Iudæorum pœnitentia an requiratur ut veniat messias. 266.
Iudæorum impœnitentia causa retardationis messiæ. 236.
Iudæorum conversio ante secundum Christi adventum. 252.
Iudæorum summa felicitas in adventu messiæ. 233.
Iudæorum fides sub templo secundo. 7.
Iudæorum angelica dignitas. 125.
Iudæorũ rebellio & scelera. 413
Iudæorum contemptus. 344.
Iudæorum cæcitas. 496.
Iudæorum post excidium templi secuudi historia. 413.
Iudæorum patientia qualis. 413
Iudæorum ἐυτοχυρία. 424.
Iudæorum florentissimus status in variis mundi regionibus. 40. 399.
Iudæorum privilegium in exercenda usura. 417.
Iudæos omnes habere partem in futuro seculo, quomodo intelligatur. 19. 31. 172.
Iumentis an aliquid imponere liceat in sabbatho. 245.
Iurandi apud Iudæos formula. 233.
Ius gentium an alieni peccati imputationem admittat, & quomodo. 480.
Iustitiæ originalis privatio, an rationem pœnæ habeat. 463.
Iustum & iniustum simul exscindere an pugnet cum iustitia Dei. 470.

K

Karræi qui. 19. & præf.

Par-

L

למי particula quem usum habeat 396.
Lecti coniugalis usus prohibitus in festo expiationis. 276
Lepra Guehasi quomodo imputata posteris ipsius. 478.
Leprosi & Iudæi scelerum socii. 416.
Leviathan quale animal. 230.
Lotio manuum prohibita in festo expiationis. 276.

M

Manassis regis Iudæ pœnitentia, eiusque effectus. 274.
Mardochæi ætas. 554.
Maria virgo an dici possit נקבה 303.
Mem clausum Esai 9.7. quid notet. 14.
Mendacia talmudica. 127. 232.
Mensuræ cubitalis varia genera. 179.
Merces operum quotuplex. 11.
Merces operum & messias, articuli coniuncti. 6.
Mercedis & pœnæ distinctiones variæ. 17.
Meschech & Tubal quæ gentes 509.
Messiæ duo corruptionis arguunt fidem Iudaicam. 37. &c.
Messiæ adventum an qui negat sit apostata á fide Iudaica. 2.
Messias an ab Esai. 53. prædictus. 430.
Messias quomodo maior angelis iuxta veteres. 435.
Messias non creditur authoritate scripturæ sed traditionis. iuxta R. Iol. Albo. 14.
Messias ben Ioseph occidendus. 53.
Messiæ beneficia duntaxat temporalia. 8.
Messiæ paupertatem agnoscunt talmudici. 165.
Messiæ adventus an sit articulus fidei apud Iudæos & quomodo. 9.
Messias an modò venerit & quomodo ipsum venisse credant talmudici. 241.
Messias an debeat satisfacere pro peccato. 454.
Michael Archangelus quis. 73.
מרת הדין quid. 274.
מיל quantum in distantia locorum. 127.
Minæi qui. 19.
מנחה quid significet. 313.
Miracula an restituenda Iudæis. 211.
מיתת הכרת quid 274.
מיתת הדין quid. 274.
Monarchiæ Persicæ reges. 552.
Monstra hominum tempore messiæ revelanda iuxta talmudicos. 23. 26.
Morborum diversa genera. 490.
Mortis species variæ. 456.
Morte mori quid notet. 455.
Moses caput omnium collegio-

rum. 338.
Mosis imperium in astra. 434.
Moses an Esai. 53. denotetur 301
Moses maior angelis. 440.
Moses quare in deserto sepultus 334.
Mundi duratio secundum talmudicos. 497.
Mundi quatuor apud Iudæos. 322.
Mundus renovatus apud Iudæos qualis. 176.
מכה participii quæ constructio. 483
Mysticus sensus non affingendus Scripturæ ubi locum non habet. 448. Quibus legibus admittendus. 443.

N

Naturæ humanæ ad peccandum proclivitas. 460.
נקבה quid proprié notet. 303.
נכרי quomodo sumatur. 418.
Numeri prophetici apud Danielem quomodo impleti. 570.
Numerus numerans & numerus numeratus. 277.

O

Oeconomia divina duplex. 469.
Opera bona Iudæorum quomodo compensentur. 19. Mala quomodo expientur. 20.
Opera מופלין seu supererogatoria apud Iudæos. 334.
Operum præcepti & consilii distinctio. 423.

P

Panem an é furno extrahere liceat in sabbatho. 143
פרסה quãtum in dist. locor. 127.
Pathros regio ubi. 41.
Paulus Apostolus quare 49. tantum plagas acceperit. 278.
Peccatum primum quomodo transeat in posteros. 459
Peccati primi gravitas. 457.
Peccatum originale duplex. 460
Peccato an omnes homines obnoxii. 460.
Peccatorum condonatio an absque satisfactione fieri possit. 472.
Peccata Iudæorum sub templo secundo. 286.
Peccatorum distinctio. 274.
Pediculum an necare licet in sabbatho. 247.
Persecutio Iudæorum ante introitum messiæ. 267.
Pestis & morbi tempore adventus messiæ. 27.
Petitio principii in doctrina de messia. 398.
Plagæ nomen an solam lepram notet. 491.
Plagæ quot inferendæ secundum legem. 277.
Pœna quæ peccato debetur qualis. 456.
Pœnam peccati quo sensu aliquis portare dicatur pro alio. 408.

Pœnæ delictorum distinctio. 481
Pœna corporalis an salva iustitia innocenti loco nocentis possit infligi. 481.
Pœnitentiæ Iudaicæ descriptio. 274.
Pœnitentiæ variæ species & effectus apud judæos. 273.
Pœnitentiæ requisita. 276.
Ponere animam pro reatu quid significet. 390.
Populus Israelis an denotatus vaticinio Esaj. 53. 394.
Præcepta quinque ad observationem sabbathi requisita. 240.
Præteritum pro futuro quando sumant prophetæ. 405.
Precum tituli. 313.
Præfixum ל quomodo aliquando sumatur. 291.
Profusio in mortem quibus legibus judicanda legitima. 427.
Prophetia an restituenda judæis 211. &c.
Prophetia quidsit. 213. &c.
Prophetæ an venturi ante Messiam? 271.
Prophetarum scribendi mos. 386.
Prophetæ falsum nō dicunt absque indicio falsi. 408.
Proprietatum communicatio in Messiâ. 483.
Psalmus sabbathi quis. 502.
Pueri à judæis occisi. 416.
Iudæi & leprosi scelerum socij 416.
Putei á judæis infecti. 416.

Q

Quinque res amissas cum templo primo, esse restituendas. quomodo probetur. 49. 153.

R

רבן רבי רב &c. tituli judæorum. 311.
Rabbinorum consuetudo in applicandâ scripturâ. 286.
Reges Persarum quot numero. 552.
Regna Austri & Aquilonis quæ apud Danielem. 567.
Regnum Christi quale. 560.
Relatio inter maritum & uxorem quibus nominib. exprimatur Hebraicè. 302.
Removere à facie, quæ vis hebraismi. 45.
Resurrectio mortuorum diversimodè credita apud judæos. 139. 173.
Resurrectionis mortuorum quare mentionem faciat Daniel. 572
Revolutio mortuorum subterranea, figmentum judaicum. 140.
Roma on condita ab Idumæis 126.
Roma & Duma an conveniant. 137.
Romæ magnitudo fabulosè de-

Targum seu Chaldæorum paraphrases an sensum mysticum admittant. 450.
Templi secundi gloria quomodo major quam primi. 519. &c.
Terminus Messiæ duplex Necessitatis & Possibilitatis. 236.
Terra viventium quæ. 491.
תשובה quid notet? 275.
Thronus judicii & gratiæ quomodo distinguantur. 19.
Tubal & Meschech nomina quas gentes notent. 508.

V

Vallis Iosaphat quæ & ubi. 66. &c.
Vaticinium Esaj. 53. an indeterminatum ratione objecti. 392.
Vaticinia prophetarum de Messiâ an impleta. 13.
Ventrem an in foveam exonerare liceat in sabbatho. 246.
Veterum sententia de loco Esaj. 53. 432.
Viri nomen quomodo sumatur. 395
Vnctio prohibita in festo expiationis. 276.
Voluntatis dispositio varia consideratur. 427.
Vsura judæis quomodo licita. 417. &c.

Z

Zephonis fabula. 132.
Zerubabeli an facta promissio quæ nondum impleta sit. 524.

TYPORVM MENDAS,

Præsertim quæ in Hebraicis & Rabbinicis citationibus committebantur, quàm studiosissimè exterſimus. Literula fortè aliqua in ſermone Latino deficiens, ſuperflua, tranſpoſita, mutata, peritum lectorem non remorabitur. Paucula, quæ in ſenſum impingere videntur, obſervanda ſunt.

Pag. 91. lin. 5. pro *fuerit* lege *ſit*. lin. 6. pro *eligebatur* lege *eligitur*. ibid. pro *judicabatur* lege *judicatur*. Pag. 98. lin. 20. pro *negant* lege *negat*. Pag. 117. l. 20. dele *quod*. Pag. 246. l. 12. pro *habeat* lege *habeant*. Pag. 265. lin. 21. adde *eſt* ante *familia*. lin. 22. pro *iterum atque iterum deprædicabunt* lege *Hi & illi*. l. 23. pro *cum ego perdidero* lege *quare ego perdam?* 281. lin. 7. pro *renovabitur* lege *adminiſtratur* Pag. 370. lin. 16. pro *meus* lege *mens*. Pag. 385. lin. 7. pro *affirmati aſſirmat*. Pag. 500. lin. 11. pro *mun-* lege *mundus*. Pag. 514. lin. 7. pro *Iod* lege *Ioel*.

FINIS.

יהוה חמדתי
ודברו חפצי